





12861



28
19


R. Polypod. quercin. ℥. 3. folior. venen. ℥. 3. mechoacan. ℥. 3.
 Jalap. ℥. 3. Mexan. dule. ℥. 3. Sait-rarall. ℥. 3. Caring
 lign. ℥. 3. m. et cum sufficienti quantitate mellis usq.
 fiat Symplic. Cuiusmodi accipiat. ℥. 3.

Alia

R. Resin jalap. et Scammon. Sulphur. ℥. 3. viij. mechoacan.
 Sublimat. g. 3. 3. 3. tartar. volubil. ℥. 3. m. et cum
 sufficienti quantitate Symplic. similis. asper. fiat pilul. =

Ad sum.

D. Joanni de Deo a Aldermana
 Medicinæ practicæ pp. professori



FRIDERICI
HOFFMANNI
MEDICINÆ
SYSTEMATICÆ,

TOMI QUARTI,

Quo specialis Morborum Pathologia, & huic superstructa solida
Therapia cum medendi Methodo, cautelis clinicis, &
Morborum enarrationibus, adjuncta
Epicrisi, exhibentur,

PARS TERTIA

DOCTRINAM SPASMODICORUM

*Et Convulsivorum morborum perspicua & demonstrativa
Methodo tradens.*



VENETIIS, MDCCXLV.

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

FRIDERICI
HOFFMANNI
MEDICINAE
SYSTEMATICA.
TOMI QUARTI.

Quo specialis Morborum Pathologia, & hinc sparsim solida
Therapiae medica Methodo, & hinc clinica, &
Morborum curatio, hinc, adhibenda
Epitome, exhibetur.

PARS TERTIA
DOCTRINAM SPASMODICORUM

Et Compositio morborum, hinc, hinc, & hinc
Methodo, hinc.



VENTILIS, MEDICINAE
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
SUPERIORUM PERMISSUM & PRIVILEGIUM.

OMNIBUS ET SINGULIS
MEDENDI SCIENTIÆ DEDITIS,
QUI
ARTEM
HIPPOCRATICAM
EXPERIMENTO PERICULOSAM
Et judicio difficilem secunda facili & rationali curandi Methodo
tractare, & continua observatione ac sedula meditatione artis
incrementa in salutem humani generis promovere gestiunt,
HUNC TOMUM

DE LONGIS ET GRAVIBUS AFFECTIBUS
Qui agit, sacratum & dicatum Voluit
AUCTOR.

PRÆFATIO.

EXhibeo nunc candido & erudito Lectori tertium therapeutices
tomum, qui ad medicinam systematicam rationalem perti-
net. In hoc præcipue atroces convulsivi generis morbos, qui vel
universum corpus occupant, vel certis tantum partibus graviter
infesti sunt, explicandos & pertractandos sumsi. Viderur qui-
dem horum affectuum æthiologia & rationalis evolutio non adeo
facilis, sed valde ardua; eo, quod non ex causis mechanicis, ut
febres, hæmorrhagiæ, & spasticæ affectiones, explicari posse
videantur, sed alius & eminentius quoddam principium ex par-
te pro causa agnoscere: nempe animæ voluntatem, utpote in epi-
lepsia, & universalibus istis motibus convulsivis partes volunta-
ti, & animæ imperio subjectas graviter exerceri, atque in cere-
bro,

bro, quod & medicorum, & philosophorum consensu pro fede & domicilio animæ habetur, originem suam petere, constans & rata ab omni ævo medicorum est sententia. At vero quam obscura, abdita, & multis difficultatibus, atque dissensionibus natura animæ humanæ, ejusque potentia, & operandi ratio in corpus sit innexa & implicita; nemo facile inficiabitur: neque doctiores medicorum usque eo inter se conveniunt, an anima immediato & incorporeo actu, membra moveat, & percipiat, an medio quodam materiali, fluido nimirum nerveo mobilissimo, quod veteres spirituum animalium nomine indigitarunt, ad hos actus opus habeat. Ut itaque ego in re difficili & non exigui momenti & considerationis meam, quatenus ad praxin medicam spectat, sententiam proferam; dico primum corpus humanum neutiquam esse puram machinam, ex diversi generis partibus & organis, summa & divina sapientia inter se connexis, ad motus, qui potissimum conservationi ejus vitali inserviunt, constructam; sed cum altioris originis & naturæ, spirituali nempe principio, quod & percipiendi, & intelligendi, & res invicem discernendi, & certos quosdam motus dirigendi potentiam habet, mutua & intimiori unione esse conjunctam. Num vero exquisitior hujus principii incorporei & spiritualis cognitio Medico ut Medico summe & absolute scitu sit necessaria, id est, de quo valde dubitamus. Neque aliud HIPPOCRATEM voluisse mihi persuadeo, dum in principio libr. de nat. hum. qui genuinus ejus foetus unanimi Criticorum consensu habetur, ita scribit: *Quicumque de natura humana amplius differentes audire consuevit, quam quod ad medicinam pertinet, huic non est commodum hunc meum sermonem audire.* Jam vero in his, quæ sequuntur, prolixè demonstrat, corpus humanum ex certa & temperata elementorum & humorum proportionem, qui pro differentia ætatum, temporum anni, regionum, victus, & aeris differunt, constare, & ad hanc medicum in morborum causis investigandis, & adpositis ad eas expugnandas inveniendis remediis unice respicere & attendere debere. Quibus certe clare innuit, verum medicinæ objectum esse corporis humani mechanismum, (neutiquam vero moralismum, ut nonnulli nostri temporis Medici opinantur); illum autem a causis maxime externis & corporeis sustineri, & mutari; & hinc sanitatis, mortis, vitæ, morborum, & sanationis originem & fontem esse. Equidem non

non negandum, animam ad movenda certa membra, imperium & directorium quoddam habere, uti in voluntariis id clare adparet motibus; neque negandum est, animam humanam motus & animales, & vitales, & naturales turbandi, & invertendi magnam possidere potentiam, ut in gravioribus animi adfectibus, & viribus corruptæ phantasie adparet luculentissime. Quod autem anima motuum vitalium, & animalium quoque proxima & efficiens causa sit, in quam medicina vim quandam sanantem exferere possit, ab hac sententia utique me prorsus alienum esse profiteor. Nam rebus paullo altius perpensis, clare intelligimus, animam sine mediis & causis physicis ac mechanicis nihil plane posse in humano corpore, nec intelligere, nec cogitare, nec sentire, nec motus certos dirigere, vel etiam ordinatos immutare, aut inordinatos in ordinem revocare; multo minus motus vitales, cum quibus maxime medico negotium est, ut sunt cordis, arteriarum, & omnium vasorum fibrarumque, efficere. Quod assertum, tanquam longe in medicina utilissimum, ut paullo firmioribus argumentis corroboretur, operæ fore pretium arbitror. Ecquis doctiorum medicorum ignorat, læso & non integro organo sensorio, ut oculo, aure, vel etiam motorio, ut musculo, animam nec movere, nec sentire, nec videre, nec audire posse; eoque vitio per artem medicam restituto, integros rursus evadere sensus. Videmus quoque organis & sensoriis & motoriiis recte, & secundum naturam constitutis, beneque conformatis, animam nihil efficere posse, licet efficacissime velit, nisi affluxu sanguinis arteriosi, vel liquidi nervosi bene constituti illa robur & vigorem accipiant. Neque amplius obscurum esse potest, tota cerebri structura salva, salvis nervis & membranis, salvis etiam sensuum organis, cessante vero vel deficiente sanguine, ob cordis languidiorem systolen motu ad caput, omnem sensum, omnem memoriam, omnem cogitationem, & intellectum simul & semel perire. Simul ac vero hic motus per congrua remedia restituitur, ut videmus in syncopis, illico animæ operationes rursus observantur. Sanæ rationis in homine usum a placido & temperato sanguinis per cerebri vasa progressu dependere, Divus Senex passim in scriptis suis docuit; adeo, ut L. de flat. asserat, sapientiam homini per bonam diætam præstari posse. In omni delirio, sive aberratione mentis, vitium & causam

vel in ipsius cerebri substantia, aut ejus membranis, præsertim dura matre, vel in minus temperato vitiosi sanguinis motu constare, ex eo satis recte colligitur, quod sublato hoc, per remedia convenientia, vitio menti restituatur sanitas. Surrexerunt nostro tempore medici quidam, qui affirmare ausi sunt, animam sine ope & sine medio fluidi cerebri & nervorum omnes motus & sensus in corpore efficere posse, hoc fundamento maxime innixi: quod tubuli & eorum cavitates in nervis non conspici possint. Sed qualis hujus argumentationis sit infirmitas, vel ex eo intelligi potest: quod testiculi & hominis & animantium nil nisi congeries sint minimorum, subtilissimum succum vehentium & secernentium vasculorum, licet eorum cavitates oculos visumque plane effugiant. Plantarum folia & flores, & fructus quoque tenuissimo succo per minutissimos canales nutriri, tam certum est, quam quod certissimum. Qualis vero sit usus & cerebri & nervorum, ipsi hujus sententiæ auctores ignorant. Quum autem in doctrina medica potissimum a posteriori, & per effectus, in rerum & causarum cognitionem pervenire liceat; & quotidiana doceat experientia, a tenuissimo fluido, quin a solis effluviis & exhalationibus, animales actiones plane interturbari, perverti & sisti posse, uti patet in ebriosis, in iis, qui narcotica medicamina majori copia sumserunt, vel copiosum carbonum accensorum fumum inspiratione hauserunt, dissipatis hinc cunctis & animalibus, & vitalibus viribus, quæ tamen solo sæpius analepticorum remedium usu, vel naturæ amico & suaveolenti odore protinus resuscitantur: ecquis igitur negare ausit, fluida summæ activitatis & virtutis motricis ad motus & sensus præstandos concurrere debere. Hisce satis solidis argumentis aliud majoris fere ponderis subjungendum esse puto, animam in corpore humano plane nihil posse efficere sine motu vitali: cujus essentia & formalis ratio in alterna & reciproca cordis, arteriarum, ac vasorum & fibrarum systole & diastole, & inde fluidorum sanguinisque pendente progressu & circuitu consistit. Nunc vero celebris oritur quaestio: unde hic vitalis motus causam & originem suam trahat? Recentiores quidam animam, & quidem rationalem, hanc esse, omni modo & labore contendunt. Sed nullo unquam argumento id demonstrarunt. Verum ego cum aliis solertioribus rerum naturalium scrutatoribus primam & veram virtutis motricis & systalti-

fertim subitum terrorem; nec non cuncta fetida, maxime extinctarum candellarum fumos. Quæ alvi obstructione laborant, eam, vitatis purgantibus, per supra dicta laxantia lubricare debent, quo nomine clysteres etiam laudari merentur.

§. VIII.

Adstringentia
genera.

Quandocunque jam facta est secundina ab utero separatio, testante id sanguinis ex uteri cavo grumosi profusione, imprudenter ad abortum præcavendum ageret Medicus, si interne adstringentia propinare vellet; siquidem fœtus jam separatus vel etiam mortui retentio, & hinc ejus vel secundinarum orta putredo, atque etiam cruoris retenti coagulatio & corruptio, gravia & periculosa minatur symptomata. De quibus docte egit B. Slevogt in *progr. de partus retardati nocuentis*; dissertationi de restitutione in vitam suffocatorum, præmisso Jen. 1705. Sed præstat tunc circumspecte & prudenter fœtus excretionem promoveri. Quo nomine laudatissima efficacia pilulæ temperatæ balsamicæ, cujus generis sunt *Becheriana*, marcosinæ, aloephanginæ, item Cratonis, modo aloes succorinæ dosis imminuta fuerit, compluribus memorabilibus exemplis se utique eo commendarunt.

§. IX.

Cruetella
cyca
potum.

Ego non semel sed iterum fœminis sanguineo-phlegmaticis, a potu cerevisiæ spirituosæ & saturatoris valde nutriendis & nimias uteri hemorrhagias & frequentiores abortiones cum observaverim, insigni cum fructu & felicissimo succedente, potum aquæ simplicis vel ptisanæ quotidianum ad præcavenda hæc mala suavi sumendum.

§. X.

Abortus ob
sanguinis
or-
gasmum
immi-
nentis
tracta-
tio.

Ubi ex nimia & orgasmica sanguinis ebullitione in gravidis dolores in lumbis cum pulsum celeritate, inquietudine, & vehementiori infantis in utero motu, abortum indicare videntur, præter quietam corporis continentiam, cum tranquillâ mente & tenui diæta junctâ pulveres temperantes, qui matrem perlarant, pulverem Marchionis, nitrum purifica-

tum, solutionem oculorum cancri cum acido citri factam recipiunt, & cum aquis leniter analepticis & antispasmodicis, cujus generis sunt aqua nucistæ, florum chamomillæ, liliorum alborum, convallium, melissæ, rubi Idæi, cerasorum nigrorum exhibitæ auxilium ferre solent promptissimum.

§. XI.

Cause
la causa
motum
corpo-
ris.

Quamvis validior & diuturnior corporis motio & succussio e.g. per vesturam in non assuetis ad abortiendum occasionem non raro præbeat, at tamen in assuetis id minime locum habet; ut potius frequentior & moderatior vectura circa octavum mensem nunquam non proficua sit, etiam iis, qui in proximo parturiendi studio versantur. Nam externo corporis motu motus sanguinis progressivi vitales promoventur, humores evadunt fluidiores, & superflui ac impuri per auctam inspirationem excluduntur, obstructi quoque tubuli referantur, ut deinde & facilius partus & felicius valetudinis in puerperio status inde fiat. Exempla etiam in vulgus nota sunt, quod fœminæ, quæ laborioso motu vitam sustentant, semper tere felicius & partum & puerperii tempus peragant præ iis, quæ vitæ sedentariæ nimis deditæ sunt.

§. XII.

De Ven-
næse-
ctione
præse-
rvato-
ria.

Quoniam in fine tertii mensis solenter tere fœminæ abortire consueverunt, præsertim quæ extra graviditatem menstruis temporibus copiose per plures dies expurgantur; ad præoccupandum ejusmodi malum sanguinis missiones sunt utilissimæ. Neque ab hac sententia alienus est *Fernelius*, qui l. 2. *meth. med. cap. 12.* scribit: Multa, nimirum circa quartum mensem referretur, abortiunt; sed tale remedium etiam circa initium tertii mensis, si abortuum prodromi adfuerint, locum obtinet commodissimum. Accedit, quod cum ratione & prudenter, in gravidis, quæ plerumque in statu plethorico versantur, administrata venæsectio etiam saniores & vividiores fœtus reddat. Quod si auxilii genus omittatur, & debiliores & ad epilepsiam & ven-

itis.

tris convulsiva tormina prouiores sæpe numero infantes observavimus, cujus rei facilis potest reddi ratio: quia impuri lymphæ, quæ ex plethora salutaris excretionis impediendo gignitur, eorum corpus nutritur.

Enarrationes morborum.

○ OBSERVATIO I.

Abor-
tus, cum
infe-
quente
hæmor-
rhagia
uteri, &
molarū
excre-
tione.

Fœmina quinquaginta annorum, macilentæ ac tenerioris constitutionis aliquot liberorum mater, tertio novissime prægnationis mense ob vehementiorem terrorem, & intensus, cui se exposuit, frigus, junctæ enormi hæmorrhagiæ, & insigni virium prostratione abortivit. Ab hoc tempore perenne sanguinis ex utero continuavit profluvium, quod, licet interdum cōquiesceret, mox tamen recruduit. Præterea ingens imi ventris intumescencia, multis palpitationibus ac volutationibus intus perceptis stipata remanebat; quæ primum novæ graviditatis suspensionem movebat; dein vero, cum ultra annum inhæreret tempus, ea spes evanescebat. Tumor ille potius moxensus atque durus, mox vero mollis ac suppressus erat, pedes leviter vespertino potissimum tempore intumescabant, & in hypogastrica regione perpetuum gravitatis ac ponderis sensum percipiebat, persistente sanguinis continuo fluxu. Quo in rerum statu, cum varia carminativa, laxantia, clysteres, ac leniter constringentia in cassum fuissent adhibita, thermas tandem Carolinas adiit; quibus per triduum usurpatis, cruenta mox conquievit fluxio, & quum, continuato aquarum potu, copiosa viscida materia per alvum æque ac urinam redderetur, brevi tempore, abdominis subsedit tumor. Quamobrem ad balnea descendebat, hisque vix semel utebatur, cum vehementissimis doloribus ac spasmis, parturientium similibus corripere, ac sub iis aliquot concrementa carnea & membranacea, quæ molas dicunt, excernerentur. Ex quo perfecte cōvaluit.

Epicrisis.

Abortum naturali partu periculosiorem esse, & gravissimos ex utero morbos post se trahere, indubia constat ex-

perientia. Hujus autem rei hæc mihi videtur ratio, quod in partu ejusmodi immaturo, secundinarum quædam portio, plerumque remaneat in utero; quæ ad varia mala, inflationes ventris, dolores, mensium suppressiones, vel perpetuum fluorem, exulcerationes, molas, concretiones membranaceas, & polyposas, materialem causam subministrat & occasionem; quin & ipsa interdum inferat sterilitatem. Quod etiam in nostro factum fuisse casu, nullum est dubium. Quare ad avertenda ejusmodi vitia, non præstantius est consilium, quam ut aliquot post abortum diebus, ea propinemus remedia, quæ facultate roborandi, & uterum ab inhærentibus ipsi sordium reliquiis purgandi pollent. Hæc inter principem locum occupant pilulæ *Becherianæ*; quippe quæ continuato usu magnam in præcavendis uteri vitiis, & abortationibus præstant utilitatem. Ubi vero hæc negligentur, & enata vitia diutius trahuntur, non certius ac præsentius illis tollendis præsidium, quam ex decenti interno pariter, ac externo thermarum usu reperitur; quæ eo insigniorem exserunt efficaciam, si pilulis balsamicis secundentur.

○ OBSERVATIO II.

Fœmina adhuc junior sanguine plena, staturæ brevioris, habitus laxioris & spongiosioris, alvi ordinario adstrictioris, per quatuor jam vices, si gravida esset, semper inter tertium quartumque mensem passa est abortum. Cujus præcavendi causa, medicus consultus, circa tertium quintæ prægnationis mensem, venam in brachio secandam, & quinque cruoris uncias detrahendas curavit. Quum ordinarium abortiendi tempus, quartus nimirum mensis accederet, sensit spasmodicos motus, flatulentias, & compressiones in lumbis & abdomine, adeo ut iterum imminueret abortus. Verum datis interne analepticis cum antispasmodicis mixtis, & exterius regioni umbilicali adplicato pane tosto, balsamo vitæ meo irrorato, retinebatur fœtus. Accedente subinde septimo mense, de novo atraces circa lumborum regionem

Abor-
tus ve-
nalis-
tione,
præse-
vatus.

perci-

ca. Ex laxantibus præter dictas pilulas, usurpari potest infusum, quod paratur ex radicis aristolochiæ rotundæ, Zedairiæ, pimpinellæ, rhabarbari ana uncia dimidia, herbæ melissæ manipulo uno, florum cheiri, anthos, salviæ ana pugillis quatuor, seminis levistici, cumini, cardamomi, corticum aurantiorum, baccarum lauri ana drachmis duabus, fibrarum hellebori nigri, agarici trochiscati ana uncia semis, passulæsum minorum uncis tribus, quæ affusa vini Rhenani mensura una & dimidia, leni extrahantur calore. Deinceps balnea aquæ dulcis convenient, in quibus, ad roborandum uterum, sacculos speciebus nervinis repletos ventri adplicare juvabit, quales sunt herba rorismarini, pulegii, marrubii, artemisiæ, salviæ, majoranæ, summitates origani, serpilli, menthæ, flores chamomillæ vulgaris & Romanæ, & semina quatuor carminativa. Ubi vero balnea locum non habuerunt, summo cum fructu adplicatum vidi Emplastrum Rostingii, vix satis commendatum, quod ex lithargyrio, oleo olivarum, cera, therebinthina, oleo laurino, gummi galbano, opoponace, ammoniaco, bdellio, olibano, mastiche, myrrha, aloë & camphora, debita dosi permixtis componitur, & ossi sacro, nec non regioni pubis diutius adplicatur.

§. V.

Quoniam denique secundum aph. 12. sect. III. Hippocratis australis, aut pluviosa diuturna hyems, epidemici abortus causam ac occasionem subministrat, providere oportet medicum, ut non modo victus & vitæ regiminis ejusmodi temporibus exquisita habeatur ratio; sed & corpus liberetur a sordibus copiosis, servata liberiori perspiratione, & alvo aperta: unde ne frigida aeris tempestati corpus exponatur, nec acida aut adstringentia ingerantur alimentis, probe cavendum est. Abstinere etiam tunc præstat a cœna largiori, carnibus, placentis, omnibusque esculentis pinguioribus, quippe quæ gravidarum appetitui quidem, mini-

me vero sanitatis integritati tunc temporis respondent.

§. VI.

Quod si vero, post prævium terrorem, aut alias violentas causas, abortum imminere, ex dolore lumborum, spasmis ad uterum tendentibus, extremorum frigore, & præcordiorum constrictione cognoscatur, vena protinus in brachio secanda est, tumque spasmorum violentia demulcenda. Huic scopo inserviunt mixturæ analepticæ, blande diaphoreticæ & antispasmodicæ virtute prædita; quales confieri possunt ex aqua melissæ turcicæ, liliorum convallium, florum tilia, primularum veris, aqua cinnamomi, pulvere Marchionis, cornu cervi philosophice præparato, tinctura coralliorum, liquore nostro anodyno minerali, & syrupo acetositis citri. Extrinsecus ballamum vitæ dictum, nec non embryonum, pari tosto infusum, umbilicali regioni admovere juvat.

§. VII.

Quod si porro enormis jam facta hæmorrhagia fuerit, illa nunquam adstringentibus ac narcoticis sistenda est; quoniam ea remedia vel adstringendo, vel relaxando nimis uteri fibras, ad abortum magis disponunt. Potius, si ab ullo remedio auxilium sperandum est, id a venesectione in brachio instituta, vel medicamentis nitrosis, leniter papaveraceis, antepilepticis, nec non liquore nostro anodyno, præ omnibus aliis expectari potest. Præterea dantur etiam casus, ubi abortus, & ejus procuratio, valde salutaris, imo necessaria est, ad vitam gravidæ servandam: quando nempe enormis hæmorrhagia, mense septimo vel octavo ex utero prodit, nulla ratione sistenda, cumque animi deliquiis juncta, quam demum ipsa mors sequitur. Tunc est consultissimum, fœtum, qui plerumque mortuus est, vel medicamentis, vel manuali operatione cito expellere; quæ de re perdocta Bohnii disputatio de abortu salubri legi mere-

A' ortus
ex tem-
pestati
vicio,
quomo-
do præ-
saven-
dus.

Immi-
nens a-
bortus
quod q-
dam tra-
ctatus

Hæmor-
rhagia
aborti-
va quæ-
modo
tractan-
da.

Cautela, & monita practica.

§. I.

SI morbus acutus, continua febris exanthematica, variolosa, aut etiam intermittens abortum in gravidis minatur, instituta in principio venæsectione magnam spondet utilitatem; adeo, ut, si negligatur, dolores, spasmi, & vehementes sanguinis commotiones quam facile abortum provocare queant. Insuper summo opere a nimis calido regimine est abstinendum, & ea præbenda remedia, quæ nimiam humorum ebullitionem deprimunt. Ne etiam in declinatione horum morborum, quod non raro contigisse visum est, foetus ob alimenti inopiam expellatur, consultum est, deficientes succos nutritios iussulis carniū juniorum animantium, præsertim vitulinarum, quibus incocta sunt hordeum, radix scorzonera, & vitelli ovorum, reparare; & pro potu aquam hordei, cum aqua cinnamomi, succo citri, saccharo & vino permixtam exhibere. Hoc in casu, sanguinem vellet detrahère, foret perniciosissimum.

§. II.

Puerperas, ad repurgandum uterum, hac potissimum ratione tractare consuevi, ut præmissa, ac per tres dies continuata, per pilulas balsamicas, vel infusum laxans uterinum, evacuatione, eas per triduum in balnea descendere iusserim; tum rursus repetita purgatione, pari modo balnei usum subjunxerim; ac denique eandem methodum, si opus fuerit, tertia vice iteraverim. Ego profecto hac ratione plures, quæ ex abortu steriles fuerunt redditæ, vel informes polyposas, carneas massas, vel concrementa, ex sanguine & pituita coagulata, variæ figuræ in utero progenita, aliquot vicibus excluderunt, per Dei gratiam ad præstigiæ sanitatis vigorem optime redaxi.

§. III.

Quoniam in dysenteria abortus propter tenesimum continuū ac vehementem potissimum fit; huic primum omnium aptis remediis occurrendum, foribus nimirum emollientibus, vel injectio-

ne clysterum, qui ex meris mucilaginosissimis sunt compositi v. g. ex semine pilylii, scœnu græci, cydoniorum; vel suppositoriis ex spermate ceti, sevo hircino, cera alba, croco, & tantillo olei hyoscyami.

§. IV.

Quando pathemata hypochondriaca, vel hysterica frequentioribus causam præbent abortibus: non facilis restitutionis spes est per remedia pharmaceutica; sed omne auxilium a convenienti tam interno, quam externo aquarum thermalium usu, quo etiam sterilitas nonnunquam sanatur, expectari debet.

§. V.

Quando post vehementem terrorem metus abortionis imminet, præsertim in sanguine pleniss, & quæ jam olim huic malo fuerunt obnoxia, venam quidem secare convenit; sed cavendum simul, ne venæsectio statim a terrore instituat, si extrema adhuc refrigerata, & præcordia contracta fuerint; sed expectandum, donec natura remotis spasmodis, inceperit, sanguinem citatiori motu cordis ad extimas rursus propellere partes, alias constans docet experientia, sanguinis sub ipso motuum vigore facta detractionem, ad promovendum potius, quam coercendum disponere abortum.

§. VI.

Nonnunquam secundo vel tertio post partum menle fit, ut massæ informes membranaceæ, cum præcedente enormi hæmorrhagia & hypothymsi utero excludantur, idque decima vel duodecima septimana reperatur; unde omnis conceptionis peritio spes; quam obrem opus est, ut post abortum balnea ac pilulæ balsamicæ per aliquod tempus adhibeantur, utque uterus a sordibus ipsi inhærentibus, quæ molarum generationi causam præbent, probe purgetur.

§. VII.

Quando gravida se ab abortu præmunire cupiunt, cavere sibi debent ab acidis, a frigore, a vino, nimiaque carniū copia. Fugere etiam debent adfectuum intemperantiam, præsertim

Quomodo abortus in morbis acutis sit præcavendus.

Abortus in hysterica præservatio.

Cautela circa venæsectionem.

Cursus specia-
lior
puerperarum.

Molarum præservatio.

Abortus, qui in dysenteria suboritur, &c.
Etiologia.

Regimen gravidarum.

æ activæ vitalis, quæ in fibris, & tunicis musculosis, corde, arteriis, canalibusque viget, causam in parte subtiliori expansiva, elastica spirituosâ atmospherici aeris, cum fluidis corporis nostri intime permixta, rectissime quærendam esse duco. Nec hominem, nec ullum animal sine respiratione, sine aeris in pulmones vel sanguinem ingressu vivere posse, nullus amplius dubitandi locus est; adeo, ut subtracto aere, vel eo non renovato, vita animantis mox pereat. Atque sicut flamma candelæ inclusa vasi aere pleno mox extinguitur: ita etiam id accidit cum omnis generis animantibus: quoniam uti intestinus partium sulphurearum, quæ flammam constituunt, motus eodem modo, intestinus partium sulphurearum sanguinis, ab aeris fluido sustinetur. Ad flammam itaque pariter ac vitam conservandam renovato semper opus est aere, quo vaporibus qui refertus est, expellatur, atque recens & novus in ejus locum succedat. Causam vero respirationis, ad vitam necessariâ, si quis inde repetere velit, quod aeris ingressus in thoracem ad expansionem vasorum pulmonalium, & consequenter ad liberio rem sanguinis ex uno cordis ventriculo in alterum progressum, tantummodo summæ sit necessitatis, eum valde errare existimo: quia animantium, vel a subtracto aere, vel ab eo vaporibus nimium referto mortuorum pulmones, aperto corpore valde inflati adparent. Ego multos homines, qui suffocatione mortui fuerunt, novi, in quibus post dissectionem tota thoracis cavitas pulmonibus inflatis distenta fuit. In aere itaque, catholico illo summæ activitatis fluido, elastico, vitam seu potius ejus pabulum, imo causam quærendam esse, non sine ratione, & fundamento, veteres æque ac recentiores Philosophi affirmarunt. Divus Senex passim in scriptis suis, L. de flat. de morb. sacr. de diætâ &c. aerem sensum & motum præstare membris, & maximum in omnibus, quæ corpori accidunt, auctorem, dominum, & morborum quoque causam esse, diserte & expressis verbis asseverat: & hanc ob causam etiam in libris suis Physicis de aere, aquis, natura humana, de locis in homine &c. a natura regionum, locorum, a diversa temporum anni & tempestatum constitutione, prout aere plus vel minus salubri fruuntur, tantas mutationes in corpore humano ratione roboris, sanitatis, morborum, viriumque derivat, & ut ad hæc attendant, medicos monet summo opere: quin imo ob ean-

eandem causam sapientissimus ille & antiquissimus medicorum ad sanandos longos morbos aeris & locorum mutationem commendat, quod assertum ipsa etiam experientia confirmavit. Vero itaque simillimum est, medicum in doctrina, quæ agit de vita, morbis, eorum causis, iisque sanandis, ad causas maxime physico-mechanicas, evidentes, & rationi sensibusque obvias, sine quibus etiam id, quod præest nostræ machinæ, spirituale principium nihil agere vel operari potest, respicere, & inde demonstrationes & explicationes suorum dogmatum mutuari debere: siquidem is recte suo fungitur munere, qui causis morborum continentibus & proximis recte occurrere, & sese opponere didicit, non ad valde remotas, multo minus obscuras, abditas, & incomprehensibiles, quas inter principem animæ sibi vindicat locum, attendendo. Et ut hæc exemplo illustremus: omnibus obvium est, a graviore quodam animi adfectu, verbi gr. ira, terrore &c. gravissimas corpori nostro induci afflictiones, cujus generis sunt epilepsia, motusque convulsivi spasmodici, qui totam naturalem motuum certant æconomiam. Nihilominus in cura, non ad ipsam hanc causam remotam, sed ad proximam, quæ effectus est perturbatæ animæ, ut videlicet motus irregulares & inordinati convenienti diætæ & medicina in ordinem redigantur, humorum intemperies corrigatur, & quod vitiatum corruptumque inde fuit, ex sphaera corporis convenienti modo, & per congruas vias eliminetur, respicere oportet rationalem medicum. Hac doctrina, quæ antiquissima & HIPPOCRATICA est, & quæ pure physicis mechanicisque nititur principiis & rationibus, medicinam dogmaticam nostram & systematicam tam docendo, quam scribendo, usque eo pertractavimus, & ea etiam in conscribendo sicuti universo nostro systemate, ita quoque hoc tertio Therapeutices Tomo usi sumus; in quo potissimum de morbis, qui actiones animales lædunt, & convulsivi dicuntur, egimus, eorumque causas & modum, quo functiones secundum naturam pervertunt & turbant, clare & perspicue demonstravimus. Quos inter morbos principem fere epilepsia tueretur locum, cujus origo & genesis, & mali sedes ac causa, ejusque effectus in corpus usque eo valde obscura & perplexa latuit; & quidem ut puto, eam ob causam, quod duræ matris mechanica structura, & usus ad functiones animales, & quæ sunt in cerebro,

& ner.

& nervorum systemate, nec anatomice nec physice recte cognita perspectaque fuit. Quod videlicet illa, ut VIEUSSENS in *Neurol. Lib. I. cap. II.* & TACCHIONIUS *tr. de dura matre, & in epist. ad Doctorem Vesti*, Venetum medicum, probe annotarunt e duplici serie fibrarum musculo-tendinosarum, obliquo modo sese intersecantium, & decussatim sibi invicem intertextarum composita, musculum sui generis membranaceum constituat; qui dilatatione sua sanguinis introitum in arterias cerebri adjuvat, & qui alternativa sui constrictione, cerebrum ejusque vasa comprimendo, subtilissimum fluidum, e sanguine secretum, in corticalem ejus substantiam, & ab hac in tubulos nervorum medullares exprimit & propellit, adeo, ut dura sic dicta mater cerebrum & nervos involvens sit primum illud motus progressivi fluidi, quod in nervis est, instrumentum; sicut cor ipsius sanguinis, dum nimirum motu gaudens systaltico & diastaltico sanguinem per totum corpus circumagit. In morbis itaque gravioribus capitis, cerebri & nervorum, hanc partem quam maxime præter naturam & quidem, vel a sanguinis nimia ibidem congesti mole, stagnatione, vel ejus intemperie stimulantè salina, acri, caustica affici, certissimum est: unde illius actio & functio naturalis variis modis, sive ab intensione motuum, nimirum spasmo, sive ab atonia, aut remissiori & languescente motu læsa, gravissimos universi corporis spasmodicos ac convulsivos parit morbos. Neque ibimus inficias, graves illas animi perturbationes, ut est vehemens ira vel terror, immediate & proxime in principem hanc actionum animalium partem, duram nempe matrem, hostilem suum effectum & potentiam exferere: unde graves generis nervosi capitisque morbi suam trahunt originem: & sicut per hos affectus systole ejus nimis augetur, seu spasmus inducitur; ita diuturna animi tristitia & angor hanc virtutem systalticam nimium imminuendo, & relaxando fibras, morbis producendis aptissima sunt. Et hoc maxime obtinet in iis morbis cerebri gravioribus, nec non convulsivis, qui universam motuum œconomiam perturbant. Aliter se res habet in morbis convulsivis certarum partium v. g. cordis palpitatione, singultu, vomitu, asthma convulsivo, tussi &c. ubi ipsæ partes motu systoles & diastoles instructæ immediate a causis materialibus præter naturam læduntur & afficiuntur; motus vero voluntarii salvi manent

ac integri. Horum singulorum morborum & symptomatum genefin & rationalem explicationem, summa facilitate & perfpicuitate, quantum in nobis fuit, in hoc Tomo perfequuti fumus, & fecundum cauffarum & naturarum differentiam ex indicantibus, & contraindicantibus, genuinum medendi ordinem, ac convenientem remediorum adplicationem cum neceffariis observationibus, & cautelis fpécialiffimis adjunximus: & denique clinicis morborum hiftoriis, candide & ingenue adductis, doctrinam noftram illustrare laboravimus. Quifque hinc diligens & peritus Lector facile perfpiciet, quanta observatione, quanta attentione, quantoque judicio opus fit, pro circumftantiarum ratione falubre & appofitum remedium invenire & recte adplicare, ne contra noftram voluntatem, quod proh dolor! perſepe evenit, plus noceamus, quam proſimus. Quemadmodum vero in doctrina medica, ita quoque in medendi methodo, antiquiffimum medicinæ parentem ſequuti fumus; quæ, ut rem in compendio proferam, in eo confiftit, ut cauffis evidentibus atque proximis, quæ vel numero five quantitate, vel menſura five qualitate, vel pondere five motu peccant, probe cognitis circumſpectisque, juxta definitionem ab HIPPOCRATE *L. de Flat.* traditam, ratione quantitatis, temperiei atque motus, quæ ſuperflua ſunt, auferamus, & quæ in his deficiunt, per congrua adjiciamus medicamina. Recte enim dixit gravis ille auctor, medicinam nihil eſſe, niſi adpoſitionem & ablationem: adpoſitionem quidem eorum, quæ deficiunt; ablationem, quæ excedunt; & addidit, illum, qui hoc optime facere poteſt, optimum cenſeri medicum; quantumque quiſpiam in eo deficiat, tantum ab ipſa arte deficere. Sicut igitur ſanitatem, five integritatem ac vigorem actionum humanarum, in eo potiſſimum ſitam eſſe obſervamus, ut novo ſemper aere, novisque reficiamur alimentis, atque ut excreta ingeſtis nunquam non reſpondeant: ita e contrario ab ingeſtis vitiſis, & eorum, quæ excerni debebant, retentione, materiales morborum cauffas progigni tam certum eſt, quam quod certiffimum. Quoties enim cunque ſagax medicus primam morborum originem inveſtigare geſtit: nullum eorum, niſi a retentis per alvum, per urinam, per tranſpirationem ſordibus excrementitiis, & ſuppreſſis inutilium atque ſuperfluatorum, quin etiam ſanguinis excretionibus v. g. per vaſa uterina, hæmorrhoidaliam,

dalia, & in juvenili ætate per nares, aut sordibus, quæ per cutim
 effluerunt, improvide expressis, oriri animadvertet. Præcipuum
 itaque sicut naturæ, optimæ morborum medicatricis, ita & sequa-
 cis artis opus est, ut debito modo, ordine, tempore, congruoque
 loco excrementa morboseque materiae e corporis sphaera per
 convenientes removeantur medicinas; cujus generis sunt sangui-
 nis detractio per venas & cucurbitulas, aliarumque sordium eva-
 cuatio per alvum, per vomitum, per urinas, per sudorem, & tran-
 spirationem, per abstinentiam, per motum, per vesicatoria, fon-
 ticulos, fetacea, & id genus plura; de quibus, eorumque usu, an-
 tiquissimi medicorum, & in iis HIPPOCRATES atque CELSUS *Lib. II.*
 fusius egerunt. Ad hanc salutarem materiae perniciosæ excretio-
 nem juvandam, permultum profecto sic dicta alterantia, quæ mo-
 bilem & ad evacuationem opportunam reddunt materiam, viasque
 simul respiciunt, & has obstructas referant, contribuere deprehen-
 duntur. Et cum motus denique solidarum pariter ac fluidarum
 partium, qui formale morborum constituunt, vel nimis aucti, vel
 nimium depressi sunt, eoque ipso curationis successum mirum
 quantum sæpius remorantur: præbuit quoque ea benignissimum
 Numen nobis remedia, quæ non modo vires motusque languen-
 tes erigendi ac resuscitandi, verum etiam excedentes placide con-
 sopiendi, reprimendique egregia pollent efficacia. Hac itaque
 simplici, facillima, antiquissima, naturali, & humanæ rationi
 ac experientiæ convenientissima physico-mechanica methodo, nos
 usque eo, ut in omnibus morbis, ita quoque atrocibus illis & terri-
 bilibus generis nervosi, de quibus præsens agit tomus, affectibus
 sanandis, non sine prospero sub divina gratia successu usos fuisse,
 attentus, ab omnibus præjudiciis vacuus, & qui veritatem sine
 ambitione sectatur, lector perspiciet clarissime. Vale, Lector
 benevole, hisque feliciter frui: si Deus suppeditabit vitam, vi-
 resque, hunc Tomum mox sequetur quartus & ultimus.

CONSPECTUS CAPITUM,

Q U Æ

HOC TOMO CONTINENTUR.

Sect. I. Cap. I. De Epilepsia	pag. 1
II. Motibus convulsivis	26
III. Motibus spasmodicis vagis	44
IV. Catalepsi	61
V. Malo Hysterico	71
VI. Malo Hypochondriaco.	94
Sect. II. Cap. I. De Palpitatione cordis	128
II. Asthmate convulsivo	146
III. Tussi rheumatico-convulsiva	173
IV. Singultu	195
V. Spasmodicis œsophagi morbis	209
VI. Vomitu	224
VII. Dysenteria	245
VIII. Cholera & diarrhoea biliosa	268
IX. Abortu	289

C A P U T I. D E E P I L E P S I A.

§. I.

Ratio
denomi-
nationis
varia
epilep-
siam.

Inter tot calamitates & afflictiones, quibus genus humanum post tristem & miserum lapsum subinde infestatur, nulla mihi ferocior, nulla tristior, nulla terribilior videtur, quam universalis illa externarum partium præter voluntatem concussio, & vehemens agitatio, cum sensuum tam interiorum, quam exteriorum interceptione stipata, quam vocant epilepsiam. Non enim solum sub hoc diro malo corpus variis, iisque indignis plane deformatur modis: sed etiam ipsa mens ac animus e sede sua quasi dimovetur. Hic quoque horribilis ægotantium aspectus, & insignis symptomatum vehementia causam querentibus offert, cur veteres hunc morbum *κρίσηξ* dixerint magnum, Herculeum, Divinum atque sacrum. Dicitur enim magnus atque Hercules ob suam vehementiam, & quoniam vix superari arte humana potest; Divinus, quasi a Diis in vindictam missus, & opem humanam eludens; & denique sacer, quod sacram corporis partem, mentisque, quæ sanctissima est, sedem occupat.

§. II.

Definitio
epilepsie.

Sed ne in nominibus subsistamus, agrediamur rem, & epilepsiam describimus, quod sit invita, præternaturalis, ac summe violenta partium nerveo-membranosarum, hinc musculosarum & totius corporis concussio convulsiva, cum sensuum abolitione stipata, a membranarum cerebrum, spinalem medullam, ac nervos cingentium spasmodica strictura, & hinc fluidi mobilissimi

impetuosiori in organa motoria, par-
tiori in sensoria influxu, natales suos
mutuans.

§. III.

Progressus hujus morbi una cum
symptomatibus ita se habet. Interdum
subito & præter omnium opinionem
invadere solet; unde Græcis epilepsia
dicitur; sæpius vero illius accessionem
præcedunt, atque significant quædam
symptomata. Horum potissima sunt:
totius corporis lassitudo, capitis grava-
tivus dolor cum quadam sensuum per-
turbatione, inquietus somnus, insolitus
pavor, visus obtenebratio, aurium
tinnitus: in quibusdam cor incipit val-
de palpitare, præcordia instantur, res-
piratio intercipitur, murmura sentiuntur
in ventre, alvus emittit fœtida; urina
mingitur larga, artus refrigescunt: in quibusdam a partibus extre-
mis auræ frigida ascensus ad superiora
versus cor & cerebrum percipitur. Tum
quidam subito in terram concidunt
(unde morbus caduci etiam nomine
venit), pollices arctissime intra volas
manuum includuntur, ut vix magna
vi extrahi possint, oculi contorquen-
tur, invertuntur, ut non nisi album
conspiciatur, perit omnis sensatio, ut
nullo clamore, nullo odore, utut forti-
ori, nullo tactu acutiori excitari
possint; spuma cum sibilo ex ore pro-
venit, lingua dentibus laceratur, ar-
tus vehementer tremunt, & succu-
tiuntur. Variantur vero & convulsio-
nes, & sensuum læsiones tam gradu,
quam specie: nam interdum loco mo-
tuum convulsivorum spasmus valde ri-
gidus membra corporis totius prehen-
dit,

Morbi
histo-
ria.

dit, ut hæc distenta nec per vim explicare liceat, ac totum corpus subinde tam rigidum sit, haud secus, ac filigineam statuam quis movere velit. Erigitur quoque penis in infantibus; in adolescentibus semen ejicitur, & sapius urina ad magnam distantiam prorumpit. Tandem horum symptomatum sequitur remissio; ut longiori vel breviori intervallo ad se redeant; tum vero adhuc de dolore, torpore & gravitudine capitis, omniumque artuum lassitudine conquerantur. Qui ulterio-
COELIUM AURELIANUM Lib. I. Cap. IV. & ARETEUM Lib. I. Cap. V.

§. IV.

Paroxysmorum ratio.

Ipsi hujus mali paroxysmi, qui pro-
 caussarum ac corporum diversitate vel crebriores aut rariores, vel longiores aut breviores sunt, plerumque certa temporis periodo, certis diebus aut horis, vel etiam mensibus, circa lunae mutationes & quadras, præsertim novilunium & plenilunium, maxime in sequiori sexu circa mensum tempus revertuntur; & quod maximum est, a levi sæpe causa & occasione, e.g. a quavis subita animi perturbatione, terrore, iracundia, repentina lætitia, a seria animi contentione & meditatione, a potu inebriante, a nimio calore vel frigore, vel veneris exercitio, protinus recrudescunt.

§. V.

Subjecta epilepsia.

Neque vero ignorari oportet, nullam esse ætatem, in quam frequentius epilepticum malum tyrannidem suam exerceat, quam infantilem, adeo ut a nonnullis eandem ob rationem vocetur morbus infantilis ac puerilis. Hinc crebrior attestatur experientia, maximum numerum, & dimidiam ferme infantum partem singulis annis in quavis urbe convulsionibus vel a dentitione difficili, vel a gravibus intestinorum torminibus, quæ meconium retentum aut lac corruptum prodixerunt, subortis interire. Et omnes ferme infantum

morbos, sive fuerint chronici, sive acuti, præsertim vermibus complicatos, plerumque cum epilepticis ac convulsivis stipari moribus, in propatulo est; si-
 curi vel solo morbillorum aut variolarum exemplo luculenter patet. Præterea nec fugiet eos, qui in frequenti artibus versantur exercitio, feralem huncce morbum subjectis spongiosioris, mollioris ac succulentioris corporis habitus, texturæque tenerioris, & tam animi quam corporis ratione sensibilibus longe esse frequentiore, quam iis, quæ robustiorem obtinent naturam. Testantur id rusticorum liberi, qui sub variolarum exclusionem, a lacte per cibos animique pathemata corrupto, & sub dentium eruptione non tam facile epilepsia corripuntur, quam infantes sensibiliores, teneriores, in urbibus delicatius enutriti.

§. VI.

Neque est ullus morbus magis gentiliter, & qui tam facile a parentibus in liberos devolvitur, quam epilepsia: cujus fundamentum in partium nervosarum & membranacearum textura nimis sensibili & ad motus anomalos suscipiendos admodum apta, hæreditario jure ad infantes propagata collocandum est. Neque porro minus illi, qui caput a natura vel errore in diæta commissio a primis annis valde debile & imbecille habent, atque coryza, oculorum ac aurium defluxionibus, glandularum colli tumoribus, achoribus & capitis tinea crebrius divexantur, vel in puerili ætate frequentes patiuntur navium hæmorrhagias, præ aliis insignem ad epilepticas passiones obtinent proclivitatem.

§. VII.

His prælibatis, ad causam atque sedem mali epileptici transgrediendum est. Hanc in cerebri læsione sitam esse, nemo est, qui in dubium vocabit: in quo vero consistat hæc læsio, & quomodo producatur, id hæcenus minus distincte explicitum deprehendi. Quibus religionis semper placuit præteritus, illi *θεός* appellare haud veretur,

Quæ sæpius est hæreditaria.

Audiam opiniones de causa epilepsia.

tur, quasi satis esset in Deum rejicere, quæ intellectui claro ac distincto, vulgarique principiis haud adeo respondent: alii vero ad venenum inebrians, & narcoticum sive stupefactivum; alii ad fermentum specificum; alii ad materiam acrem nervos irritantem; alii ad violentiam spirituum animalium vim explosivam in fibris muscularibus & nerveis existentem confugiunt: quidam in furorem Archæi; alii in turbulentum & confusum principii vitalis seu animæ rationalis motum causam rejiciunt. Sed hi medici fere sunt, qui non res, sed nomina pro causis habere sueverunt, quorum in adplicatione & demonstratione nullus omnino est usus. Qui vero causas, sensibus manifestas præ commentitiis allegare amant; illi CAROLI PISONIS doctrinam sequentes, colluviem feri vitiosi poros cerebri vel obstruentem, vel æqualem fluidi nervei in partes influxum remorantem pro vera epilepsiæ agnoscunt causam.

§. VIII.

Vera
mali ca-
pilepti-
ca caus-
sa.

Nos vero ex physico-mechanicis causis gravissimum hunc capitis affectum a fluidorum motu atque circulo per vasa cerebri minus recte se habente derivamus. Quemadmodum enim, si sanguinis temperati per cerebri vasa liber & æquabilis progressus fuerit, & hinc debita lymphæ spirituosæ secretio, & per nervos distributio, omnes utique functiones, quæ animæ imperio subjectæ, & animales vocantur, recto succedunt ordine: ita e contrario in omni, eoque gravi capitis morbo, ubi sensationum & motuum voluntariorum, ingens observatur læsio, sicuti quam maxime fit in malo epileptico, sanguinem per caput haud expedite progredi, rectissime colligitur. Atque hoc est, quod jam olim antiquissimus artis nostræ auctor HIPPOCRATES notavit, dum libro de flatibus §. 21. ita scribit: *Sacer morbus fit, cum obstructions multis modis circa venas contingunt, & sanguinis motus prohibetur, atque alio quidem loco confi-*

stet, alio lentius penetrat, alicubi autem citius: quæ sane inequalitate transitus sanguinis per corpus facta, omnigenæ inequalitates per omne contingunt corpus. Quæ sane gravissimi Senis sententia ita est comparata, ut nostro tempore, detecto sanguinis circulo, tanquam scientifico totius medicinæ principio, ex eo non aptius epilepticus morbus, quoad ortum & causam evolvi & explicari possit.

§. IX.

Quum vero circulus humorum per caput atque cerebrum peculiarem præ reliquis partibus obtineat indolem: haud alienum erit, pauca de illo commemorare, ut ipsi innixa epilepsiæ æthiologia eo melius innotescat. Primum enim haud ignorari oportet, quod arteriæ, quando caput ingrediuntur, tunicam suam robustiorem deponant; & membrana dumtaxat tenui, sensu & motu carente dotata, in intimam corticalem cerebri & cerebelli substantiam distribuatur, ut scilicet spirituosam lympham ad motum edendum aptam & necessariam, quæ ad nervos & membranas nervosas defertur, separent; sanguis vero relictus per sinus venosos in dura matre, mediantibus venis jugularibus, ad cor seu motus circularis fontem revehatur. Deinde vero, notatu digna est singularis plane doræ sic dictæ matris structura; quæ ex peculiari fibrarum nervearum & muscularum apparatu composita est: quarum hæ tam linea recta quam obliqua feruntur, & circa sinus duos laterales magis arcuatæ & circulares deprehenduntur; illæ vero nerveo-carneæ instar columnarum ab uno pariete in tribus sinibus majoribus dissectis ad alterum abeunt, ubi cellulæ quoque ovales secundum venarum seriem, quæ illos ingrediuntur, dispositæ conspiciuntur: quæ fibræ non modo impediunt, quo minus ab irruente sanguine sinus plus justo dilatentur; sed & id efficiunt, ut cum successive sese contrahant, san-

De circulo
humorum
per
caput.

guinis progressus ad venas jugulares & cor promptior fiat, & expeditior. Columnarum autem officium est, ut sanguis rediens paullo crassior, & subtili lymphâ destitutus melius conquassetur: & cellulae denique sunt instar valvularum, quae impediunt, quo minus elapsus cruor regredi, atque eadem vasa rursus intrare possit. Hæc plane peculiaris & artificiosissima sinuum venosorum fabrica clare satis demonstrat, hos ipsos ad promovendum sanguinis versus cor circulum, eodem ferme systoles ac diastoles motu, haud secus ac arterias vel cordis auriculas omnino gaudere.

§. X.

Dura mater gaudet motu systolico ac diastolico.

Præter hunc singularem sinuum venosorum motum, insignis quoque duræ matri motus tonicus, seu potius elasticus ascribendus est; qui in omnibus reliquis corporis nostri nervo-muscularibus tunicis & membranis, quæ influxu liquidi nervi & arteriosi animantur, viget. Hujus etenim membranæ, quæ non solum cerebrum atque cerebellum, verum etiam medullam spinalem, & omnes machinæ nostræ nervos tegit, ambit & cingit, motus dilatatorius & restrictorius haud tantum ad sanguinis per caput circuitum, sed quoque meliorem fluidi spirituosum, in nervis undulantis secretionem promovendam, egregium sane confert momentum. Nam quodcumque pulsu arteriarum cerebri hæc membrana elastica elevatur & expanditur; tubuli nervorum ad recipiendum subtilius fluidum magis redduntur idonei: quando vero post expansionem, dum proprio suo elatere, qui per appulsus sanguinis arteriosi, ex tribus insignibus ramis, carotide nimirum interna, externa, atque vertebrali advecti, non minus ac influxu fluidi nervosi adaugetur, rursus sese constringit, corticem cerebri quodammodo comprimit; tum fluidum tenuissimum ex eo in substantiam medullarem, & nervorum principia eo melius propellitur. Hi

ergo tam duræ matris, quam sinuum ejus majorum motus, systolici & diastolici reciproci, ubi sunt æquales, & convenienti fiunt modo, recte se habet circulus sanguinis per caput, atque ab eo dependentes functiones optime peraguntur: cum contra ab hisce motibus læsis graves capitis morbi propullulent. Quæ omnia apud BAGLIVUM, qui primus solidorum naturam & motum in pathologia introduxit, *Lib. I. de fibra matrice p. 295.* fufius declarantur.

§. XI.

Quodsi ergo sanguis crassus vel etiam copiosus intra duræ matris sinus stagnaverit; motus illius systolicus, & ab eo pendens regressus ad cor facile impeditur; & hinc major, quam par est, sanguinis per arterias advecti copia ibidem congeritur, ut nunc non amplius subtilissimæ æthereæ particulæ, sed rudiores, aqueæ & aereo elasticæ magis expansivæ indolis, sensus & motus omnino turbantes, in cerebri ac nervorum tubulos transeant. Ab hoc autem porro sanguine in sinibus duræ matris & venis jugularibus stagnante, vasa nimium dilatantur, hinc nervosæ fibræ comprimuntur, & inde strictura spastica nervosæ huic membranæ insertur, quæ proxima ac principalis mali epileptici causa est. Nam hæc ipsa ejus est indolis, ut tenuissima pia matris arteriosa vascula, & corticalem cerebri substantiam nimis comprimatur: unde præter voluntatis imperium fluidum illud subtilissimum copiosius & majari impetu in cerebrum & nervorum tubulos influit. Quoniam autem dura mater, om-

Causa proxima mali epileptici.

Ratio symptomatum epileptici.

Quum autem ex hoc auctiore

duræ matris spasmò, nervi potissimum, qui ad sensoria abeunt, fortiter constringantur; ut omnis fere liquidi tenuissimi influxus intercipiatur: fit inde, ut in perfecta ac completa epilepsia omnes tam interni, quam externi sensus cessent. Contra vero, ad organa motoria major atque vehementior fluidi huius mobilissimi fit impulsio atque influxus: & hinc terribilis illa artuum & musculorum distensio, contractio, succusio & agitatio erit deducenda. Præterea certo constat, par nervorum octavum, quod & vagum dicunt, ex cerebro ad præcipua interna viscera, partesque nerveas, ad motum & sensum præstandum aptas, ramos suos dispergere: in quos dum fluidum nerveum majori nisu ac vehementiori impetu influit; partes quoque istæ sub paroxysmo in motuum præternaturalium ac violentorum consensum rapiuntur: hinc cor incipit palpitare, arteriæ celeri & inæquali cientur motu; respiratio fit suspiciosa cum sibilo, salivæ fluunt ex ore, vox perit, murmuraque & borborygmi in intestinis sentiuntur.

§. XII.

Ex his adparebit, in omni epilepsia præsto esse membranæ cerebrum, medullam spinalem, ac nervos investientis stricturam, seu causam illius proximam. Prout vero causæ remotiores, quæ hanc stricturam inducunt, ac circulum humorum per cerebrum & caput inæqualem reddunt, admodum sunt variae: ita quoque diversæ species ac denominationes motuum epilepticorum exsurgunt. Hinc innotescit differentia epilepsiæ in idiopathicam & symptomaticam: quando enim causæ intra ipsum cerebrum existunt, nec aliorum proveniunt, tum dicitur idiopathica; contra cujus causæ ex aliarum partium vitio demum ad caput transferuntur, ea audit symptomatica.

§. XIII.

Idiopathica nascitur sæpius ab externa violentia. Res enim apud medicos æque ac chirurgos notissima est, quod a gravioribus capitis & cranii per vul-

Hoff. Syst. Tom. VI.

nerationem, fracturam, percussione, depressionem indutis læsionibus frequentius graves, quin nonnunquam lethales proveniant epilepsiæ. Præcedunt tum plerumque capitis dolor, atque sensuum torpor: & post mortem vel sanguis, vel serum corruptum stagnans inter duram & piam matrem, vel cranium inter & duram matrem, vel festucæ duræ matri inflicte inveniuntur. Sæpius etiam fit, ut epilepsia chronica certa temporis periodo recurrens, a spinis acutis ossibus interne in basi cranii, interdum etiam in sinu falciformi vel lateralibus enatis, quæ curari nequit, excitetur: interea tamen ars impedire potest, ne ex nimio motu sanguinis, cerebrum ita disponatur, ut pressio ejus contra spinam sit tam magna, ut inde oriatur insultus epilepticus.

§. XIV.

Ad causas epilepsiæ idiopathicæ atque lethales referri quoque meretur obstructio venarum jugularium, vel etiam sinuum duræ matris, præsertim falciformis, a sanguine viscido, aut polyposis concrementis enata. Ejusmodi tria mihi innotuerunt exempla, & plura apud BONETUM in sepulchreto anatomico passim occurrunt. Huc etiam spectat observatio a SPONIO in aphor. Lib. II. aph. 19. allegata, qua quidam primum somnolentus, post epilepticus factus, & hinc mortuus, aperto cranio monstravit in varis venarum jugularium ramis obstructions a muco viscido & tartareo tantas, ut gypso infarcti viderentur; & præterea cruor in ventriculos cerebri fuit extravasatus. Non minus, si capitis morbis vel acutis, ut phrenitidi, vel chronicis, veluti mania & melancholia jungitur epilepsia, tales vasorum infarctus a sanguine subsistente crasso post mortem reperiuntur: qualis epilepsia, mea quidem sententia, rectius refertur ad idiopathicam.

§. XV.

Porro inter causas idiopathicæ epilepsiæ, animi affectus, maxime ira at-

Chronic
nica
idiopathica.

Ab ob
structi
onibus
vasorū,
ac pol
ypis.

Ab ani
mi
que

Diffe
rentia
epile
psiæ
idiopa
thicæ
& sym
ptoma
ticæ.

Epile
psia
idopa
thica
& causa

que terror, haud ultimum sibi vindicant locum. Hi enim proxime & immediate in nervosas corporis partes & membranas, eas vel fortius constringendo, vel plus justo dilatando agunt; & in universa machina vitalem motuum economiam invertunt. Sed id sane mirabile est, quod a gravi animi effectui vitium in fluidas etiam transeat partes: quemadmodum nutrices suo attestantur exemplo, quæ ira vel terrore graviter commotæ, si statim ubera præbuerint infantibus, hi sæpius haud ita multo post epilepsia corripitur observantur. Quin imo haud rarum est, quod infantes, si matres gravidæ sævioribus indulserint animi commotionibus, primis ætatis annis facillime fiant epileptici. Porro complures hinc inde apud auctores consignatæ reperiuntur observationes, quoddam ex solo aspectu epilepticorum, qui graves passi fuerunt insultus, tanto correptos fuisse terrore, ut mox in eundem inciderint morbum. Vehemens quoque rei venereæ desiderium a femine copioso abortum, ob castitatem tamen suppressum, gravem hunc epilepticum affectum provocandi potentiam habere, plurimis notatu dignis confirmari potest exemplis. Fœminas pariter, alias castissimas ab insano amore in hoc malum incidisse, cujus optimum tam præservatorium, quam curativum remedium conjugium fuit, res identidem per observationes certa atque confirmata est.

§. XVI.

Sæpiissime ortus mali epileptici est sanguinis serosi impurioris nimia & impetiosa translatio ad caput in corporibus cachecticis, hypochondriacis, & ubi ventriculus & intestina spasmodicis sunt repleta, eorumque peristaltis naturalis cum debitis se & excretionibus valde læsa ac perversa est. Quando enim cunque in antecedentes & epilepticæ, & aliarum cerebri graviorum ac inveteratarum passionum causas inquirimus: plerumque ejusmodi ægrotantes vel hypochondriacos, & hæmorrhoidarios, vel melancholicos,

vel cachecticos fuisseprehendimus. Tum ut plurimum sanguineas excretiones, quæ in viris per hæmorrhoides, in fœminis per menses fiunt, aut parciore, aut nimias huic diro malo viam stravisse, innumera auctorum observationes, & quotidiana experientia attestantur. Qualis epilepsia recte vocatur symptomatica, serosa, hypochondriaca vel cachectica: quæ certis plerumque periodis, sicuti ceterorum ex spasmodicis primarum viarum oriundorum morborum mos fert, adoritur.

§. XVII.

Ejusmodi symptomatica vero epilepsia non tantum a sanguine vel sero tenaci, copioso, in vasis subsistente, ea obstruente, & totum liquidorum circulum turbante oritur: sed etiam a materia impura, acri, caustica ad duram matrem per sanguinem arteriarum serolum delata, fibras nerveas lancinante, & ad spasmos proripiente producit. Hoc contingit in chronicis æque ac acutis ægitudinibus. Quem enim fugit, quod tale acre ac corruptum serum in febribus exanthematicis, petechialibus, variolis, morbillis, purpura, vel ante macularum ad cutem propulsionem, vel post earum retrocessionem, firmiter duræ meningi impactum, durum illud, & in fine morbi funestum plerumque excitet malum epilepticum? Et idem denique fieri a consolidatis antiquis ulceribus, retropulsa scabie, vel alia cutis descædatione, achoribus & tinea capitis perperam curatis, intus nimirum acta vitiosa materia, innumeris exemplis confirmatum est.

§. XVIII.

Datur adhuc quadam epilepsie species, quæ vocatur sympathica, & vehementioribus aliarum partium nervosarum doloribus atque spasmodicis, per consensum ad duram usque matrem propagatis supervenit. Quid enim crebrius contingit, quam ut infantes ex dentitione difficili in epilepsiam incendant? quid frequentius, quam ut in personis sensibilibioribus graviore odontalgia, aut atrociori otalgia superveniat

Species
epilepsie
symptomatisæ.

Epilepsia
sympathica.

Epilepsia
sympomatica,
serosa,
hypochondriaca
atque
cachectica.

niat epilepsia? Ventriculi etiam se-
vioribus spasmodis, praesertim, qui a vene-
nis causticis, emeticis vel purgantibus
improvidè sumtis, aut immoderationi
ina proficiuntur, tandem epilepsiam
ut plurimum funestam subungi notissi-
mum est. Talis enim chronica ac pe-
riodica epilepsia ortus sapissime est in
ventriculo, vel etiam intestino duode-
no: in quibus partibus dum humor bi-
liosus, & salivalis peregrina fermenta-
tione corruptus hospitatur: ille certa
temporis periodo in motum actus, pri-
mum cardialgiam, syncopiam, & de-
mum ipsam epilepsiam, quæ tum ple-
rumque habitualis est, per consen-
sum excitat. Neque minus gravioribus
intestini ilei vel coli doloribus atque
spasmodis associari motus epilepticos, vel
infantium lactentium exemplo patet;
qui ejusmodi atrox malum ex lacte
acido, corrupto, intestinorum mem-
branas arrodente, & feces alvinas viri-
di afficiente colore sæpè numero expe-
riuntur. Porro haud exigua sunt exem-
pla, ubi a gravi dolore ex calculo in
ureteribus, vel introitu in vesicam hæ-
rente, epilepsia in ætate etiam prove-
ctiori excitatur: quæ hinc vocari me-
ratur nephritica. Non minus in puer-
peris ex vitio uteri, aut mensium vel
lochorum retentione, vehementes
primæ partium vicinarum ac intesti-
norum spasmi, tum ipsa epilepsia acce-
dere observatur; quæ hinc audit hyste-
rica. Et nihil ferme est frequentius,
quam quod ex lumbricis, tunicas inte-
stinorum nerveas vel arrodentibus, vel
dum mortui sunt, vaporosa sua putri-
lagine vellicantibus, in pueris præser-
tim horrendis motibus complicata sub-
oriatur epilepsia, verminosa nomine
digna. Talem denique ex morfu canis
rabidi quoque concitari, plurimæ do-
cent medicorum observationes.

§. XIX.

Quod tandem causas mali epileptici
remotiores attinet; illæ erunt fere,
quæ insignem debilitatem & atoniam
fibris membranaceis & nervosis inge-
nerant, & tonum ac elatorem valorum

labefaciunt. Quamvis enim epilepsia
causa proxime ac formalis in spasmo
magis, quam atonia consistit; attamen
quia leges motuum, qui sunt in ma-
china nostra, ita sunt comparatæ, ut
nimiam fibrarum elasticarum constri-
ctionem & spasmum, demum nimia
atoniam, & hanc humorum congestio
sequatur, congestionem vero spasmus
excipiat iterum: non mirum est, quod
causæ tonum & robur partium infrin-
gentes, ad spasmodicas stricture & ac-
cessionum frequentiores recursum om-
nino contribuant. Ad hæc vero causæ
ex classe rerum non naturalium per-
tinet, vappidi & præsertim noxiosissi-
mo carbonum fumo repleti aeris ulus,
aut si quis in locis declivioribus, humi-
lioribus, minus transpirabilibus dor-
miam: inter cibos, qui insunt, caput-
que vaporibus replent, ut sunt allii,
ceparum, apii species, fructus horrei,
item dulcia fermentescibilia: inter po-
tulenta, immoderatio vini, præser-
tim vaporosi & fumo sulphuris infecti,
aut cerevisiarum crassiorum valde lu-
pularum potatio, & inde orta fre-
quens crapula & ebrietas; ex medica-
minum autem penæ, narcotica, opia-
ta, item valde odorifera, generationi
horum morborum mire velificantur.
Huc etiam pertinent immoderatiores
sanguinis effusiones, sive per nares,
sive per venas uteri aut sedis, quæ mire
debilitant, & robur partibus subtra-
hant, atque adeo corpus multis excre-
mentitiis serosis replent particulis. Cæ-
terum immoderatio & intempestivus,
primis in annis celebrata veneris ulus,
diuturnior quoque tristitia, intempe-
rantia in studiis, seriisque mentem fa-
tigantibus cogitationibus, ob summam
debilitatem, quam generi nervoso in-
ferunt, ad hoc malum mirifice dispo-
nunt. Vidi juvenem, qui quoties at-
tentius litterarum studiis incumbendo,
memoriam & ingenium fatigabat, to-
ties momentanea quasi epilepsia, cordis
palpitatione, spirituum distractione ac
ecstasi corripiebatur. Ad studiorum vero
remissionem placide semper se habebat.

Epile-
psia.

Nephri-
tica.

Hyste-
rica.

Vermi-
nosa.

Capitulum
epile-
psia re-
motio-
rum.

§. XX.

Prognosis salutaria.

Missa vero ulteriori caussarum disquisitione, paucis prosequemur mali epileptici prognosin. Et hinc per antiquissimam, & ipsius HIPPOCRATIS Sect. III. aph. 28. experientiam cognitum est, quod pueris hic morbus solvatur circa annum septimum, decimum quartum aut septimum, annos nimirum pubertatis; se minis autem circa tempus menstruum eruptionis, quod est annus decimus quartus: quibus annis ingens in æconomia vitali deprehenditur mutatio. Non minus epilepsias chronicas non modo mutatione ætatis, sed & locorum, diætæ & vitæ generis, sine remediorum ac medicorum ope sponte sanatas fuisse, crebris constat observationibus. Perite scripsit HIPPOCRATES Sect. II. Aphor. 45. Juvenibus comitialium liberationem, mutationes maxime ætatis & regionum & victuum inferre. Huc etiam spectat, quod superveniente quartana febre sicut aliæ graves passionēs, ita etiam convulsivæ ac epileptice penitus tollantur; rectissime id observante HIPPOCRATE Sect. IV. aph. 70. item lib. VI. epid. §. 16. Intermitteutes enim quando rite tractantur, corpus a colluvie vitioforum humorum liberant & expurgant, & purius ac siccius efficiunt. Id quod etiam congrua medicamenta præstare debent. Neque etiam ignotum est, prodeunte in extimam cutim scabie, vel alia exulceratione; vel aliis exanthematibus, veluti in variolis, morbillis, purpura ad summam cutim propulsis, hoc dirum symptoma remittere, vel plane cessare. Spes ergo sanationis haud penitus est abjicienda, quando malum hoc non diu duravit, ejus insultus haud adeo longi sunt, ipsum malum haud est hæreditarium, ætas potius puerilis; aut si ex vitio primarum viarum, vermibus, malo regimine, vel perperam curato subcutaneo morbo provenit. Neque desperandum est, si levior est epilepsie gradus, & æger imminentem accessionem per sentit per sensum auræ frigidæ, ex partibus extremis ad dorsum, præcordia, caput ascendentis,

quem anxietas, virium defectus & stomachi ad vomitum propensio præcedunt: aut quando sub paroxysmo sensus non penitus aboliti, sed saltem imminuti fuerunt; aut denique malum non sibi invadit sine pollicum incurvatione.

§. XXI.

Contra vero per experientiam liquidum est, epilepsiam hæreditariam, licet optimis tractetur remediis, curatu esse difficillimam; nec leve sanationis impedimentum deprehenditur in habitu ali atque chronica, quæ per multos annos duravit, ac crebrioribus, longioribusque accessionibus corpus enervat; atque conformationem vasorum & membranarum cerebri quasi permutavit. Minus quoque auspiciati eventus ac sanationis est ea, quæ non circa annos pubertatis, vel in foeminis ingruente mensium fluxu solvitur; ut & quæ demum post hos annos, imo post vigesimum primum accedit: tunc enim plerumque hæreditarium latet vitium, recte id advertente HIPPOCRATE de morbo sacro, qui §. 13. ita scribit: *Postquam 21. anni præterierunt, non amplius sacer morbus corripit, præterquam paucos aut nullum, nisi a puero connutritus fuerit.* Pessimum porro signum est, quando accessiones magis frequentant, quam solebant: sic enim functiones animales sæpe destruuntur, ut non tantum memoriæ, ingenii, ac judicii imminutio, sed & stupor & stultitia emergat. Epilepsiam autem in cecitatem, stultitiam, ac memoriæ amissionem terminari, malum; eandem in paralyso, aut plane apoplexiam transire, mortiferum est. Omnis enim epilepsia desinit tandem in apoplexiam lethalem: & in defunctis iis morbis vel sanguis, vel, quod frequentius evenit, serum in ventriculis aut basi cerebri extravasatum ac corruptum, teste experientia, deprehenditur; quod falso pro causa epilepsie venditur. Porro minor salutis spes est, quando in statu febrium acutarum, phrenitidis, petechiarum, morbillorum, variolarum &c. superveniunt epileptici motus; nec denique sine periculo est infantilis epilepsia, quæ

Signa prognostica mala & funesta.

quæ ex dentitione difficili, vel intestino-
rum torminibus accedit, & sine inter-
missione adfligit. Neque novum est, con-
genitum, idiopathicum & inveteratum
malum in melancholiam, maniam &
denique fatuitatem degenerasse, acce-
dente præsertim plane perverso vitæ
regimine & gravi animi passionum in-
temperantia.

C U R A T I O.

§. I.

Indica-
tiones
curato-
ris.

Curationem morbi comitialis ag-
gressurum oportet primum caus-
as materiales remotiores e corpore pro-
scribere ac emendare: & deinceps vehe-
mentiore durg matris ac partium ner-
vosarum spasmus mitigare atque con-
fopire. Hunc ultimum scopum binis po-
tissimum remediorum generibus asse-
qui licet, nimirum vel sedativis, vel ro-
borantibus: illa motus effrænes & im-
petuosos componunt, & compescunt,
hæc vero imbecillitatem & atoniam, ab
atrocia spasmorum relicta, quæ ad
novos paroxysmos ansam subministrat,
tollendam, ac elaterem naturalem resti-
tuendum plurimum conferunt.

§. II.

Quæ sint
sedativa
& sic di-
cta an-
tepilep-
tica.

Sedativa sunt, quæ blandæ & sulphu-
reæ indolis vapore & exhalatione ni-
mium liquidi nervei motum refrænunt.
Huc ex regno vegetabilium pertinent
herbæ & flores, qui temperatam habent
fragrantiam, & ex his per destillationem
eductæ aquæ, veluti sunt aqua ulmarie,
melisse, salviæ, basilici, primulæ veris, li-
liorum convallium, alborum, rosarum,
tiliæ, acaciæ, pœoniæ, florum aurantio-
rum, citri, radicis pœoniæ, valerianæ,
nucleorum cerasorum, persicorum, pru-
norum &c. quo etiam spectant crocus,
flores papaveris in formis extracti, se-
men lycopodii, papaveris albi, & ex aro-
matibus nux moschata. Ex regno ani-
mali specifica quasi virtute antepilepti-
ca celebrantur, quæ vapore quodam sul-
phureo subtili temperato nervosis par-
tibus admodum amico pollent: quorum
classē constituunt ex durioribus rasura
dentis hippopotami, eboris, cornu cervi

lapidis manati, unicornu veri, cranii hu-
mani, talorum leporis, sed hæc recens
esse debet; alias parum proficiet. Spe-
ctant hæc quoque ex mollioribus ani-
malium partibus & visceribus deprom-
pta, si leniter exsiccantur & in pollinem
rediguntur, uti sunt lumbrici terrestres,
castoreum, secundina humana, sanguis
humanus sani hominis leniter siccatus,
cor & hepar ranarum, talparum, pulvis
exsiccatorum hirundinum, & potissi-
mum leporis embryonis excisi & exsic-
cati; quæ sulphure magis vaporoso sua-
veolenti nervosas partes afficiunt, ea-
rumque effrænes motus compescunt. Ex
chymicis medicaminibus præ aliis spiri-
tum nitri dulcem bene præparatum,
vel potius liquorem meum anodynum
mineralem experientia edoctus com-
mendo.

§. III.

Hæc sunt præcipua pulverum antepi-
lepticorum, specificorum ingredientia,
quæ cum absorbentibus misceri possunt.
Inter ejusmodi celeberrimæ famæ pul-
veres, draco figens, quem mille expe-
rimentis a se probatum esse scribit DO-
LÆUS in *encyclop. med. pag. 156.* di-
gnus est, qui notetur. Illius hæc est for-
mula: Recipe nucis moschatae drach-
mam unam semis, cinerum talparum
drachmas duas, talorum leporis no-
tres, pulveris herbæ cardui benedicti
scrupulos quatuor, unguularum alcis, suc-
cini albi, visci quercini ana scrupulos
duos & dimidium, margaritarum præ-
paratarum drachmam unam, cornu cer-
viusti drachmam semis, unicornu veri
scrupulum, cranii humani drachmas
tres, seminis pœoniæ drachmam unam
& semis, sacchari Canariensis uncias
duas, foliorum auri q. v. M. f. pulvis sub-
tilissimus, cujus dosis est drachma di-
midia vel scrupuli quatuor. Non mi-
noris efficacis esse creditur pulvis epilep-
ticus anodynus D. WEISMANNI.
Physici Windsheimensis, qui sic se habet:
Recipe cornu alcis sine igne præparati,
rasuræ ungulæ alcis, dentis hippopotami,
unicornu veri, lapidis manati, coralliorum
rubrorum, succini albi, crystalli mon-

Quædā
compo-
sita an-
tepilep-
tica.

tana, lapidis smaragdini, pulveris lumbri-
corum terrestrium, spinarum mu-
stellarum fluviatilium, sulphuris vege-
tabilis corallini, vel seminis lycopodii,
margaritarum orientalium ana drach-
mam, cinnabaris nativæ drachmas duas,
theriacæ coelestis scrupulum, pulveris
castorei scrupulum semis, m. f. pulvis,
qui cum aqua florum tilia, liliorum
convallium, ceraforum nigrorum, poto-
nia, hirundinum cum castoreo, vel
aqua epileptica Langii propinetur. Est
mihi quoque familiari in usu, ejusmodi
specificum antepilepticum, quo in chro-
nica epilepsia, si debito tempore & or-
dine usurpetur, singulares plane effe-
ctus præstitos interdum vidi.

S. IV.

Quæ ro-
borane-
tia ad e-
pilepsia
proficiat.

Inter roborantia vero, quæ præ aliis
peculiari & speciali virtute se usque eo
commendarunt, ex vegetantium clas-
se sunt flores lavendulæ, spicæ, herba
melissæ, rosmarini, rutæ, majoran-
næ, succinum, lignum aloes, santalum
citrinum, cardamomum, caryophylli,
& ex iis varia destillata & præparata o-
lea, essentia, decocta, balsama, lini-
menta: ex compositis aqua antepilep-
tica Langii, hirundinum, balsamum
meum vitæ, & id genus alia. Ambra ve-
ro grysea in epileptici morbis omnium
antepilepticorum tum roborantium,
tum sedativorum vires superat longissi-
me. Miræ quoque efficaciam sunt spiritus
cornu cervi, vel eboris simplex, aut suc-
cinatus, spiritus Bussii, oleum cornu cer-
vi, vel eboris per crebram rectificatio-
nem in summam reductum subtilita-
tem. Neque decocta lignorum, maxime
Guajaci, Sassafras, santalorum &c. ob
principium, quo pollent, resinofum sua
laude carent; quorum usus jam apud ve-
teres celebratus est. Ita ALPHONSUS
FERREUS, & JACHINUS se pluri-
mos epilepticos simplici guajaci deco-
cto, bis de die ad sex vel octo uncias præ-
scripto, ejusque decocto secundario, vice
potus ordinarii assumpto, curasse affir-
mant; præsertim, si tali decocto radix
peonia, aliaque specifica addita fuerint;
quod vero per 30, vel 40. dies ut conti-

nuetur, singulisq; dosibus aliquot guttule
spiritus vitrioli addantur, auctores sunt.

S. V.

Habent vero etiam tonica ac nervina
extrinsecus applicata, exitium usum.
Sic pulveris ex herba majoranæ, flori-
bus liliorum convallium, spicæ, maro-
vero, succino, pulvere caryophyllorum
aromaticorum, benzoe & nucista com-
positi, & capiti crinibusque inpersi u-
sum in epilepsia, aliisque gravioribus
capitis morbis deprehendi præstantissi-
mum: quippe qui præter nervinam vir-
tutem, etiam humores viscidos & spis-
sos incidentem possidet efficaciam; un-
de illius intra nares quoque susceptio ad
colliquandam tenacem pituitam egre-
gie convenit. Hæc autem proposita re-
media in corporibus ferossioribus, potis-
simum, & ad cachexiam proclivibus,
inque epilepsia chronica, extra paro-
xysmum pariter ac ad præservationem,
rite adhibita, insigni efficacia sese a
longo jam commendarunt tempore.

S. VI.

Verum enim vero antequam adhibe-
antur commendata hætenus remedia, Epile-
p-
psia a
sangu-
inis, vic-
tio cu-
ratio
nece-
esse est, ut causæ materiales ma-
lum sustentantes, quantum fieri potest,
removeantur. Quare si sanguinis, in
vasis ac membranis cerebri incarcerationi
atque stagnantis colluvies malo nostro
originem præbuerit; & hinc vasa cruo-
re turgant, vel ipse impetuosius ad
caput rapiatur, quod sæpissime fit in
hypochondriacis, melancholicis, scæ-
minis gravidis vel hysteris &c. tum
sanguinis missiones, detractiones, ac re-
vulsiones a capite ad inferiores partes,
præsertim circa talum institutæ, nec
non hirudinum ad venas, quæ in anum
explicantur, appositiones, & utilissimæ,
& summe necessariae sunt. Hoc in pas-
su consentiunt mecum peritissimi & no-
strorum & veterum temporum me-
dici; quos inter conferri merentur GA-
LENUS in de curatione per sanguinem,
MERCURIUS Tom. IV. consil. 43.
ZACUTUS LUSITANUS Lib. 1. de
med. princip. hist. pag. 43. CELSUS,
RHASIS, SCHENKIUS Lib. 1. pag.

113. obs. 3. RHODIUS *Cent. I. obs. 64.*

65. nec non SYLVATICUS *Cont. 1.*

conf. 45. qui pro revulsione & derivatio-

ne commendat, ut sanguis singulis men-

sibus bis ad quatuor uncias ex venis se-

dalibus educatur. Interdum nec alie-

num est, venas jugulares externas ape-

rire, & stagnanti in sinibus duræ matris

sanguini liberiore exitum & motum

conciliare: hinc epilepsiæ sectione ve-

narum jugularium curatæ exemplum

allegatur in *M.N.C. Dec. 1. anno. 1. obs.*

244. Nec denique sine fructu ipsæ cucur-

bitulæ cum scarificatione cervici & par-

tibus capiti vicinis apponuntur; modo,

si plethora ad vasa nimium urgeat, &

prius per sectionem venæ in inferiori-

bis partibus fuit imminuta.

S. VII.

Curatio
epile-
psiæ a
sero
acri,
impuro
suborta.

Alia vero curandi ratio est, quando

morbis ex sero impuriori in capite,

ejusque membranis, & vasis hærente

suam traxerit originem; sicuti in cor-

poribus cachecticis, scorbuticis, ab im-

providè curatis tumoribus pedum æde-

matosis, vel antiquis ulcerationibus,

aut fomiculis præmature consolidatis,

vel retropulsa scabie, tinea capitis, aut

imprudenter abscissa plica polonica &c.

contingit: tum curatio serii impurioris

discussione, evacuatione, & ad alias par-

tes derivatione erit perficienda. Hoc

scopo præter idonea serum per alvum

educentia, ac humores impuros depu-

rantia pharmaca, veteres æque ac re-

centiores ad educendam vitiosam mate-

riam commendarunt fetacea, fonticu-

los, cauteria, atque vesicatoria. Conl.

HIPPOCRATES *lib. de morbo sacro* §

7. seqq. TULPIUS *Lib. 1. cap. 8. in fine.*

Sic apud VICTOREM TRINCA

VELIUM quinquagenarius per fædum

malignumque exanthema toto corpore

exsudans ex caduco morbo convalluit;

& apud WILLISUM *Lib. de morbo*

convuls. cap. 3. puella in ignem præcep-

facta, totoque capite perusta, ac per

accidens cauterisata, tandem a morbo

suo libera permansit, quamdiu incur-

ta ulcera fuderunt saniem; quibus con-

solidatis recrudit epilepsia.

S. VIII.

Quandocunque ex gravioribus animi

affectibus, præsertim vehementiori ira-

cundia, acrimonia acris, biliosa, causti-

ca, volatilis ex primis viis ad nervorum

genus delata produxerit epilepsiam: præ-

ter pulveres, qui biliosam hancce acrimo-

niam attemperant, atque demul-

cent, serum lactis non minus ac tempe-

ratæ acidulæ per aliquot menses cum de-

bito regimine usurpatæ, insignem polli-

centur fructum. Inter medicamina egre-

giæ sunt virtutis acidula, ut spiritus vi-

trioli philosophicus, vel spiritus nitri be-

ne rectificatus, atque cum floribus pa-

paveris rhæados & pœoniæ in tinctu-

ram redactus, ex aquis temperantibus,

diluentibus & antispasmodicis, largius

exhibitis datus. Atque profecto in hu-

iusmodi capitis morbis peculiare quid

habet aquæ frigidæ simplicis fontanæ, &

pluviatilis purioris potus paullo largior:

quippe quæ præter vim temperantem,

humorumque acrimoniam diluentem, par-

tibus etiam relaxatis robur atque tonum

restituendi, insigni pollet facultate.

S. IX.

Quando epilepsia oritur ex dolorum

vehementia, v.g. ex calculo in uretere

hærente, vel gravi odontalgia, vel otal-

gia, vel ventriculi ac intestinorum spas-

mo: tum ante omnia clysteres ex me-

ris oleis v.g. amygdalarum dulcium inji-

ciendi sunt: tum si plethora peccaverit,

sanguis mittendus; & interne exhiben-

da mixtura, quæ ex aquis antispasmo-

dicis, liquore anodyno minerali, pul-

vere marchionis, cinnabari, aliquot

granis massæ pilularum Wildeganh &

syropo papaveris albi composita est. In

epilepsia porro infantum, quæ vel ex

ventris torminibus, vel lacte corrupto

proficiscitur, vel a dentitione difficili

producitur, nihil est præstantius, quam

doneis subsidiis acrem ex primis viis sa-

burrâ eliminare. Huic scopo egregie

inserviunt clysteres ex lacte, in quo sa-

ponis veneti portio soluta est, ano cre-

brius infusi; interne vero pulvis mar-

chionis cum pauxillo cinnabaris, vel

pulvis epilepticus quidam cum extracto

tha.

Curatio
epile-
psiæ a
materie
biliosa
ab ani-
mi affe-
ctibus
commo-
ta indu-
cta.

Curatio
epile-
psiæ a
dolori-
bus
produ-
cta.

rhabarbari, & syrupo cichorei cum rhabarbaro & manna in electuarium redactus, insigne afferre solet levamen. Neque minus sequens mixtura mirabilem sæpius præstitit opem: Recipe aquæ li-
 liorum convallium, primulæ veris, florum tilia, ceraforum nigrorum ana unciam, lapidum cancrorum, pulveris marchionis ana drachmam, spiritus Sylvi volatilis oleosi, liquoris anodynæ mineralis ana guttulas decem, moschi orientalis cum saccharo probe subacti grana duo. m. d. Laudatissimam enim moschi in compescendis infantum passionibus epilepticis virtutem plus simpliciter expertus sum vice. Quodsi denique vermes, nerveas intestinorum tunicas arrodentes excitaverint epilepsiam: tunc antepileptici & demulcentibus oleosis præmissis, specifica anthelmintica, & quæ simul facultate innoxia purgante pollent, adhibere oportet: inter quæ tanacetum, allium, camphora, asa foetida, semen fantonici, mercurius dulcis, æthiops mineralis, extractum esulæ primas tenent.

Curatio
epilepsie
verminosa.

Cautele & observationes practice.

§. I.

Ratio
epilepsie
periodicæ.

QUando certis periodis, vel lunæ quadris epilepsia recurrit; vitium & sedes maxime plerumque in ventriculo, vel potius duodeno, & vicinis partibus, ductibus nempe biliaris, aut ipso pancreate queri debet. Et tum aliquot dies ante statum periodi tempus consultum est, clysterem injicere, & vacationem vomitu tentare, quæ accommodata sit his viis expurgandis. Est autem efficacissima & securissima, quæ ex drachma dimidia radice Ipecacuanhæ, recenter pulverisate, in decocto passularum soluta conficitur. Postea subjuncta hisce specifica, longe præstantioris erunt operationis.

§. II.

Que
no-
ceant

Sub ipsis paroxysmis probe cavendum est a nimis volatiliis, spirituo-

forum, suave ac grave olentium, quæ caput vaporibus replent, usu: nec consulta sunt ea, quæ sternutamentum, aut vomitum movent; quippe quæ humorum motus magis ad caput derivant, & sæpius ipsos revocant paroxysmos. Præstat potius ægotantem in recto tenere situ, & pedes atque manus bene fricare: namque frictiones calidæ ac siccæ insigniter profunt in epilepsia ex spasmo artuum proveniente. Vesicatoria, Setacea, ac inustiones cervicis cum ferro candenti in puerorum epilepsia, a feri colluvie producta, licet non penitus usu suo careant: attamen aliquando noxam inferunt, & corporis languorem relinquunt atque stuporem. Contra vero in contumaci chronica epilepsia, item ubi a lymphæ acri, scorbutica suboritur, vesicatoria vel fonticuli cruribus applicati, auspiciatorem spondent effectum. Hinc etiam Indi cum non exiguo fructu talum ad tendinem Achillis usque adurunt, ulcus per semestrem servant apertum.

in paro-
xysmo
epile-
ptico.

Ufus
frictio-
num,
Vesica-
toriorum
ac cau-
teriorum.

§. III.

In qualibet epilepsia præstat ab omni vino, atque cerevisia abstinere, ac potius aqua uti: de qua sæpius observavi, quod contumacem, imo a parentibus derivatam epilepsiam insigniter vel mitigaverit, vel penitus depulerit. Circa venæsectionem notare convenit, quod ea in habitu corporis plethorico, & ubi paroxysmi circa æquinoctia invadunt, vel solstitia, maxime in hypochondriacis, hæmorrhoidariis, atque melancholicis in talo, præmissis clystere, viscidos humores cum flatibus evacuant, instituenda sit. Quando etiam hypochondriaca passio epilepticum sustentat morbum, tum præmissa pro re nata venæsectione, potum aquarum temperatarum mineralium, minime vero balneum, accessiones mitigasse novi.

Qui po-
tius con-
ferat in
epile-
psia.

Ufus
venæse-
ctionis.

§. IV.

Ante specificorum antepilepticorum usum, evacuantia, temperantia & alterantia exhibere oportet: alias enim plus

Quid de
antepi-
leptico-
rum usu
statuen-
dum.

plus damni inferunt, quam emolumenti. Quodcumque malum ab externe capiti illata violentia, & hinc suborta stagnatione vel extravasatione humorum in capite originem traxit: tum cinnabarina rite preparata, idest in tenuissimum pollinem crebriori trituratione aut lavigatione in marmore redacta, quo ejus particula in massam sanguinis abire queant, & interne largius cum aliis cephalicis ac diaphoreticis exhibita, vere specifica etiam polent efficacia; quæ in hoc casu virtute, qua gaudent, lympham stagnantem resolvente ac discutiente absolvitur. Inter externa remedia ad compescendos motus effrænes inservientia, nihil deprehendi præstantius linimento ex axungia humanæ uncia una, olei nucis moschatæ expressi uncia dimidia, olei rorismarini, lavendulæ & rutæ ana drachma una composito, ac cervici & spinæ dorsii inuncto. Quando æger eo utitur beneficio, ut imminuentem prævideat accessionem, tunc operæ est pretium, malo occurrere clysteribus, partium inferiorum frictionibus, ac recto vivendi ordine uti.

§. V.

Opiato. Opiata & nimis vaporosa infantibus rem no- & debilioribus cautissime præbenda sunt, utpote quæ ingentem cerebro & nervosis partibus imbecillitatem & atoniam inducunt. Ex crebro usu syru- pi diacodii in infante lethalem epilepsiam animadverti: vidi quoque mentis stuporem infantibus remansisse, quibus pulveres anodynæ & theriacalis frequentius fuerunt exhibita.

§. VI.

Præfer- Quam denique morbi comitialis ea vatoria metho- sit indeoles, ut a levissimis recidat causis, & a multis pharmacis magis excerbetur; præstat omnino, ab horum multitudine abstinere, ac pertinaci vitæ observatione, gravem hunc præcavere morbum. Hanc paucis verbis, sed satis egregie complectitur CORNELIUS CELSUS, dum Lib. III. Cap. 23. pag. 173. dicit: Fugere oportet solem, balneum, ignem, omnia

calefacientia, frigus, vinum, venenem, loci præcipitis conspectum, omniumque terrentium, vomitum, lassitudinem, sollicitudines, negotia omnia, & ubi tertio die cibus datus est, intermittere quartum. Vitanda quoque dulcia, fermentescibilia, fructus horæi, præsertim in infantibus: præterea adolescentibus maxime abstinendum est a venere: verissime enim scribit MERCURIALIS in prælect. patav. pag. 372. adolescentes Germanos plurimos a nimia venere fieri epilepticos. Evitandæ porro sunt nimie mentis fatigationes; siquidem, teste CELSO, quibus caput afficitur, ne cogitatio quidem tuta est. Hujus memorabile exemplum allegat GALENUS Lib. V. de loc. affect. c. 5. dum Grammaticus quidam juvenis, ait, quoties vel nimis vehementer doceret, vel cogitaret, aut esuriret, comitiali morbo corripiebatur; & hoc ipsum sane est, quod de Francisco Petrarcha increbuit, eum post multas profundasque meditationes tandem incidisse in epilepsiam. Maxime omnium vero fugiendæ sunt omnes ad terrorem, metum, & iram occasiones; nam facillime malum inde revocatur.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

PUella duodecim annorum, habitus corporis strictioris, valde plethorica, floridoque faciei colore conspicua, largo adpetitu, maxime panis gaudens, & alvi pigritiæ obnoxia, incidit post vehementem terrorem in gravem epilepsiam, cum omnium sensuum abolitione, ac artuum violenta agitatione stipatam: cujus duo priores paroxysmi ultra binas inhaerant horas, cum insigni vultus rubore, ac vasorum eximia turgescencia. Accersitus quidam medicus, sub pio tertio paroxysmo stylum naribus iniecit: quæ cruentatæ ultra tres sanguinis fu- derunt uncias, cum momentanea pa-

Epilepsia ex terrore, nascens hæmorrhagiis subiacens

roxysmi remissione. Tum & ego con-
sulius deprehendi pedes adhuc insigni-
ter frigidos; quare ut motum humo-
rum ad partes inferiores derivarem;
clysteres injici, & puellam bis quotidie
in temperata pediluvia, ex aqua sim-
plici parata descendere jussi. Posthæc,
exhibui infusum theiforme ex floribus
tiliæ, & herba melissæ confectum, &
quavis vespera pulveris mei antepilep-
tici dosin propinavi: quibus factum
est, ut dirum hoc malum penitus om-
nino depelleretur.

Epicrisis.

Epilepsia hæc a nulla alia originem
traxit causa, quam a sanguinis & hu-
morum vehementi ad caput congestio-
ne, per insignem terrorem excitata.
Hujus enim ea est vis ac indoles, ut ex-
ternas corporis partes fortius constrin-
gendo, succos vitales majori copia ac
impulsu ad interiora, & præcipue ca-
put compellat. Et hanc eo facilius ac
violentius terror exserere observatur
efficaciam in infantibus ac junioribus,
qui gulæ nimis indulgent. Inde enim
non solum primarum viarum sordes
acidæ producuntur, quæ fortioris appe-
titus tantum non semper causæ exi-
sunt: verum etiam sanguis copiosus,
simul tamen crassus ac viscidus genera-
tur, qui ad caput raptus, membranas
cerebri eo facilius ad violentas prorita-
re valet stricturas. Hoc in nostro casu
adparet ex vultus rubore & vaforum
turgescencia sub paroxysmo: hinc et-
iam non alienum fuit, sanguinis flu-
xum per nares promovere, & sic il-
lius progressum per caput reddere li-
beriorem. Sed notari meretur, post
ejusmodi vacationes sanguinis, hu-
morum motum protinus ad inferiora
esse revocandum: alias enim facillime
recrudescent epilepticæ agitationes.
Quod cum crebris pediluvii ac cly-
steribus factum fuerit: tum opera
fuit pretium, pulveres epilepticos pro-
pinare.

OBSERVATIO II.

Puella Hebræa, quatuordecim an-
nos nata, corporis strictioris, sed vasis
capacioribus instructi, præviis hinc
inde spasmodicis strictioris, mensium
fluorem primum incidit. Hjs per bi-
duum fluentibus, relatam ipsi fuit, pa-
trem peregre factum subito fuisse mor-
tuum. Inde puella, more hujus gen-
tibus consueto, tanto percussa fuit ter-
rore, ut non solum menses protinus
supprimerentur, verum etiam extre-
ma mox refrigescerent, cor palpitare
cœperit, vehementes præcordia occu-
parent anxietates, & denique in ipsam
incideret epilepsiam: sub qua corpus
violenter agitabatur, pollices contra-
hebantur, dentibus stridebat, eosque
adeo commordebat, ut vi effringi
debuerint. Quidam mecum consultus
medicus suavitatem iterum, ut stylo in na-
res protruso, sanguinis effluxus tenta-
retur: at ego, cum mensium suppressio
malum foveret, ne major humo-
rum ad caput fieret affluxus, eorum-
que per uterum fluxus impediretur, dis-
suasi hoc remedium genus, & potius jus-
si, ut sub fine paroxysmi, pedibus in
aquam missis, sanguis mitteretur. Quo
facto statim ad se rediit; & tum inje-
ctus fuit clyster oleosus ex floribus cha-
mæmeli, sambuci, malvæ, tiliæ, oleo
lini &c. paratus: recrudit quidem
aliquoties paroxysmus, sed erat levissi-
mus: hinc agram potare jussi infu-
sum calidum ex herba melissæ, flori-
bus tiliæ, & semine cymini: & qua-
vis vespera dedi pulverem meum ante-
pilepticum. Denique cum instaret
menstrua periodus, aliquot ante eru-
ptionem dies propinavi pilulas meas
balsamicas, & pulverem præcipitan-
tem nitrosum: quibus factum est, ut
redirent menses, & agra a malo suo
perfecte liberaretur.

Epicrisis.

In tali casu, ubi menses sunt sup-
pressi.

Epilepsia a
mensibus
per ter-
rorem
suppres-
soria.

pressi, & motus ad superiora vergunt, præstat venam in pedibus incidere, ut motus deriventur ad uterum: neque ideo congrua fuit narium ad hæmorrhagias proritatio. Vocari meretur hæc epilepsia uterina, quoniam ab utero traxit originem. Elucescit simul ex hoc casu, haud prius in usum vocandos esse pulveres sedativos específicos, quam ubi inversi humorum ad caput motus, qui a spasmo & sanguinis plenitudine fiunt, fuerint sedati: tunc enim adhibiti tales pulveres ab ulteriori mali insultu præservant. Nec rari mihi occurrerunt casus, foeminas octavo jam mense gravidas, ab ira, moerore, aliisque animi affectibus in epilepsiam incidisse: largiori vero sanguinis ex vena in pede rufa missione, ac pulveribus cinnabarinis cum nitro ac succino perfecte convaluisse.

OBSERVATIO III.

Epilepsia in
fantilis
a terro-
re nutri-
tis.

Infans tres anni quadrantes natus, corporis spongiosi ac obesi, qui sapius ventristorminibus cruciari, & sterco-
ra viridia dejicere sueverat, nutricis a spectro sibi videri putato gravi terrore percussa ubera sugens, protinus corripitur epilepsia. Neque vero ignorari oportet, nutricem hanc jam antea alii infanti ubera præbuisse, & sic per septem jam anni quadrantes muneri huic præfuisse; quod meo quidem arbitrio minus salubre lactantibus est, quoniam diuturna lactatione lac incipit acescere. Protinus ergo infanti injectus fuit clyster emolliens oleosus, & interne data mixtura ex aqua liliorum convallium, florum tilie, cerasorum nigrorum, pulvere marchionis, syrupo de cichorio cum rhabarbaro, liquore anodyno minerali, & unico moschi orientalis grano parata; nutrici vero propinavi pulveres bezoardicos cum aceto destillato, & infuso theiformi cum regimine diapnoico; atque hinc protinus cessavit epilepsia. Verum enim vero aliquot post hebdomades, cum infans achoribus capitis corripere, & hi unguen-

to illi repellerentur, recruduit epilepsia, & alvus obstructa non nisi virides cepit faces. Hinc ablactato protinus infanti applicabantur iterum clysteres, & dabatur partim pulvis ex rhabarbaro, lapidibus cancrorum, & semine cymini compositus, partim mixtura ex aquis antepilepticis, specifico cephalico Michaelis, liquore anodyno minerali, spiritu eboris & syrupo pœoniae parata. Effectum etiam his est, ut restituta alvi libertate, epilepsia remitteret; sed hæc tamen singulis adhuc mensibus bis vel ter recruduit. Ordinatus igitur pulvis antepilepticus mitigavit quidem malum; illud tamen singulis tribus mensibus recidit, & hanc ad ætatem quartam egit scenam. Tum denique infans colli tumoribus inflammatoriis, instar carbunculorum infestabatur; quibus exulceratis, ab omni prorsus liber evasit epilepsia.

Epicrisis.

Ex hoc casu discimus: 1) epilepsiam infantum a matris terrore per lac illis communicato excitari posse. Namque ea est terroris indoles, ut non solum partes solidas afficiat, sed etiam in humores agat, eos fortiter commovendo, qui dum cum lacte ad primas infantum vias pertingunt, ibidem majorem subeunt acrimoniam, & hinc ad cerebrum delati epilepticos inducunt motus.

2) Nihil ad reprimendas capitis ulcerolas efflorescentias reperitur valentius, quam pinguis ac oleosa. Ea enim, dum poris cutis se intime insinuant, neque tam facile ex iis evocari possunt; ita salutarem impediunt transpirationem, ut ideo serum acre impurum intra corpus remaneat, & membranis cerebri incumbens eas graviter afficiat. Præstat potius in tali casu, primas vias blando laxante, vel clystere purgare; & externe caput aqua arquebusadæ abluere; quæ egregie siccant, & labefactas corroborat partes.

3) Epi-

3) Epilepsia a consolidatis ulceribus facillime recrudescit: quo casu, præsertim in adultioribus, vesicatoriis vel cauterio nihil est præstantius. Hinc etiam in confirmata epilepsia SEPTALIUS *Lib. 6. animadv. p. 173.* vesicantium usum per universum caput commendat, diutius ulcusculis in cute capitis relictis: contumacissimos enim morbos capitis hac ratione curatos vidit.

OBSERVATIO IV.

Epilepsia ab externa capitis violentia.

Epilepsia ab externa capitis violentia atque læsione admodum obnoxia sunt metallorum fossiles; præsertim ubi mineras ac saxa metallica, accenso pulvere pyro diffingunt. Namque tale frustum capiti illisum, tantam ipsi contusionem inferre valet, quanta pro excitanda sufficit epilepsia. Sed in eo casu nihil vidi Clausthali præstantius ac efficacius cinnabari, sive sit nativa, sive antimonii largius exhibita; cujus nimirum ac succini præparati scrupulus unus bis quotidie ex aquis cephalicis melissæ, liliorum convallium, florum tiliaë propinari, & per decem circiter dies continuari debet. Neque vero tum negligenda sunt externa, quæ inter laudem merentur, primum epithema ex caryophyllis aromaticis, floribus chamaemeli Romanæ, herba rorismarini, floribus lavendulæ cum vino decoctis paratum, & affecto loco appositum; deinceps cucupha ex caryophyllis, cardamomo, & cubebis toti capiti adplicata. Quibus denique eo majori fructu adjungitur infusum theiforme ex carduo benedicto, summitatibus millefolii & floribus tiliaë. Hac quoque ratione pristina sanitati olim restitui virum sexagenarium, qui a scala præceps in caput factus, primum omnibus privatus sensibus, mortuusque habebatur: at incisa vena, atrocem incidebat epilepsiam, quæ per octo dies, singulo vel decies invadendo inharebat, tandemque recensita methodo sublata fuit.

Epicrisis.

Notabile est, cinnabarin magna, ut hætenus vulgo creditur, vi sedativa ac anodyna non pollere: sed potius, more mercurialibus consueto, discutiendo, coagula humorum resolvendo, ac diaphoresin movendo virtutem suam exferre. Hinc non secus ac æthiops mineralis, præsertim ex antimonio paratus, in omnibus contusionibus ac sanguinis stagnationibus mirificam præstat opem; maxime quando si simul lapides cancerorum cum aceto saturati exhibeantur. Huc pertinent observationes passim in medicorum scriptis occurrentes, de epilepsia salivatione curata: qualem reperies in *M.N.C. cent. 4. obs. 136.* ubi puella novem annorum, a parente, qui antea luc venerea laboravit, nata, incidere in epilepsiam sæpius recurrentem: quæ postquam trochiscos Scretæ, qui continent mercurium dulcem, mastigando devoraverat, alvum habuit sexies solutam: & tum sequuta salivatione, ab epilepsia facta fuit immunis.

OBSERVATIO V.

Virgo generosa, XX. annorum, sanguinea, succiplena, acidorum usui nimium indulgens, & multis abhinc annis acetum vini larga copia quotidie ingurgitare solita, incidit forsan ante aliquot annos in febrem, ex medici sententia ardentem: quæ bezoardicis, maxime volatilibus tractata fuit. Facta quidem hinc est quinto morbi die symptomatum remissio; at vero paroxysmi erant valde irregulares, & mox singulis, mox alternis diebus, sæpius bis uno die cum horrore & insequente æstu invadebant. Alvus subinde, quæ ante morbi invasionem jam pigra fuit, per totum morbi decursum manebat adstrictissima; nec solvi poterat, licet varia eo sine assumserit remedia: clysterum enim infusionem renuebat omnino. Tandem, pulvres purgantes,

Epilepsia post male tractatam febrem.

ex salibus & jalappa confecti, quorum per septem dies, singulis unum adsumebat, aliquantulum ducebant alvum; parum tamen proficiebant; liquidem febris cum symptomatibus persistebat, nec somnus ullus, nec appetentia ciborum per 15. septimanas aderant. In tali rerum statu præter omnium opinionem circa tempus menstruum erumpere convulsiones epilepticae: sub quibus facies adparebat rubicunda, membra hinc inde agitabantur, quandoque fortiter clamabat, & absorta loquebatur, ac male coherentia. Ipso quoque in paroxysmo humidum adpetebat, & oblatam eo sine aquam frigidam copiose bibebat. Hinc laxata alvo, mens ad se rediit; sed posthæc febricula cum languore corporis, adpetitu prostrato, alvo segni, urina crassa, obscuri coloris semper persistebat, & illa perpetuo mœrore & angore infestabatur. Ceterum epilepsia circa tempus mensium, quandoque extra illud, si ira excandesceret, recruduit cum spuma oris, corporis elevatione, artuum agitatione, mentis alienatione, & magna vociferatione. Hæc aliquoties contingebant, & quod notabile est, cum toto morbi tempore nec ederet, nec dormiret ægra, tamen & succulenta mansit & rubicunda. In usum ergo vocabantur omnis generis remedia antifebrilia, laxantia, salia aperitiva, castorina, antispasmodica, venæsectiones; sed nihilominus & febricula & epilepsia per sedecim infestabant hebdomades. Tandem subiit ægra conjugii leges; & tum melius habere cœpit: cibum appetiit, vires collegit, menses ordinem servarunt, ac paroxysmi epileptici penitus remiserunt.

Epicrisis.

Fœminæ, præsertim salaciores, haud raro partim ob mensium defectum, partim etiam a lymphæ genitali stagnante & corrupta, atrocissimos incurrunt motus epilepticos. Horum in nostro casu antecedens causa fuit acidorum abusus: hæc enim destruant ventriculi

Hoff. Syst. Tom. VI.

ac intestinorum tonum, alvum constringunt, & mensium fluxum impediunt. Hinc sanguis in venis accumulatur, & sic circa menstruum præcipue periodum, ubi ad evacuandum per uterum cruorem solennes spasmi institui solent, cum magno impetu partim ad caput, partim ad pectus compellitur: unde etiam facies rubicunda, ac sanguine turgida, vociferatio, partium agitatio, atque delirium dependent.

Pessime autem in nostra ægrotante egerunt medici, qui ipsi dederunt salia volatilia: hisce enim & alvi contractio magis firmatur, & intestinorum tonus plus destruitur. Et perpetua sane est regula, quod, quo contractior est alvus, eo plus sanguinis ad superiora rapiatur, & vehementiores ibi fiant spasmi. Hinc consultius fuisset, clysteribus oleosis alvum moliri, qui præsentissimum adferre solent lenimen. Nec proficua fuerunt in nostro casu anodyna & antispasmodica: quippe quæ, sublata nondum causa, malum reddere solent contumacius. Neque suffecerunt solæ venæsectiones, licet alias usu suo haud destituantur; nec denique utiles fuerunt acidulæ, quibus usa est ægra. Hæc enim frigida nocent nervis; & cum ob debilitatem intestinorum per alvum haud iterum excludantur, sed in intestinis stagnant, spasmos magis adaugent. Hinc præstantissimum mali remedium fuit in conjugio: hoc enim, præsertim si frequentior celebretur concubitus, sanguinis motus invertitur, ad uterum retrahitur; vasa uteri, teste HIPPOCRATE, distenduntur, inflantur, mensium fluxus procuratur, & sic remota causa, ipsum malum debellatur.

OBSERVATIO VI.

Puer quatuordecim annorum, quinta jam a nativitate hora insultu correptus fuit epileptico. Annum natus, corpus, post vehementissimam nutritionis iram, duris tuberculis undique obidebatur: quæ medicus pro variolis

B

ven.

Epilepsia a lumbri-
cis,
aliisque
causis.

ventosis habens, lumbis inde valde adfectis adplicat emplastrum. Hinc protinus evanescabant omnia tubercula: at vero in eorum locum succedebat epilepsia cum spuma oris, atque mirifica artuum tractione; & per aliquot septimanas quotidie hora circiter pomeridiana prima recurrebat. Posthac remittebat, nec sub variolis postea accedentibus recrudescerebat; nisi forte semel sub dentium eruptione. Verum enim vero sexto ætatis anno, cum lumbricorum colluvies intestina occuparet, resurgerebant graves epileptici insultus; & ad annum usque decimum quartum sæpius, maxime ventis impetuosè flantibus, cœlo turbido ac pluvioso, & tempestate autumnali invadebant. Præcedunt enim paroxysmum maxima anxietas, pedes, manusque refrigescunt, dentes dolere incipiunt: tum humum prosteritur, & post paroxysmum capitis dolorem, & corporis totius retinet lassitudinem. Neque minus ante paroxysmum flatulentiis imi ventris exercetur; siti vexatur, & urinam reddit albam; sub illo facies fit tumida bruni coloris. Olim quoque pigra fuit alvus, jam expeditior. Neque ulla hætenus profuerunt remediorum genera: quid? quod salivatione tractatus puer pejus habuit, sanguine potitus est viscido, omni colore destituto.

Epicrisis.

Epilepticam hanc affectionem ab intestinorum lumbricis ortam esse, certissimum quidem est. Cum autem nervorum genus jam a primis incunabilis, & deinceps a tuberculis retropulsis, hisce motibus jam aduetum fuit: non mirum, si ob hanc dispositionem paroxysmi jam fuerint atrociores & contumaciores. Notatu subinde dignum est, quod ab adplicato ad lumbos emplastro, procul dubio narcotico, tubercula illa protinus evanuerint. Locus enim hic circa lumborum vertebra, ubi insignes nervorem occurrunt plexus, valde est sensibilis; cui si admoventur

narcotica, habitus corporis constringitur, humorum circuitus fit tardior, & noxia materia ad interiora repellitur. Quare magna cum cautione topica ad hæc regiones adplicanda sunt: & nota mihi sunt exempla, quod in foeminis ab emplastris hoc in loco admotis menses adeo cohiberi fuerunt, ut nonquam redierint. Novi etiam plures casus, ubi in viris post impositum ad refrigerandam gonorrhœam, lumbis emplastrum ex spermate ranarum, alumine, saccharo saturni & oleo hyoscyami, ingens testicularum tumor sequutus fuit.

Neque minus notari meretur, quod malum sub ventosa aeris constitutione fuerit exacerbatum: mirifica enim est aeris in partes nostri corporis solidas, maxime nerveas, & quæ sensibus atque motibus interviunt, potentia. Et quod denique ægrotans noster sanguinem exhibuerit mucidum, rubedine privatum, certo est indicio, ipsum fuisse cachecticum, qualia corpora epilepsiæ chronicæ admodum deprehenduntur obnoxia.

Anno demum ætatis decimo quarto sublata fuit hæc epilepsia; postquam per semestre fere Elixirium nostrum balsamicum, & sal volatile oleosum ad XXX. guttas sub epulis sunt usurpata. Hæc enim remedia blandam spiritualementiam chylo ac sanguini restituunt, & solidas partes corroborant, sed temporis beneficio ac diuturnitate opus est. Tandem vero hac curatione confirmatur aphorismus Hippocratis, quod epilepsiæ chronicæ non nisi ætatis, aeris, ac victus mutatione curentur.

OBSERVATIO VII.

Puerpera XX. annorum, sanguineo-cholericæ, constitutionis admodum sensibilis, & ob inordinatum victus regimen hysterica olim obnoxia passionibus, lochiis autem bene succedentibus gavisæ, die a partu undecimo ex esu anguillæ corripitur febre tertiana, sub qua more sueto alvi fuit adstrictioris. Consultus medicus dedit primum pulveres ex conchis præparatis, antimonio

Epilepsia
puerperæ a
cortice
chinæ
improvidentia
febre
tertiana
dato.

dia-

diaphoretico, nitro, & arcano duplicato confectos; hisque circa quartum paroxysmum corticem chinæ subjunxit. Tertio autem post hujus usum die incidit ægra atrocissimos convulsivos, & epilepticos motus, cum intercurrentibus animi deliquiis, & præcordiorum anxietatibus.

Epicrisis.

Spasmodicarum commotionum causa sæpius in primis viis, saburra acris, caustica refertis residet: quæ, nervosum genus afficiendo, scæminas præsertim in hysterico motus jam proclives, facillime in epileptico-convulsivos conjicere potest insultus. Sic etiam nostra ægroans ex esu anguillæ, quæ robustiorem ventriculi digestionem exposcit, collegit sibi primarum viarum cruditates, & ex his febrem incidit tertianam. Hunc vero febris fomitem, qui in puerperis magis adhuc variis sordibus adaugeri solet, consultus medicus statim ab initio blando laxante expurgare debuisse. Sed cum partim fixioribus terreis, partim adstringentibus hanc saburram magis compactam reddiderit, ac intus retinuerit: non mirandum, si spasmi, qui semper in febrium principio junguntur, demum in ipsas abierint convulsiones.

Jam ergo eo intendere oportet curationis scopos; ut partim sordes biliosæ, acres corriganter, & blande educantur; partim etiam motus perversi consopiantur, ne diutius perseverent, & in habitum transeant. Quamobrem in ipso paroxysmo naribus admoveere convenit mixturam ex Spiritu salis ammoniaci vinoso, essentia castorei, & oleo rutæ paratam; cujus virtus in illo, quod nervis est inimicum, discutiendo egregia est. Sordes primarum viarum optime educunt pilulæ meæ polychrestæ, cum extracto chamæmeli, millefolii & croci mixtæ; cui quoque scopo clysteres emollientes ac oleosi inserviunt, maxime si illis, ad discutiendos flatus, tantillum nitri & camphoræ fuerit additum.

Neque minus ad corrigendam humorum acrimoniam insigniter profunt pulveres ex lapidibus cancrorum, pulvere marchionis, nitro, cinnabari & arcano duplicato compositi; nec non aquæ antepilepticæ cum essentia corticis aurantiorum.

Discimus cæterum ex hac morbi historia, quam perniciosum sit, in puerperis nimis mature, præposere & ante sordium evacuationem cortice ching vel aliis adstringentibus febriles motus suppressere, & noxiam materiam intus retinere. Hinc enim spasmos febriles in epilepsiam degenerare posse animadvertimus: qui tamen alias ad resolvendas viscidas sordes ac viscerum obstructions, ideoque ad epilepsiam quoque curandam ac præservandam admodum sunt idonei. Quare recte scribit Hippocrates, quod quartana epilepsiæ superveniens eam tollat.

OBSERVATIO VIII.

Vir XX. annorum, constitutionis tenerioris, ante tres circiter annos febre tertiana correptus, & ab ea copioso corticis chinæ usu vindicatus est. Ab hinc appetitus languidior esse coepit, præcordia ingens pressit anxietas, & insignis spirandi difficultas: febris quoque nonnunquam rediit, sed valde irregularis. Post hæc ex improvise mentis abalienationem incidit, quæ cum omnium sensuum perturbatione, memoriæ defectu, artuum jactatione, & vultus rubore stipata, brevi quidem tempore transit: accessionis autem hujus nulla fuit reminiscencia. Hoc denique malum tandem excepit fortis epilepsiæ insultus, qui cum ordinariis symptomatibus sæpius, at incertis periodis rediit, & mentis abalienationem, paroxysmi semper habuit prænunciam. Cæterum color faciei est pallidus, appetitus mediocris, ventriculi inflatio, intestinorum murmura: ab epulis molestus sæpe in ore percipitur ardor, sitis ingens in jejuno, & magna ad sudorem proeli-

Epilepsia in viro a tertiana suppreffa.

viras. His denique duos ante menses spontaneum, & per tres hebdomades inhærens accessit alvi profluvium, sponte remittens. Ipsa epilepsia novissimo anno penitus evanuit; sed eo frequentior est mentis abalienatio, quæ sæpius paroxysmos format, & nonnunquam ter in una recrudescit hora. Consulti & clarissimi medici, & adhibita præstantissima remedia, nullam hæcenus malo opem tulerunt.

Epicrisis.

Adparet & ex hocce casu, omnem febrilium intermittentium, quæ in infimo ventre, ac infarctis primis officinis fomitem suum habent, adstrictionem atque suppressionem, quæ ante viscerum resectionem, & fordium ex primis viis eliminationem fit, esse nocentissimam. In nostro nimirum ægrotante tertiana febris procul dubio ex viscerum infarctu ortum traxit. Cum vero febriles illi motus, qui ad resolvendum illum infarctum destinati sunt, præposcere fuerunt suppressi; hinc factum omnino est, ut & lymphæ gastrica, quæ ex glandulis pancreatis atque duodeni afflue stillat, & bilis, quæ digestionem perficiendæ egregie inservit, a naturali crassi recesserint. Hinc autem turbata digestionem, pessimæ in primis viis cumulatæ sunt cruditates; a quibus suborti flatus ac spasmi intestinorum, horum non solum nerveas partes graviter affecerunt, verum etiam totum nervorum genus, capitisque membranas in violentorum motuum rapuerunt consensum. Haud enim raro insultum epilepticorum origo ab intestinorum flatulentia, & spasmodica crispatura natales suos mutuatur.

Curatio vero hujus mali sequentem in modum instituta est: primum singulis septimanis datum fuit Elixirium emeticum, quod placide & sine violentia ventriculum ac superiora intestina a vitiosis liberavit cruditatibus. Deinceps quotidie bis, mane nimirum ac vespere ex aqua liliorum convallium sequens

pulvis sumtus est. Recipe pulveris marichionis, cornu cervi sine igne, matris perlarum, antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum, succini præparati ana drachmam unam, cinnabaris drachmam dimidiam, essentia ambra guttas XX. m. d. dosis est drachma dimidia.

Tum quoque sub epulis adhibuit æger Elixirium stomachicum, ex essentia corticum aurantium, tinctura tartari, oleo macis & cardamomi paratum; & pro potu ordinario decoctum ex radice pæonia, visco querno, radice chinæ, scorzonæ, herbæ melissæ, rasura ligni aloes & semine sceniculi confectum usurpavit. Alvus segnis reserata est clysteribus emollientibus, oleosis, qui simul herbas cephalicas nervinas, veluti abrotanum, majoranam, origanum, satirejam, rutam, rorem marinum, flores lavendulæ, & sal commune habebant; & denique inustus fuit brachiis fomiculus. Ex quibus rite usurpatis atrox hoc malum, quæ Dei est gratia, debellatum fuit.

OBSERVATIO IX.

Fœmina XXX. annorum, constitutionis valde sensibilis, affectibus animi, præsertim iracundiæ dedita, a parentibus morbo melancholico affectis progenita, hæcenus sterilis, ex inopinato mariti morbo insigni oppressa fuit morore. Quo tempore cum ipsi menses fluere, & sub eo fluore nuntius de ipsa mariti morte accederet tristissimus, illa vehementi terrore perculsa, mensum suppressionem protinus incidit. Hinc anxia, inquieta, insomnis redita, nullum assumit cibum; sed verba sine ordine loqui cœpit. Tum spasmodica primum faciei tortura, quam cynicam vocant, correpta, denique graves, atrocesque toleravit convulsiones; quibus nec sanguinis missiones, nec ulla remedia opem ferre valebant. Tandem purpura rubra malum quidem mitigavit, illud autem minime remisit penitus; sed circa tempus menstruum perpetuaciter recruduit, cum tanta mentis

Epilepsia a terrore, matrimonio demum sublata.

perturbatione, ut a multis furori vicina haberetur. Hinc in usum vocavit ther-
mas ac acidulas, cœlum sæpius muta-
vit, multorumque medicorum consilia
imploravit: sed rediit nihilominus ma-
lum, licet minori atrocità. Verum cum
denique secundas subiret nuptias; ab
effectusuo prorsus fuit liberata; & tum
nunciatum est, eam olim venereis ac
libidinosis cogitationibus nimium in-
dulsisse, ac hinc violentos hosce motus
libimet contraxisse.

Epicrisis.

In subjectis sensibilibus ac imbe-
cillioribus, quæ natura debile nervorum
genus habent, & ad irregulares motus
obnoxia deprehenduntur, veluti sunt
foemina, maxime salaciores præ viris,
nihil magis ad graves cerebri affectus &
epilepticos motus inducendos valet, ac
si sub ipso hæmorrhagiarum, maxime
mensium fluore vel animo compave-
scant, vel vehementi percellantur ter-
rore. Eo magis hoc contingit, si diu-
rtnus mœror præcesserit, quo nervo-
sæ partes debilitantur, adeo ut acce-
dente terrore humoribus copiosius susci-
piendis, & hinc spasmodicis stricturis
subeundis magis reddantur idoneæ. Quo
vero celerius hæc adfectiones ex allega-
tis propullulant causis, eo etiam gra-
viores, contumaciores, ac curatu sunt
difficiliores. Nostra equidem ægrotans
ab erumpente purpura omnino mali sui
aliquale percepit levamen. Hæc enim,
sicuti ex stagnante & corrupto sero, vel
lympha originem trahere, & ideo puer-
peris etiam, si lochia haud rite fluunt,
familiaris esse solet: ita quoque eadem
ab corporis superficiem prorumpente,
acrimonia nervis inimica expellitur, &
sic pabulum malo epileptico subtrahi-
tur. Optimum autem auxilium ex ma-
trimonio redundavit; quippe quo libi-
do extinguitur, menses suppressi revo-
cantur, ærumnæ atque sollicitudines
depelluntur, & toti corpori ingens ac-
cedit mutatio.

OBSERVATIO X.

Tribus circiter abhinc annis ex vici-
na quadam urbe ad me accessit, meum.
que flagitavit auxilium, vir quidam rei
venatoris addictus, quadraginta an-
nos natus, constitutionis valde robu-
stæ, atque musculosi & carnosi admo-
dum corporis habitus. Illi nimirum an-
te duos menses prævia vertigine, at-
que sensuum abolitione, subito in ter-
ram ceciderat, & per integram horam
paroxysmum epilepticum satis gravem
toleraverat: quo etiam percellabatur
subinde, quoties ira excandescerebat.
Quod vitam antea, & causas ma-
lum illud inducentes attinet, gravissus
erat æger vegeta olim ac illibata sanita-
te, nili quod per intervalla vertiginem
inciderit, atque sensum gravitatis,
& ponderis in nucha perceperit. Alvi
autem erat segnioris; ad iram facilli-
mus; pro potu ordinario utebatur ce-
revisia valde lupulata atque spirituosâ;
& corpus suum validis ac fortioribus
motionibus, in horrida etiam cœli tem-
pestate vi officii subeundis, sæpenum-
ro insigniter defatigabat. Acciderat
vero, ut a Præfecto ipsius coram Prin-
cipe criminum quorundam, falso qui-
dem imputatorum, accusaretur: unde
subito tam graviter animo commotus
fuit, ut totum fere corpus ad præcordia
usque præ frigore riguerit. Haud ita
multo post, dejecta prorsus ciborum
adpetentia, largam cerevisiæ consuetæ
hausit quantitatem: postmodum rusticulas
jussu Principis persequuturus, in locis
humidis ac paludosis ad genua usque per
octo horas obambulavit; & cum tertia
die vehemens accesserit iracundia, re-
pente incidit in dictum superius paro-
xysmum epilepticum, qui cum spuma
oris, corporis vehementi concussione,
& subsequente membrorum summa
lassitudine stipatus, quater circiter re-
cruduit. Notatu vero dignum est mo-
mentum, quod singulas accessiones
præcesserit spasmus, tremor, ac fri-
gus brachii dextri; quæ sensationes

Notabis
lis Epi-
lepsia
ab asi-
m. pas-
sionibus
inducta.

abhinc ad nucham adspirantes, tandem in convulsivos desierunt motus. Pulsus ceterum satis magnus, ac validus erat, & facies florida, tumidaque. Suasi igitur sectionem venæ, quæ primum singulis mensibus, deinceps autem quovis anni quadrante celebrata fuit. Ad alvum, quæ vix alternis diebus respondebat, aperiendam commendavi pasculas Corinthiacas rhabarbarinas, brevi ante epulas ter in septimana sumendas. Pro potu ordinario loco cerevisiæ ordinavi decoctum ex radice scorzonæ, graminis, cichorei, & rasura cornu cervi concinnatum: vespere ante lecti introitum ex largo aquæ frigidæ haustu sumendum præscripsi pulverem, ex lapidum cancrorum, concharum præparatarum ana drachmis duabus, succini præparati, nitri purificati ana drachma una cum dimidia, cinnabaris scrupulo uno confectum; cujus drachmam unam pro dosi, alternis diebus cum triginta liquoris mei anodynî guttulis mixtam adhibuit. Nec spem fefellit hæc curatio: siquidem satis longo tempore a paroxysmo suo liber mansit. Quamobrem continuavit quidem medicinarum usum, sed rarius illas sumsit, atque refractiori dosi: præterea mane infusum theiforme ex herba melissæ ac floribus tiliaë forbillavit; decoctum commendatum sub prandio, inter cœnam vero & vespere cerevisiam potavit: ira percitus illico pulverem nitrosi cum rhabarbaro adhibuit; & sic per illos annos nullam amplius passus est paroxysmum. Quum vero nonnumquam vertiginoso insultu infestari soleat, avertere illum potest, si protinus, percepta quadam accessione balsamum meum vitæ, aliquot guttulis gossypio exceptum naribus intruserit.

Epicrisis.

Docet nos hæc morbi historia: 1) quod homines etiam robusti, succis & sanguine pleni per vehementes animi commotiones, terrorem, iram atque frigus externum repente, atque simul

& semel in gravissimos capitis affectus, ac epilepticos motus incidere queant: quos affectus iracundiæ facillime revocare potest. Illis enim causis succi vitales ex superficie corporis ad caput copiosius compelluntur, ibidemque nervosas partes ad spasmodicas proritant stricturas.

2) Deinceps res notatu digna est, præfens malum absque usu specificorum, cephalicorum, ac antepilepticorum, solis venæsectionibus, alterantibus, diluentibus, laxantibus, & bilem acriorem demulcentibus expugnatum fuisse. Nec cognitu difficilis est ratio: siquidem his remediis humorum moles imminuitur, acrimonia attemperatur, æqualis circulatio restituitur, & sic causa mali removetur. Sed horum medicaminum, utut refractiori dosi postea humorum continuatione per satis longum tempus opus est; quoniam motus ejusmodi præternaturales facillime iterum recrudescunt. Quo etiam sine operæ fuit pretium, post quamvis animi commotionem, ac iracundiam, absorbentia blandis evacuantibus juncta propinare.

OBSERVATIO XI.

Virgo generosa, viginti annorum, Epilepsia sanguinea-melancholica, cujus mater p^{ria} ex infelici puerperio comitalem sibi met contraxerat morbum, tribus ab hinc annis ex mala victus observatione quartanam inciderat febrem; cujus singula accessiones nausea, atque inani vomendi conatu erant stipatæ. Accivit igitur medicum, qui præmissis incidentibus, intercalari die lene dedit vomitorium: quod quidem egregium præstiterat effectum; cum autem ægra vix finitis vomitibus, frigido nimium indulisset potui, enormes primum anxietates præcordiorum, & brevi post ipsam passa est epilepsiam. Vocatus iterum Medicus suavit, ut hausta largius tepidiori aqua vomitus ciceretur: quo facto evanuit epilepsia, febris re-

misit, & menstrua rediit purgatio. Verum enim vero, longo tempore præterlapso nova sollicitari cœpit affectione; qua sæpius nauseam, ac levem animi defectionem, cum sensatione auræ frigida ex infimo ventre per latus dextrum ascendentis, spirandi difficultatem inferente, & demum in fornicantem manuum sensum abeunte percipiebat. Hoc vitium versus lunam plenam infestabat vehementius, cum sensuum abolitio, & somni defectu, nunquam vero turbabat appetitum: sed denique frustra datis uterinis, ac epilepticis, frustra quoque sanguine misso, quotidie recurrebat aliquoties. Tandem ex improvviso in horrendam repente incidebat epilepsiam; qua paululum consopita, omnes undique ex vestibus colligebat acus, eaque incredibili celeritate ori intrudebat; ut ad illas eximendas magno opus fuerit labore. Abhinc de insigni, atque tanta conquerebatur abdominis tensione, ut cutim externam vix corrugare potuerit, mensibus cæterum rite fluentibus. Consultus ego commendavi, ut præter exactam dietam, quavis septimana vel vomitus emetico ex radice Ypecacuanhæ, lapidibus cancrorum, & tartaro vitriolato confecto moveretur, vel alvus pulvere rhabarbarino subduceretur; porro singulis mensibus binæ cucurbitulæ cum scarificatione admoverentur: mane infusum theiforme ex floribus tilia ac sambuci forbillaretur, & ex illo liquor meus anodynus nonnunquam fumeretur. Dedi quoque pulverem meum antepilepticum, pondere scrupulorum duorum sæpius capiendum; & denique ventriculi regionem ac dorsi spinam, nervino inungi iussi linimento. Horum remediorum usum excepit tumor linguæ, gingivarum, & glandularum colli inflammatorius, cum copiosa salivatione, per quatuordecim in hærente dies. His autem ope gargarismatum debellatis, ægrota a malo suo per aliquot dies libera

vixit, ac incolumis. Quin licet etiam recrudescerent convulsivæ agitationes; illæ tamen pristinis longe mitiores deprehendebantur, & notabile fuit, iis finitis ægram ingenti semper aviditate cibos, minus quidem masticatos devorasse. Inde de acidis rusticis, ac amaro sapore conquesta, incidebat demum intertitanam febrem: cujus horridam accessionem epilepticus semper, utut levior, comitabatur insultus, atque vomendi conatus, sæpius vomitus materiæ mucida ac insipida accidebat. Curata vero congruis subsidiis hacce febre, ægrota absque ullo virium decremento bene habere cepit.

Epicrisis.

Affectum hunc ex solo primarum viarum vitio, nempe cruditatibus acido-viscidis biliosis, in duodeno stagnantibus, quæ etiam quartanam progenerarunt, ortum fuisse, nullum est dubium; eo magis, cum in nostra ægrota hæreditario jure quædam generis nervosi ad morbos spasmodicos deprehendatur dispositio. Hisce remotioribus causis cum denique accederet aquæ frigida post sumtum emeticum potus, non mirum, si exinde spasmus ventriculi exacerbatus primum anxietates præcordiorum induxerit, ac in ipsam demum eruperit epilepsiam. Frequentius enim observavi, cardialgiam spasmodicam, si fuerit vehementior, sæpenumero in epilepticos transire motus; quoniam videlicet insignis inter nervosas ventriculi & capitis partes, vi octavi nervorum paris, intercedit consensus. Quemadmodum vero potus ille frigidus tam atrox malum procreavit: ita e contrario tepidior ipsi sopiendo perquam fuit opportunus. Non enim solum calore suo partes nerveas, spasmo tensas iterum relaxavit; verum etiam largiori copia leviores excitavit vomitum, quo restans adhuc saburra eliminata, atque ideo omnis

morbi causa remota fuit. Notatu subinde perquam dignum est, quod sub presenti malo, & praesertim tensione illa abdominis, quae spasmodorum est progenies, menses rite fluxerint. Hunc autem fluxum minime secundum naturam fieri, sed omnino praeternaturalem esse credo, qui ex vehementi dolore atque strictura partium in imo ventre sitarum suos mutuatur natales: unde etiam factum est, ut sub hac critica excretionem, spasmodica nihilominus continuaverint symptomata. Tandem vero ex hac morbi historia adparer, quod quemadmodum epilepticum malum ex febre intermittente male tractata suboriri possit; ita illud etiam nova superveniente febre iterum felicissime debelleretur, uti in praesenti casu tertiaria factum esse deprehendimus. Ratio in aprico est: haec enim febres, dum obstructionibus ac infarctibus viscerum referendis convenientissimum sunt remedium, expugnando causam spasmodicorum motuum, ipsum quoque morbum tollunt.

OBSERVATIO XII.

Epilepsia ex intermissa venae sectione.

Viginti annorum virgo, corpore strictiori, venis amplioribus ac sanguine plenis, animo autem ad iracundiam ac terrorem admodum proclivi praedita, per totum quidem vitae suae tempus lauto atque copioso indulgit victui; sed parcissimo potu usa fuit, & ab illo per tres saepenumero dies abstinuit. Neque tamen minus iusto tempore menses satis largi fluere ceperunt; & tanta insuper humorum abundantia infestavit, ut a decimo septimo anno bis quotannis venam in pede secandam praebere debuerit, haud sine egregio fructu. Sanguis ex vena detractus semper admodum ater, atque exigua feri quantitate praeditus adparuit. Sed cum binis abhinc annis solitam sanguinis missionem neglexisset, accidit, ut medio autumno ex improvviso con-

vulsionibus corripereetur epilepticis; cum pectoris, capitis, artuumque vehementiori agitatione, & accedentibus subinde lypothymiis, omniumque virium insigni prostratione stipatis. Verum enimvero aucta successive diaphoresi, citra aliorum remediorum usum, haec molestiae remiserunt. Interim cum nihilo secius pristinae vivendi rationi inhæreretur, solidiores cibos magna cum adpetentia assumeret, potui parcissimo indulgeret: factum est, elapso biennio, ut intermissa de novo circa autumnale æquinoctium venae sectione, post praeviam animi vehementiorem exascescentiam, eodem ac olim mense, atrocem rursus inciderit epilepsiam. Namque per intervalla horarum aut dierum, mox mentis deliquia, cum pulsus ac sensationis cessatione; mox vehemētissimae thoracis & mammarum elevationes, praecordiorum angustiae, furibundi artuum, maxime manuum, in abjiciendis corporis integumentis gestus, cum pulsu celerrimo ac fortissimo, sitique ferme inextinguibili, misere discruciarunt agram. His autem post aliquot dies, per congruas antepileptica, praesertim liquorem anodynum, essentiae castorei nuptum, consopitis symptomatibus, successerunt capitis dolores, cum febrili pulsum celeritate, aestu atque siti ingenti, pectoris oppressionem, tussi sicca, & dolore hypochondrii sinistri atrocissimo juncti. Quamobrem sanguinis sex unciae ex vena in pede rufa detrahebantur; dabantur pulveres rhabarbarini, cum nitro & lapidibus cancrorum permixti; propinabantur post aliquot dies salis Sedlicensis uncia una cum dimidia, purgabantur leniter primae viae, subjungebantur pulveres diaphoretici, & liquor anodynus, ac denique Elixirium viscerale sub epulis exhibebatur. Quibus domum factum est, ut agra pristinae sanitati perfecte restitueretur.

Epicrisis.

Docemur ex hoc casu, a sola sanguinis crassi atque glutinosi, ob defectum sufficientis potus, ac motus cumulata mole, præsertim in feminis, quando menses non sufficienter fluunt, venæsectio negligitur, & denique iræ affectus supervenit, epilepticum malum excitari posse. Et a tali causa generatur epilepsia longe facilius est curatio. Præterea in nostro casu spasmus primarum viarum, non minus a stagnante ibidem sanguine productus, febrilibus originem dedit commotionibus: quarum demum ope materia nervoso generi inimica penitus discussa, evacuata, & ægra denique a malo suo liberata fuit.

OBSERVATIO XIII.

Epilepsia infantilis ex vitio nutriciae.

Uxor viri, cujus observatione X. mentio facta fuit, eo tempore, quo maritus primum epilepsia tentabatur, gravida, peperit quidem iusto tempore infantem per omnia sanum; sed postea crebrius vel ex lacte corrupto, vel dentitione epilepticos passum motus. Neque vero tantum illi metum incusserunt, ut mater medicos confuleret; sed ex dato pulvere marchionis, cum rhabbarbo maritato semper remisissent.

Epicrisis.

Hic casus confirmat id, quod multoties observavi; infantes nimirum a matribus, quæ gestationis tempore gravioribus animi passionibus indulserunt, aut affectibus hystericis, arthriticis atque spasmodicis nimium excruciatæ fuerunt, natos facillimos esse ab ubeundis ex levissima causa motus convulsivos. Simulæ enim lac sugunt impurum, ac corruptum, protinus illos incurrunt: quo quidem in casu nihil deprehendi præstantius,

quam pulveres ex rhabbarbari lapidum cancrorum ana drachma una, & seminis cymini granis duodecim paratos, si eorum octava circiter pars bis quotidie propinetur. Hoc loco monendum omnino duxi, ut nutricum recta habeatur ratio; quippe quarum culpa plerique infantum in hos atroces conjiciuntur morbos. Omnem nimirum curam impendere illas oportet, ut lac conservent purum; nec illud, si jam inveteratum fuerit, aut nutrices diu mammas præbuerint, infantibus porrigant. Placent mihi verba, quæ de nutricum regimine habet ALEXANDER TRALLIANUS Lib. 1. pag. 63. quæ cum totam ferme rem exhaustire videantur, hic allegare haud alienum credo: Juvare nos, inquit, curamque habere oportet, ut lac nutricis benignum sit, & recrementis liberum; fiet autem probi bonique succi, si nutrici animum adhibeas, ipsa mediocriter exerceatur, & cibis boni succi vescatur. Si lac fuerit tenue, paullo crassius efficere convenit: si crassum, extenuare quibusdam, quale est fœniculum, aut anethum, aut anisum, aut erucam, aut rutam: omnia vero hæc, dum viridia sunt, assumantur. Fugiantur cuncta, quæ menses ciunt, his enim fluentibus, necesse est, lac imminui: quare etiam venus lactentibus est inimica, lac enim tenue & fœtidi odoris inde fit. Si contingat concipere, adhuc multo fit perniciosius, ac cavendum est, ne illa nutrix ulterius mamillam porrigat. Lac si fuerit crassum ac caseosum, excitat infantibus convulsiones: quare opus est, ut nutrix ante cibum corpus moveat.

Plures de hoc morbo casus legi possunt in consultationibus Medicis, nuper editis Tom. I. casibus XXVIII. ad XXXII.

C A P U T II.

D E

MOTIBUS CONVULSIVIS.

§. I.

Defini-
tio C6.
Convul-
sionum.

SI ullum morbi genus est, quod immani ferocitate, ac horrendis visu symptomatibus mortales excruciat, certe sunt motus convulsivi. Hi vero, cum a convulsionibus non nisi nomine differunt, sunt præternaturalis, ac summe violenta partium nerveo-membranosarum & musculosarum, trunci potissimum, ac artuum externorum contractio, a membranarum medullam spinalem, & inde prodeuntes nervos cingentium spasmodica strictura, & impetuosiori liquidi tenuissimi in organa motoria influxu excitata.

§. II.

Dif-
ferentia
convul-
sionum
ab epi-
lepsia.

Hinc mox adparet differentia, quæ motus convulsivos ac epilepsiam intercedit. Quemadmodum enim hujus primaria causa in nerveis illis, quæ cerebrum ac reliquas capitis partes sub nomine duræ, præque meningis investiant, membranis residet: ita e contrario convulsionum vera sedes in illis membranis, quæ spinalem potissimum medullam, ac inde propullulantes nervos ambiunt, quærenda est. Differunt non minus utriusque affectus symptomata; licet pleraque ob ærissimum, quo hæ nervæ invicem gaudent membranæ, consensum, ferme eadem, saltem admodum convenire deprehendantur. Enim vero in ipsa epilepsia observantur mentis alienatio, sensuum tam internorum, quam externorum defectio, spuma oris, pollicum in manus compressio, & denique, si malum cessaverit, omnium gestorum ignorantia. Sed hæc fere a convulsivis

motibus aliena videntur: nam nec mentis error incidit, nec os spumam reddit, nec pollices in pugnum colliguntur: quæ si contigerint, hos cum epilepsia complicatos esse indicant, & malum constituunt convulsivo epilepticum.

§. III.

Objec-
tum
convul-
sionum.

Proprie malum convulsivum, more spasmodicis motibus consueto, in eas potissimum partes tyrannidem suam exercet, quæ nervosæ, fibrosæ, ac membranaceæ sunt. Sed cum hæ aliis musculosis, glandulosis, cartilagineis, ossisque copiosissime deprehenduntur intertextæ; illas quoque in sævissimarum motionum rapiunt societatem. Atque licet externas potissimum regiones, ac artus excrucient hi violenti motus; attamen ad interiora etiam viscera penetrant, in iisque fontica mala machinari valent.

§. IV.

Signa
convul-
siones
antece-
dentia.

Variis modis hæc adfectio miseros adoritur: quosdam enim subito absque ullis venturi mali notis prehendit; in aliis autem signis quibusdam sui adventum prænunciat. Horum potissima sunt artuum externorum, maxime pedum refrigeratio, vel formicans sensus; qui etiam oscoccygis occupat, & instar auræ frigide per spinam dorsi ascendit. Accedunt hypochondrio sinistro tensivi inflativi dolores, & alvi tanta obstipatio, ut nec flatus, nec excrementa exire queant; nec sæpius tenuissima fistula anum intrare possit, aut etiam glandes ac enemata vi spasmodorum per vomitum cum stercore ejiciantur. Vesica constringitur ærissime, ut urine vel nullæ, vel tenues ac albæ reddantur. In aliis præcedunt oscitationes, pandiculationes, totius corporis tremores; vel etiam præcordiorum anxietates, cum pulsu inequali duro, contracto, cardialgiæ, nausæ, vomitus, cordis palpitationes, deglutiti-

tion.

tionis impedimentum, dolores capitis, dentium, tinnitus aurium, vertigo &c. & tum excipiunt convulsiones.

§. V.

Paroxysmorum descriptio. In ipso paroxysmo artus potissimum externi mirum in modum agitantur, huc vel illuc trahuntur, retrahuntur, distenduntur, crispantur, jactantur, contorquentur, & incurvantur. Mox brachia in tergum retorquentur, ut illis insidere videantur; mox inanibus auram verberant ictibus; mox pedes in varias plagas abripiuntur; mox valide terram quatunt & conculcant; mox spina dorsi incurvatur, & veluti arcum format, pectus attollitur; mox totum corpus obrigescit, & saxo magis immotum tenetur &c. Multos hæc agitationes in eo situ, quo sunt, occupant, nec in terram prosternunt; alii more epilepticorum subito concidunt, flent, rident, dentes commordent, ore hiant, linguam exserunt, oculos variis modis contorquent, & capite circumgyrantur. Quemadmodum vero gestus ac motus partium, quos in hoc morbo deprehendimus, mira ac incredibili varietate tristem scenam ludunt; cujus singulares recensiones occurrunt in M.N.C. anno VI. obs. 23. Dec. I. anno 9. obs. 64. Dec. II. anno 3. obs. 77. anno 7. obs. 135. HORSTII epist. 346. &c. ita longe majorem admirationem meretur, & portento videtur simillimum, tales ægros haud raro peregrinas, quas nunquam didicerunt, linguas strepere, & instar vaticinorum futura prælagire. Unde quoque a veteribus pro dæmoniis habitis fuerunt. Vid. FORESTUS obs. med. Lib. X. obs. LVI. Schol. pag. 486.

§. VI.

Paroxysmorum solutio. Superatis accessionibus plurimi infabilem totius corporis, pedumque languorem retinent; multi in animi deliquia, altumque soporem delabun-

tur; quibusdam explosione ructuum, flatuum, vomitu, copiosa lymphæ ex gula reiectione malum solvitur. Sæpius muci vel sanguinis evacuatio per nares, uterum, hæmorrhoides &c. insequitur: quidam clamore, aliisque innumeris modis accessionem finiunt. Ceterum in his agris somnus esse solet turbulentus, terroris, timorisque plenus; adpetentia ciborum vaga; alvus plerumque segnis & pigra; ægroti ad sudorem difficillimi, ad animi vero passiones, & præsertim *συμπύκνυν* admodum proni observantur. Accessiones modo longiores, modo breviores, per intervalla mox breviora, mox longiora recidunt: & lunæ mutationes sæpe strictissime observant; quid? quod nota mihi sint exempla, ubi certo anni tempore reversæ, per aliquot dumtaxat menses sævierunt, postea ex toto siverunt. In sexu sequiori mensium eruptionem vel antecedunt, vel ipsum fluxum comitantur: sumtis epulis frequentiores existunt ac sæviores; & a levissimis causis, præsertim animi affectibus facillime excitantur.

§. VII.

Ferali huic malo præ aliis obnoxii Convulsio debile vel ex nativa constitutione, ^{Convul- sionum subje- cta.} vel aliis causis obtinent; eo magis, si succorum vitalium impura accesserit temperies. Hinc etiam morbus ille non solum per hæreditatem ad liberos transit, verum etiam per longam generis seriem, quasi per manus posteris traditur: maxime si parentes hypochondriaci, hysterici, arthritici, hæmorrhoidarii fuerint, vel mater gravida ad graviores animi commotiones inclinaverit. Ex eodem fundamento pueri, adolescentuli, præ adultioribus; sæminæ præ viris huic affectui sunt expositi: ad quem etiam proclives reperiuntur, qui animi sensibilibioris & ingenii acutiores sunt,

sunt, veluti cholericis temperamento præditi.

S. VIII.

Causa
proxima
motuum
convul-
sivorum.

Sed missa motuum convulsivorum historia, pathologiam aggressuri, causam illorum proximam in membranarum medullam spinalem cingentium, & inde productarum partium nervosarum valida ac violenta strictura ponimus. Hinc patet, in convulsionibus illas dumtaxat partes agitari, quæ ex spinali medulla nervos suos mutuuntur: cum autem dictæ membranæ cum cerebri meningibus, cujus sunt productiones, intima communione gaudeant; cognitum facillimum est, cur convulsivi cum epilepticis motibus frequentius compliceantur; quin & in hos sæpenumero transeant.

S. IX.

Structura
medullæ
spinalis.

Hæc, ut eo clariora fiant, haud ignorari oportet, medullam spinalem esse cerebro similem, ex parte alba seu medullari, & cinerea compositam, cerebro continuam: (vid. HIPPOCRATES L. de carnibus Sectio III. GALLENUS L. XII. de usu partium Cap. XV. VESLINGIUS Anat. Cap. XIV. pag. 224.) uno communi membrana ceo involucre, quod spondylis vertebrarum adhaeret, & tribus propriis membranis, intima secundaque a pia cerebri meninge productis, tertia ex dura matre propagata investitam, & intra specum vertebrarum reconditam. VIEUSSENS *Neurograph. Lib. II. cap. 1.* Gaudet illa valis languiferis arteriolis pariter, ac venosis, per ipsam illius substantiam disseminatis. Recipit nimirum arteriosos ramos ex arteriis vertebralibus, & trunco aortæ descendente: ex quibus refluus cruor per venulas primum in sinus vertebrarum venosos, in venas vertebrarum, venam sine pari, aliasque venulas, & tandem in venam cavam ascendentem effunditur. Vid. VIEUSSENS *loc. cit. Tab. XVIII. fig. I. II. III.* Denique ea potissimum hujus medullæ videtur esse functio, ut varios e sinu suo nervos

emittat; quorum triginta sunt paria, & duo nervi spinales, accessorii a WILLISIO dicti, qui ad par vagum tendunt. *Ibid. Tab. XIX. fig. 1.* Hi ergo nervi primum ad mûculos cervicis, colli, pectoris, dorsi, abdominis, artuum superiorum & inferiorum tendunt, harumque partium motui intervium; deinde per interna pectoris ac abdominis viscera distribuuntur, membranas in iis obvias constituunt, & denique varios insignesque ramos ad mûculos externos faciei capitique dîmittunt, & ad horum motum multum contribuunt.

S. X.

Hanc allegatam causam, quicunque cum omnibus morbi symptomatibus rite comparaverit, facile illorum nexum rationalem invenire, ac causam mechanicam reddere poterit. Sed notandum est, hanc dictarum partium convulsivam irritationem duplici contingere posse ratione: namque vel ipsæ spinalis medullæ membranæ primario irritantur, convelluntur, & in hanc convulsionum societatem alias sibi connexas partes abripiunt; vel harum partium quædam prius spasmodice afficiuntur, & hanc distentionem cum medulla spinali communicant; ex qua ad alias iterum defertur regiones. Hac ratione, quid obstat, quo minus prioris generis convulsionem idiopathicas, posterioris sympathicas adpellemus.

Differē-
tia con-
vulsi-
onum in
idopa-
thicas,
& sym-
pathi-
cas.

S. XI.

Inter causas autem mediatas, quæ ad spasmodicam hanc medullæ spinalis contractionem disponere valent, principem locum occupant graviore animi passionem: quibus ad inducendos non minus, quam fovendos hosce diros motus nihil est efficacius, maxime si externum frigus, & diæta errores accesserint. Memorabilem de dira convulsione, ex subita animi consternatione ob commissum antea stuprum ex- citata causam allegat HENRICUS ab HEER *obs. XXIV.* & quid frequen- tius, quam homines, præsertim ju- niores ex gravi terrore ac iracundia ve-

Convul-
siones
ab ani-
mi affe-
ctibus.

hementissime convelli? Eximia inprimis in hisce morbis excitandis, nimia libidini, venerisque præmaturo aut immodico exercitio vis est: unde quoque coitus parva epilepsia vocatur.

§. XII.

Con-
vulsi-
ones ex
vicio
humo-
rum.

Deinde inter horrendi hujus mali causas materiales recte collocatur succorum vitalium vitium; eorumque præsertim dyscrasia quædam acris, salina, scorbutica. Hinc sæpenumero enascuntur convulsiones ab arthritide, podagra, scabie, purpura &c. intra corpus retropulsis; & his iterum ad externum habitum, & artus erumpentibus, denuo mitigantur. Quum autem porro impuritati humorum inducendæ nihil magis faveat, quam ipsorum abundantia, vel spissitudo; maxime si excretiones naturales per sudorem, vel alvum, vel etiam sanguineæ hæmorrhoidales, ac uterinæ fuerint immixtæ aut suppressæ: facile patet, cur morbis hypochondriacis, hysteriacis, mensium ac hæmorrhoidum obstructione tentati, hisce convulsivis spasmodicis præ aliis observentur obnoxii. Hinc quoque crebra obvium est experientia, quod virgines, menstruum nondum passæ excretionem, sævis convulsivis, spasmodicisque tententur agitationibus; quæ orto mensium fluxu sæpenumero cessare deprehenduntur.

§. XIII.

Con-
vulsi-
ones ex
vicio
primæ
viæ
humo-
rum.

Si ulterius inquiramus in eas nervosas partes, ex quibus stricturæ convulsivæ ad spinalis medullæ membranas propagari solent: has inter principem locum sibi vindicat membranaceus ventriculi ac intestinorum canalis, cujus vellicationes efficacissimam causam universi generis nervosi distentionibus suppeditant. Ipsæ enim hæ partes vi fabricæ earundem nervo-membranaceæ insignem proclivitatem possident ad suscipiendos motus irregulares, & a levissima causa graviter adficiuntur. Cum autem ventriculus nervos suos primum ab octavi paris ramo externo tam dextro, quam sini-

stro; deinde etiam a nervis ex prima, secundaque dorsi vertebra emergentibus, & in costalem ramum abeuntibus mutuetur; & intestina ramos nerveos a ramo octavi paris interno, cum intercostali concurrente, & plexum mesentericum formante adipiscantur: ratio in aprico est, cur harum partium stricturæ ad membranas spinalis medullæ, & universum nervorum genus facillime propagentur.

§. XIV.

Tali ratione non frequentiores occurrunt convulsiones, quam quæ in duodeno potissimum intestino primariam agnoscunt sedem: in quo stabulantes cruditates acidæ, atque viscidæ, ob concursum biliosi ac pancreatici succi, promptissime acrem, ac causticam fere indolem acquirunt. Sic notabilem casum de catalepsi cum horrendis convulsionibus, cujus fomes in primis viis hæsit, recensent M. N. C. dec. III. anno III. obs. 138. Hinc etiam remedia acrida, caustica, atque venena, rodendo membranas intestinorum, convulsiones universales excitare valent. Sic has a vino lithargyrio dulcificato abortas referunt M. N. C. Dec. III. anno IV. obs. 30. pag. 81. Et quem fugit, purgantia acriora idem sapius excitasse malum? Conf. iterum M. N. C. dec. II. anno VII. observ. 162. Hæc omnia eo certius fiunt, faciliusque, si scorbutica concurrat diathesis: hinc de convulsionibus epilepticis violentis ex clystere acriori in doloribus ventris scorbuticis incaute adplicato excitatis notabilem recensent observationem M. N. C. obs. 77. dec. II. anno 3.

In duo-
deno
latus
sapius
fomes
convul-
sionum.

§. XV.

Huc etiam pertinent observationes, quarum innumera a probatissimis auctoribus prodita leguntur, de vermibus in intestinis stabulantibus, admittendas motuum convulsivorum species, ambulatorias, rotatorias &c. maxime in pueris excitantibus: quales notatu dignos casus reperies apud GEORGIUM HORSTIUM epist. medicin. Sect. III. pag. 377. M. N. C.

Con-
vulsi-
ones a
vermi-
bus.

d. l. a. VI. obs. 187. item Dec. III. anno III. obs. XCIX. & FORESTUM obs. med. L. X. obs. 117. Si in causas inquirimus, illæ non solum in rosionibus ac vellicationibus intestinorum, quæ quidem in infantibus locum obtinent, consistunt: verum, ubi in adultioribus contingunt, magis mortuis in intestinis vermibus sunt accensenda; qui putredinosum vaporem spargunt, ac nervo generi insinuant: unde in hisce calibus halitus oris sæpius deprehenditur foetidus, ac cadaverosus.

§. XVI.

Con-
vulsio-
nes ex
læsione
vesicæ
& uteri.

Quum porro vesica urinaria atque uterum ramos suos nerveos accipiunt ab interni ostavi paris rami infimis ramulis pariter, ac quibusdam ossis sacri propaginibus: facile judicari potest, cur harum etiam partium vellicationes, spasmi, atque graviores læsiones in convulsiones abeant. Quot innumera sunt exempla convulsionum epilepticarum ex suppressione urinæ productarum? teste celeberrimo ETTMULLERO Coll. Practic. Par. II. Tom. I. pag. 658. Ut omnia silentio præteream; haud rara sunt exempla, quod peculiaries artuum convulsivæ motiones in parturientibus observentur; quando nempe spasmi uterini superiora petunt; & nervos medullæ spinalis invadunt. Unde manus atque collum sæpius hinc inde ex uno latere ad alterum agitantur, pectus valide attollitur, contremiscunt membra, totumque corpus: & nisi conquiescant, & ad foetum expellendum rursus deriventur, infanti non minus ac matri satis grave, ac ipsius vitæ minuantur periculum. Quamvis enim novissimum sit, nullum partum absque motibus spasmodico-convulsivis obtineri: probe tamen tenendum est, eorum sedem in utero potissimum, osse sacro, vicinisque musculis naturaliter residere debere. Quando vero a variis causis simul ad superiores corporis regiones propagantur; medullæque spinalis superiorem partem oc-

cupant; varias horrendas, tristisque ludunt tragœdias.

§. XVII.

Non minus externas ipsius medullæ spinalis pariter, ac aliarum remotiorum etiam nervosarum partium læsiones insequuntur horrendæ convulsiones. Fracturis atque luxationibus vertebrarum dorsii, ubi festuca ossæ pungunt spinalem medullam, supervenire motus convulsivos, cuivis chirurgorum notum est. Et quem fugit, quod graviora nervosarum partium vulnera, nervorum vel incauta venæsectione, vel aliis causis inductas puncturas ac vellicationes, gravissimæ excipiant convulsiones? Talem casum de convulsionibus ex nervo in manu puncto subortis annotavit RHODIUS obs. cent. I. obs. 32. & 50. ex punctura nervi per venæsectionem male peractam FORESTUS obs. Lib. X. obs. 118. & 119. ex vulnere obs. 120. &c. quid? quod de motibus hisce violentis ab unguibus incaute resectis casum adferat RHODIUS loc. cit. Hinc quoque puncturæ, vulnera, atque læsiones quarundam capitis exteriorum partium & musculorum sæpius in convulsivos motus abire deprehenduntur, & hos quidem a læsione musculi temporalis excitatos vidi. Nec etiam mirum: nam ex nervo secundo verticali rami quidam sursum per aurem externam reflexi, varios ingrediuntur faciei musculos, annotante VIEUSSENS Neurograph. Tab. XXIV.

§. XVIII.

Eidem fundamento innituntur convulsiones ab ictu variorum insectorum productæ. Harum admirandam speciem a morfu muscæ majoris, allegant A. N. C. dec. I. anno IX. obs. 65; Has præprimis stupendas artuum, dorsique agitationes, incurvationes, jactationes cum turbata etiam phantasia stipatas, ab ictibus morsibusque ira perterritorum insectorum excitari, multæ à probatissimis medicis conscriptæ attestantur historię: ex quibus etiam clarissimum fit, valde exilem, & ad-

Con-
vulsio-
nes ab
exter-
nis læ-
sioni-
bus.

Con-
vulsio-
nes ab
ictu &
morfu
anima-
lium.

modum perniciosam esse illam materiam, quæ tantos tumultus, & irregulares motus in universo nervorum, nervosarumque partium systemate suscitare valet.

§. XIX.

Prognosis motuum convulsivorum.

Quamvis horrendum, terrorisque plenum hoc malum adpareat: neutiquam tamen adeo funestum est, ut quos corripuit, subito occidat. Ubi recens est, ætas junior, ac reliqua corporis constitutio integrior accesserint, spes est facillioris ac brevioris curationis. Quod si sanguinis naturales excretiones per uterum aut hæmorrhoides suppressæ hunc affectum foverint; hic illis iterum revocatis omnino mitigatur, ac prorsus depellitur. Contra vero, si humores spissi ac impuri sunt, excretiones suppressæ manent, temperamentum accedit sensibilibus, ætasque provectior, ac ipsum malum vel hæreditarium, vel temporis diuturnitate in pertinacem habitum degeneratum est, per arduum omnino videtur, illi penitus mederi. Tum enim non solum fluidæ partes peccant; verum etiam solidæ nervæ, in quas acris halituosa materia veluti impacta, ac jus hospitii nata est. Præterea nervi, dum sub violentis concussionibus admodum extenduntur, loco fluidi tenuissimi ac ætherei adimplentur vapore crassiori aereo, & hinc difficillime in naturalem reducuntur statum. Exinde quoque his morbis obnoxiorum hominum insigne, quo sub paroxysmo pollent, robor derivandum est. Haud etiam raro, accedentibus præsertim mala victus observatione, aut perversa medicatione, convulsionibus abeunt in veram epilepsiam, vel etiam melancholiam hypochondriacam. Et denique quicumque his pereunt, apoplexia abripiuntur: hinc in dissectis cadaveribus in ipso cerebro vel vasorum a stagnante in iis sanguine infarctus, ac distensio; vel cruori aut seri hinc inde in ventriculis cerebri, vel medulla oblongata extravasatio in conspectum veniunt.

CURATIO.

§. I.

Convulsivos motus expugnaturus, Indicationes tres occurrunt potissimum indicationes, quarum prima est, ut causas materiales malum foverentes corrigat, ad exitum præparet, & opportune e corpore ejiciat: deinde violentas & irregulares partium nervosarum motiones demulceat; ac denique ne more ipsis consueto iterum recrudescant, genus nervosum corroboret. Ante omnia vero, maxime si paululum inveteratus fuerit affectus, monendus est æger, ut curationem summa patientia per aliquod tempus protrahat. Neque enim illam multis ac drasticis remediis persicere, sed magis blandis, ac naturæ congruis instituere convenit præsidium; quæ patientia, ac temporis diuturnitate adjunctæ omne curationis momentum absolvere possunt.

§. II.

Itaque, circa curandi rationem generatim ita tenere oportet. Quod si malum juxta Hippocratem a nimia humorum repletione subortum; aut sanguinis justo copiosior moles, aut spissitudo cum pulsu magno fuerit præsto, & præsertim temperamentum accedat sanguineum: a sanguinis detractio auspiciis curationis capiendum est, pertula vel in brachio, vel pede vena. Neque etiam minus pro ratione plethoræ venæsectiones bis vel ter in hoc morbo iterandæ; vel etiam scarificationes interponendæ sunt. Præstat vero paroxysmo soluto, quam in ejus accessione sanguinem mittere: non semel enim inde longe truculentiora, & diutius perseverantia animadverti symptomata.

§. III.

Deinde vero nunquam fere vidi debellatos motus convulsivos, nisi accedente recta victus ratione. Quamobrem inveteratis potissimum convulsionibus accommodatissimum est, aerem, locumque, præsertim si vappidus nimium

Indicationes tres occurrunt potissimum indicationes, quarum prima est, ut causas materiales malum foverentes corrigat, ad exitum præparet, & opportune e corpore ejiciat: deinde violentas & irregulares partium nervosarum motiones demulceat; ac denique ne more ipsis consueto iterum recrudescant, genus nervosum corroboret.

Venæsectiones bis vel ter in hoc morbo iterandæ; vel etiam scarificationes interponendæ sunt.

Diæta simplicissima præstet.

mium ac humidus exstiterit, permutare; atque sub coelo sereno ac clementiori vivere, itineribus ac crebris exercitiis corpus sedulo movere. Cibi etiam feligantur congrui, molliores, ac concoctu faciliores; omnesque potus calidiores, spirituos, vinosi ac cerevisiarum evitentur: quorum in locum pro potu ordinario assumenda sunt decocta ex radice scorzonerae, rasura cornu cervi concinnata, aut serum lactis, aut acida Selterana. Tum quoque in usum vocanda sunt pediluvia, quae ex sola aqua fluviali, furforibus triticeis ac floribus chamameli parari possunt. His dumtaxat tepidioribus circa lecti introitus pedes paullo profundius immittere, & tum in lecto leniter sudare oportet: sic enim humorum circuitum promovendi, & stricturas spasmodicas consopendi, egregiam possident virtutem.

§. IV.

Laxantia ubi
fiet adhibenda.

Inprimis vero nihil molendum est, nisi alvus simul conservetur aperta: quo quidem sine, si pigra est, & officio suo haud respondet, conducunt vel pilulae balsamicae, vel infusa ac potiunculae mannatae, vel manna loco sacchari ex infuso calidiori sumpta, vel denique, si plane obstructa fuerit, clysteres emollientes, fortiter oleosi etiam iterandi. Quando vero mali fomitem in primis viis residere, certa sunt indicia; consultum est, praesertim circa lunae mutationes emeticum cum laxante jungere; & e.g. decocto mannato, quod recipit unam mannae unciam, grana duo vel tria tartari emetici admiscere: ut per superiora pariter ac inferiora sufficiens humorum vitiosorum fiat evacuatio.

§. V.

Aqua simplicis usus.

Inter simplicissima, ac diætetica, quae morbis convulsivis incredibilem ferre solent opem, remedia praestantissimum est aqua simplex, naturali frigidity largius hausta: qua sola atrocissimas convulsiones profligatas vidi. Ea namque levitate ac fluiditate sua minima corporis nostri vascula pene-

trat, cruorem magis fluxilem reddit, partes roborat, humores atque vapores acres sulphureos involvit, ac leniorem excitando sudorem, secum e corpore ducit. Id circo etiam congruus, ac bene ordinatus acidularum, ac thermarum temperatiorum usus insignem in his morbis pollicetur utilitatem.

§. VI.

Quod si speciatim in pubertatis vel adolescentiae annis a nimia vel intempestiva venere, aut ira, aliisque animi commotionibus originem traxerit malum: cavendum est ab omnibus, quae commotionem & orgasmum in partibus fluidis concitant, vel solida impetuose movent, & ad graviores stricturas proritant; veluti sunt aromatica, acria purgantia, emetica, calidiora omnia, spirituos, fortiores corporis & animi motus. Contra vero, major spes in diæteticis, emollientibus, demulcentibus, nutritivis collocanda est: quo sine cura lactis bubuli, vel asinini, vel etiam feri lactis, nec non balnea ex aqua dulci, affuso lacte parata insignem merentur commendationem. Non minus conferunt juscula gelatinosa, nutrientia, decocta ex radice scorzonerae, hordeo, rasura cornu cervi, eboris, & carne viperarum parata, pro potu ordinario usurpanda: decoctum succoladae tenuius, aliaque. Jungenda his denique motus spasmodicos demulcentia remedia, anodyna & specifica: quorum inferius fiet mentio.

§. VII.

Quandocunque verminosa colluvies anam, causamque praebet convulsivis: tunc ad hos expellendos atque enecandos intentio medendi debet ferri. At vero probe notandum, non omnia hic invenire locum anthelmitica specifica, uti alliacea, vitriolacea, venerea, aloetica, acriora purgantia, & mercurialia incaute adhibita: quippe quae vermibus quidem adversantur, simul vero partibus nervosis inimica sunt. Operae magis erit pretium, externis pugnare remediis: quae inter cly-

Curatio
mali ab
animi
affecti-
bus, vel
nimia
venere
ortu.

A ver-
mibus
& pri-
marum
viarum
vitiis
inducti.

ite-

steres ex lacte, ac dulcibus, oleosisque parati; & linimenta purgante prædita virtute, veluti unguentum de arthanita, externe umbilico atque abdomini applicata palmam obrinent. Quæ interne exhiberi possunt anthelmintica, simul roborantem ac nervinam possidere debent efficaciam, uti semen fantonici, vel in pulverem, vel essentiam minus spirituosam redactum; vel mercurius dulcis, si cum duabus cinnabaris medicinalis partibus miscetur, & cum extracto tanacetii, rhabbari atque centaury minoris in formam pilularum redigitur. Aliis primarum viarum vitiis, sordibus acidis, biliosis, viscidis opponenda sunt incidentia, resolventia, digestiva, absorbentia, acrimoniam attemperantia, ac leviter evacuantia vel emetica, vel laxantia. Si acriora purgantia, caustica, venenosa remedia malum introduxerint: eorum aculei remediis pinguibus, oleosis, mucilaginosi atque lacticiis sunt obtundendi.

S. VIII.

Si mensum suppressio horrendum hocce malum sustentaverit, probe cavendum, ne emmenagogis aliisque calidioribus medicinis, & quæ vulgo solent adhiberi, eorum revocationem tentemus. Hoc in casu præstat balneorum naturalium, & aquarum thermalium usu; venæsectionum prudenti administratione; pedilaviis tepidioribus, pilulis balsamicis, infusis calidis ex floribus melissæ atque tiliz, pulveribusque temperantibus humorum aequalem circulum restituere: tum motus partium solidarum irregulares antispasmodicis, ac anodynis, veluti est liquor meus anodynus, cum essentia castorei maritatus, quod præstantissimum omnium est medicamentum, coercere, ac his denique sedatis imbecillas partes corroborare. Quod si vero hæmorrhoidum suppressio, vel imminutio malo dederit pabulum, præter commendatorum remedium, & venæsectionum usum, hirudines ad anum applicatæ egregium spondent emolumentum.

S. IX.

Haud raro contingit, ut sudores re- tropulsi, excretiones ulcerosæ, scabiosæ, purpuracæ repressæ, aut motus arthritici vel podagrici intra corpus acti malum convulsivum inducant. Hoc in casu acrimoniæ primarum viarum temperandæ, simulque spasmodicis stricturis demulcendis egregie conveniunt pulveres absorbentes ex lapidibus cancrorum, pulvere marchionis, succino præparato, cinnabari, nitro, antimonio diaphoretico, & extracto croci castorei confecti. Vespere assumi potest liquor meus anodynus cum refracta dosi spiritus bezoardici Bussii & castorei remixtus; aut pilulæ antispasmodicæ, quæ ex extracti millefolii, florum chamomillæ, herbæ cardui benedicti, ana drachma una, theriacæ, succini, cinnabaris, ana drachma dimidia, croci granis duodecim, & olei chamæmeli veri guttis octo parantur: quibus crebra interponi debent laxantia. Tum denique cura lactis asinini cum acidulis Selteranis remixti, aut etiam serilactis in usum vocanda, & per aliquot hebdomades, interposita quandoque manna, cremori tartari nupta, protrahenda est.

S. X.

Tali ratione remotis causis materialibus, præsertim crassioribus, si adhuc resisterint motus convulsivi: illis obviam eundem est remediis motus effrænes sedantibus atque specificis, quæ vapori subtili sulphureo, nervis impacto, & mali genuino pabulo sunt inimica. Ad eorum censum præprimis pertinent antispasmodica ac antepileptica sic dicta specifica, quæ ex regno animali petuntur: horum enim fragrantia quadam, olfactu mox percipienda, revera halitibus istis graveolentibus, convulsionum nutriticibus adversatur, eosque specifica virtute infringit. Hoc nomine insignem meretur laudem rasura dentis hippopotami, eboris, lapidis manati, ungulæ alcis, cranii humani, item secundinæ ac sanguis humanus exsiccatus, viscera vipe-

A sup:
preffis
sudoris
bus,
scabie,
poda-
gra.

Specifi-
ca.

Ab ex:
cretio-
num
sangu-
nearum
suppres-
sione su-
stentari.

rarum & serpentum, eorumque cor, fel & hepar, tali leporum siccato atque pulverisati, aqua hirundinum cum castoreo, maxime omnium pulvis lumbricorum terrestrium majalium. Neque minus quædam medicamina ex regno vegetabili ac minerali desumpta sunt efficacissima: quæ inter carbones tiliæ pulverisati, extractum croci, flores & radix pœoniæ, papaveris rhæados, cinnabaris medicinalis &c. digna sunt, ut commendentur. Huc quoque spectant, & singulari fructu adhibentur remedia sedativa; ac sic dicta anodyna; veluti sunt liquor meus anodynus, cum essentia castorei mixtus: pilulæ de cynoglossa, si cum auro fulminante & cinnabari nativa commisceantur, pilulæ Wildegansii, quæ remota crassiori materia, habituales motus insigniter refrænant, ac consopiant. Quorum, ut & roborantium, tertiæ indicationi satisfaciendum, amplior fit mentio præcedente capite de epilepsia.

§. XI.

Externa
remedia.

Neque vero negligenda sunt externa remedia, quæ inter unguenta ac linimenta nuchæ & spinæ dorsæ inungenda non carent sua laude. Horum præcipua ingredientia sunt axungia humana, taxi, ursi, muris alpini, pinguedo castorei, viperarum; quibus admisceantur olea destillata v. g. rutæ, lavendulæ, majoranæ, rosmarini, nucistæ &c. & ad meliorem penetrationem aliquot spiritus salis ammoniaci volatilis guttulæ. Sed notandum est, olea destillata in subiectis, quæ illa perferre nequeunt, omittenda; & solis axungis, ac mucilaginosi utendum esse. Tum vero omnibus præferri merentur balnea aquæ dulcis circa tempus invasionis usurpata: a quorum usu lenis provocatur sudor, vel ipsa natura sponte ad hunc inclinante, vel adjuncta infuso theiformi ex floribus tiliæ, quæ peculiaris sunt virtutis, primulæ veris, hyperici & radice valerianæ parato: quibus sæpius horrendæ accessiones anticipantur.

Cautelæ, & monita practica.

§. I.

Quandocunque in convulsivis moribus, a vermium colluvie productis mercurius dulcis cum purgante exhibetur, probe observandum est, ut ante hujus, aliorumque anthelminticorum usum demulcentia mucilaginosa, ut oleum amygdalarum dulcium ad aliquot cochlearia, vel lac ipsum sumatur, vel etiam superbibatur, quo stricturæ intestinorum hisce demulceantur.

§. II.

Quamquam venæsectio sæpissime locum habeat in hisce adfectibus, maxime si plethora, aut humorum spissitudo, dyscrasia, aut mensum vel hæmorrhoidum suppressio præsto fuerit, vel etiam caput adficiatur graviter: probe tamen cavendum est, ne simul & semel larga cruoris detrahatur copia, nec temere ac promiscue adhibeatur. Quum enim malum, si sæpius revertitur, longe frequentius a benigni sanguinis defectu, quam nimia illius mole proficiatur: facile fit, ut ab immoderata illius missione vires imminuantur, stomachus debilitetur, perspiratio retardetur, & præsertim in corporibus haud manifesto plethoricis majus damnum excitetur, quam emolumentum. Neque etiam in latere affecto eam instituere convenit, nec in ipsis æquinoctiis, sed quatuordecim circiter ante, vel post illa diebus: quoniam hisce temporibus mali accessiones plerumque sunt graviores, in quibus nihil molendum est.

§. III.

Ubi suppressæ hæmorrhoides foveant convulsiones, & jam lienis tumor, ac vasorum obstructions concurrerint; præmissis præmittendis non præstantius quicquam reperitur martialibus. Unde laudem meretur sequens infusum vinosum: Recipe radicis zedoariæ, cichorei ana unciam semis, summitatum centaurii minoris, florum hormi-

Circa
mercuria-
lia in
convul-
sionibus
vermi-
nos.

Circa
venæse-
ctione.

Martia-
lium
usus.

ni ana pugillos quatuor, corticum citri recentium uncias semis, passulorum minorum uncias duas, vini Rhennani mensuram unam: mixta, lenique calore digesta ad usum referentur.

§. IV.

Cautela circa volatiliam usum.

Nihil deterius est in hisce morbis convulsivis, quam ea remedia exhibere, quæ humores in graviores rapiunt commotiones, utpote, qui ad hasce subeundas tum sunt promississimi. Quare cane pejus & angue fugienda sunt omnia calidiora, spirituosiora, volatilia, tinctura ac essentia calidiores, nec non crudiora adstringentia, narcotica, opiata: quippe quæ non solum ipsas mali accessiones revocant, verum etiam malum reddunt deterius, ac perstinacius.

§. V.

Circa balneorum usum ac lactis curam.

Ad balneorum usum non temere statim transeundum est: sed bene providendum, ne repleto sordibus duodeno, vel sanguine nimis copioso, impuroque existente, hocce curationis genus ineamus. Verendum enim est, ne ubi quid ejusmodi vitii in corpore hareat, materia malignitas, remedii ope excitata per totum corpus diffundatur. Idem circa lactis curam, in cujus locum subjectis biliosioribus magis convenit serum lactis, præcipiendum est: ad quam non prius accedere oportet, quam si primæ viæ a sordibus purgatæ, iisque ac visceribus suis constet integritas. Talis curatio tutissime vel adulto, vel præcipiti vere instituitur.

§. VI.

Circa laxantia, arque linimenta.

Alvus in hisce morbis semper existat lubrica, eo magis necesse est, quo vehementius, illa existente obstructa, observatur malum. Huic vero scopo inferviunt laxantia blanda, rhabarbarina, passulata, mannata, clysteres, ac victus emolliens. Linimenta autem, licet in demulcendis ac relaxandis spasmodicis: sint efficaciora: tamen consultius remittente paroxysmo, quam sub ejus vigore inunguntur; maxime si corpus antea in balneum fuerit ingressum.

§. VII.

De specificis antepilepticis pariter ac spirituosioribus roborantibus probe tenendum est, ne in mali principio, sed omni materiali atque crassiori causa subducta demum exhibeantur. Hac enim remota cessant sæpius convulsivi motus, absque specificorum ope. Et notabile est, horum efficacissimam esse virtutem in malo ab animi affectibus indulto atque sustentato, & si viscera adhuc fuerint integra: tali enim ratione juvenem, qui per sedecim annos diutius epilepticis laboraverat motibus, per datum, præmisso vomitorio, pulverem meum antepilepticum, felicissime restitutum vidi.

§. VIII.

Quod denique mali præservationem attinet, illa optime recto rerum non naturalium usu impetrabitur. Eger nimirum aere puro, sereno, ac temperato utatur: & cum Hippocrates Sect. II. aphor. 45. juvenibus per cœli mutationem a convulsionibus liberationem promittat: igitur peregrinationem ex locis præsertim paludosis, frigidis, humidis, crasso & denso aere stipatis, ad loca altiora, sicca, salubriora plurimum suadenda erit. Vitandus quoque est decubitus in terra humidiori, diuturnior in aere vitioso, vesperti, & circa noctem obambulatio, item die sole fervidiori existente. Victus sit facilis, potui inserviant vel aqua frigida, vel medicata, vel infusa calida; animi conservetur hilaritas; venus sit parcissima, motus corporis exerceatur; somnus plenior capiatur; alvus servetur lubrica, ac ne cumuletur moles sanguinis, congruis venæsectionibus, aut scarificationibus prospiciatur.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

A Dolezens octodecim annorum, constitutionis tenerioris, biliosior, & valde sensibilis, horæis fructibus large indulgens, incidit autum-

C 2

no

no in scabiem: ad quam abigendam absque proportionata evacuatione, statim utitur externis unguentis ex sulphure, oleo olivarum & nitro paratis: quibus quidem repellitur scabies, mox autem iterum efflorescit. Paulo vero post, cum brumali tempore sub gelu intensissimo per aliquot horas versaretur, protinus & penitus evanuit scabies, ac æger habuit optime. Tum accidit, ut hausto sub epulis vino Sect, elapsis aliquot horis de summa præcordiorum anxietate, ac atrocissimis imiventris torminibus conquereretur. Advocatus medicus ordinat clysterem oleosum, ac interne essentiam carminativam & antispasmodica præscribit: sed paullo post invadunt ægrum violentissimæ convulsiones epilepticæ, cum ejulatu atque clamore maximo, pulsu aucto ac artuum immani agitatione stipatæ. Adstantes, venenum sub vino Sect propinatum fuisse rati, medicæ opem denuo implorant: qui ob nimiam ingurgitati vini copiam, lene ex tribus tartari emetici grani concinnatum exhibet emeticum felicissimo successu. Namque redibat quidem malum, sed longe mitius; & tandem, adhibita convenienti medicatione penitus est debellatum.

Epicrisis.

Præsens malum a scabie repulsa originem traxisse, luculenter patet. Ad illam vero intra corpus repellendam nihil magis valet, quam frigus ac purgantia; quibus motus humorum, qui in scabiosis hisce morbis in corporis porissimum superficie viget, ad centrum magis convertuntur, transpiratio impeditur, & sic impura salia in massa remanent sanguinea. Hæc naturæ sunt acris, & fere causticæ, atque, si ad internas nervosasque partes cum succis perveniant, illisque firmitus inhaereant, fontica machinantur mala, atque gravissimos motus spasmodicos & convulsivos inducunt. Noxiosissimam hanc æ efficaciam eo magis exerunt, si hu-

mores vitales vehementius commoveantur ac exagitantur; uti quidem in præfenti casu nimio vini Sect potus factum est. Curatio igitur binis absolvitur indicationibus, nimirum ut primum, aucta transpiratione, salinæ sordes ad corporis propellantur habitum; deinceps motus convulsivi consopiantur. Priori scopo satisfecimus pulvere, qui ex pulvere marchionis, nitro, cinnabari nativa, succino, antimonio diaphoretico & aliquot theiæ cœlestis grani componitur; atque infuso theiformi, quod habebat radicem chinæ, herbam veronicæ & flores sambuci: alteram vero indicationem mixtura ex essentia castorei, & liquore meo anodyno concinnata impetravimus; & hisce, subjunctis laxantibus ægrum restituvimus.

OBSERVATIO II.

Virgo generosa, octodecim annorum, sanguine succisque plena, habitus corporis laxioris, spongiosioris, vitæ sedentariæ addicta, atque cibis horæis, nimioque aceti usu per plures annos delectata, vehementi aliquando brevi ante mensium eruptionem percellabatur terrore. Insequutus uteri fluor erat parciore, atque vehementi præcordiorum angustia, dolore artuum tensivo, ac oscitationibus stipatus. Brevi post extrema frigeabant; thorax horrendis convulsionibus attollebatur, cum molestissima præcordiorum constrictione; cor palpitabat vehementissime; dolor tensivus, a cordis serobiculo ad spinam usque dorsi protensus insigniter adfligebat, atque præsertim in faucibus difficilis deglutitio cum sensu infixi pali percipiebatur. Præterea tussis aderat sicca, nausea, conatus vomendi, vasorum capitis turgescencia, narium siccitas, atque ingens bibendi desiderium, cum alvo pertinaciter oblipta: quæ symptomata per intervalla recrudescabant, & circa menstruam periodum pertinacius inherebant. Adhibita fuerunt præter venesectionem varia remedia antispasmodica tam si-

Convulsiones ab immixto menses fluore

ra quam volatilia, nec non anodyna: quæ quidem malum mitigabant, penitus vero exstirpare non poterant. Tandem meæ se tradidit curationi; quare ipsam in balnea crebro descendere jussi, & deinde pilulas meas balsamicas, ac pulverem antepilepticum propinavi: quorum ope perfecte restituta fuit sanitati.

Epicrisis.

Hic affectus spasmodico-convulsivus sedem suam potissimum habuit in ea medullæ spinalis parte, quæ intra specum vertebrarum dorsi ac colli continetur. Namque haud ignorari oportet, convulsionum causam non semper in tota spinali medulla hære; sed sæpius unam vel alteram illius partem dumtaxat occupare; unde etiam particulares artuum ac corporis agitationes derivandæ sunt. Causam vero materialem sævioris hujus affectus suppeditavit humorum vitium; qui per vitam sedentariam, atque diætam crassam acidamque accumulati, spissiores, quin & impuri fuerunt redditi: imprimis vero acidæ ac viscidæ cruditates in intestino duodeno generatæ, ansam dederunt flatulentis ac spasmis imi ventris; quibus accedente vehementi terrore sanguis exitu suo per loca uterina destitutus, ad superiores partes, maxime præcordia regurgitavit; ibidemque stagnans, nerveas membranas vellicavit, & sic continuata ad inembranas medullæ spinalis strictura, convulsivum inductum fuit malum. Quare ea fuit medendi intentio, ut imminuta per venæsectionem sanguinis mole, menstrua restitueretur purgatio; humores ad peripheriam & inferiores corporis partes revocarentur; ac denique violenti motus consopirentur. Quibus quidem scopis accommodatissima fuerunt balnea temperata; quæ tenas partes relaxandi, ac æquabilem sanguinis circuitum promovendi, egregiam obtinent virtutem; ut tum denique ad sedandos violentos motus, pulvis antepilepticus cum fructu adhiberi potuerit.

Hoff Syst. Tom. VI.

OBSERVATIO III.

Virgo annorum viginti, & quod ex-
currit, temperamenti sanguineo-cho-
lerici, annuo circiter abhinc tempore
post cibum ab ira vehementi sumtum,
altero die vomitibus afficiebatur per sex
integras hebdomades, quibus omnia,
quæ assumerat, protinus ore reddebat,
& insuper assidua ventriculi pressione,
capitisque doloribus infestabatur. Hisce
vero symptomatibus improvida cura-
tione per opiata & martialia cum sto-
machicis elixiriis mixta consopitis, suc-
cesserunt spasmodico-convulsivæ mo-
tiones, pedum atque brachiorum, ac
si ferram duceret, aut malleo quid per-
cuteret, conjuncta spiratione celerri-
ma. Paroxysmi sæpius redibant quoti-
die, nec nisi per quædam minuta inhæ-
rebant: ac tandem vomitibus iterum
complicabantur, & cum hisce per ali-
quot hebdomades alternabant. Neque
tamen minus alvus aperta erat, & men-
ses rite fluebant. In tali rerum statu
post remediorum quorundam calidiorum
usum, vena in pedibus secabatur: quo
facto accedebat febris intermittens,
admodum irregularis; sub qua cessabant
motus violenti, & datis subinde
pilulis balsamicis remittebant quoque
vomitus; ventriculi autem pressio, &
capitis dolores adflegebant. Verum
enim vero uterque affectus brevi post
recredescebat denuo, & ludebat variam
valde scenam: siquidem mox alter,
mox uterque evanescebat, mox ite-
rum redibant. Ego tandem consultus,
præmissis præmittendis, acidulas Sel-
teranas cum lacte potandas, ac balnea
Hirschbergenia commendavi; quibus
factum est, ut favente Dei gratia, ægro-
tans pristinam recuperaret sanitatem.

Convulsi-
ones cum
vomitibus
alternantes.

Epicrisis.

Dici vix potest, quam graviter spasmodicis stricturis & pressionibus post vehementiorem iram, si quis statim capiat cibos, ventriculus affligatur. Vehementius

C 3

mens

mens enim hic animi affectus maxime in partes nervosas, ipsumque ventriculum motu quodam strictorio convulsivo agit. Hic si repletur alimentis, non modo ab eorum copia tunica nervosa cum nervis paris vagi magis distenduntur; sed etiam turbata sic digestionem, cruditatum vitiosarum bile acriori permixtarum largior in intestino duodeno generatur colluvies, quæ veram continuas vomitionibus causam præbet. Hinc optimum ab initio fuisset auxilium in blando & accommodato emetico; ut illius ope biliosa saburra ex fundo duodeni penitus expulsa fuerit. Quamdiu enim quædam adhuc remanet sentina, hæc novum ex ventriculo affluentem chymum fermenti instar in suam permutat naturam: quare tali in casu veteres iusserunt vomitum vomitu curare. Et imprudenter sane ejusmodi violenti ventriculi motus, relicta causa materiali, sopientibus sistuntur: namque licet exinde motus in stomacho conquiescant; tamen acris illa ac impura materies, id est massam sanguinis atque lymphæ rapitur, & tali ratione universales in artubus musculisque corporis induxit convulsiones. Inde etiam factum fuit, ut reversis propter collectam denuo impuritatem in primis viis molem vomitibus, cessaverint convulsivi motus; præsertim cum accesserit febris tertiana, quæ ordinario a bile impura in primis officinis subsistente, suam trahit originem. Hi enim febriles motus eam obtinent indolem, ut sordes acres, spasmodorum nutrices, ex artubus, imo ipsis visceribus optime discutiant, & sic sublato convulsionum pabulo, has etiam tollant. Verum enim vero cum in nostro morbo humorum massa morbi diuturnitate plane a naturali temperie recesserit: mirum haud est, si & vomitus & convulsivi motus redierunt: donec tandem nostro consilio tota sanguinis & humorum moles, ipsæque primæ viæ atque viscera a pravis succis per acidulas & balnea depurata fuerunt, & partes nervosæ temperiem suam natu-

ralem ac motum ordinarium recuperaverunt.

OBSERVATIO IV.

Novemdecim annorum adolescens, melancholici temperamenti, a servitiis Domini cujusdam, scabie diu vexatus, tempore aliquando hyemali circa horam nonam vespertinam in platea circa custodiam, ex qua ante quatuor dies fur quidam in viridi veste ad patibulum deductus erat, obambulans, huncce furem in spectri forma sibi obversari imaginabatur. Hinc incredibili timore, ac plus quam panico terrore percussus, pondus spectri humeris suis inhæsisse credens, illudque a semet ad ædes usque Domini deportatum fuisse, pertinaciter existimavit. Domum ingressus insigni horrore, sudore frigido, summaque virium imbecillitate prehendebatur, & abhinc per quatuordecim fere dies, appetitu plane dejecto laborabat. Postea ipsi intra lectum decumbenti idem spectrum visum fuit, quod pollicem dextri pedis quasi extrahere moliebatur. Pollex etiam sequenti die insigni rubore affectus, in ipsam abiit suppurationem: sequebantur brevi post immanes partium nervosarum concussiones ac convulsiones, ita ut nunc instar arcus inflexi corpus in sublimem attolleret, nunc instar globi incurvaret, linguam mollicaret, conjuncto calore partium præternaturali, pulsu citatiori, siti, & alvi contumaci obstipatione. Mox lingua deficiebat, mox verba sine ordine faciebat, quin etiam per fenestram se præcipitaturum minabatur. Paroxysmi per intervalla certis redibant temporibus, & æger eorum accessum præsentiebat, dum aura quædam ex inferioribus per dorsum ad superiora ascendere videbatur. Remedia, quorum ope sævum hoc malum fuit depulsum, erat venæsectio in pede administrata; alvi, quæ erat contracta, referatio per clysteres emollientes & paregoricos; frequens pulveris usus, qui ex antimonio diaphoretico, cornu cer-

Convulsiones a spectri visio.

viſto, radice pœoniæ, cinnabari, ſuc-
cino, ſingulorum æquis partibus confe-
ctus erat. Tibiæ affecti pedis empla-
ſtrum veſicatorium admotum fuit, ve-
ficis diutius apertis ſervatis: pro potu
fumſit aquam frigidam; ac denique in
capite geſſit epithema ex aqua majora-
næ, aceto roſaceo, rutaceo, & aliquot
camphoræ granis conſectum: quorum
ope intra menſis ſpatium feliciter cu-
ratus fuit.

Epicriſis.

Temperamentum huius ægri fuiſſe
melancholicum, & defectus lymphæ
atque ſanguinis ſubtilioris, & tardior
humorum ſpiſſorum per caput circui-
tes indicant. Hoc temperamento præ-
diti ad recipiendas varias impreſſiones
apti ſunt; hinc illos etiam ſæpius ſpe-
ctris terreri videmus: quæ ut plurimum
nihil aliud ſunt, quam inſomnia vigi-
lantium, ex corrupta phantafia indu-
cta, præſertim quando tempore noctur-
no timore corripiuntur. Vidi plures,
paſſione hypochondriaca ſtutulenta la-
borantes, ad parentibus ſpectris, licet ſua
mutaverint domicilia, diu multumque
excruciatos, quos convenientibus re-
mediis, venæſectione in pede, potu di-
luente, laxantibus, carminativis ac ſuf-
ficienſi corporis labore, adjuvante di-
vino auxilio reſtitui. Præterea ad præ-
ſentis mali generationem multum con-
tribuit, quod æger diu antea ſcabiola
cutis deſecatione, quæ impuriſſima, ſa-
linæ, acris lymphæ ſoboles eſt, labo-
raverit. Quum itaque vehementi ob-
ſpectum viſum timore ac terrore cutis
fuerit conſtricta, & materia ſeroſa cor-
rupta ac impuriſſima ad nervoſas medullæ
ſpinalis membranas, cui firmiſſime in-
hæſit, delata fuerit; mirum ſane non
videtur, tam gravem convulſivam paſ-
ſionem inde prognatam eſſe. Neque pa-
rum ad exacerbationem mali contulit
ſtaſis accorruptio lymphæ in pedis pol-
lice per excitatum, obiterato ad parens
ſpectrum, terrorem inducta. Exigua
enim ſæpius eſt portio materiæ corru-
ptæ, & malignæ, quæ ſola exhalatione
nerviſ & eorum fluido adverſa, mali

convulſivi cauſſam præbere poteſt; dum
aſcenſus auræ ex inferioribus ante paro-
xyſmum percipitur: uti obſervationes
teſtatum faciunt, quæ exſtant apud Za-
cutum Luſitanum Lib. de praxi admi-
randa obſ. 22. Tulpium Lib. IV. obſ. 3.
Hoecheſtederum in obſ. parti. 2. c. 7. Ga-
lenum Lib. V. de locis affectis c. 6. Do-
læum encyclop. medic. prætic. pag. 118.
Quando igitur a lymphæ acriori corru-
pta volatili nervos, eorumque fluidum
perturbante malum originem traxit:
tum utique diaphoretica ex regno mi-
nerali petita, uti ceruſſa antimonii, be-
zoardicum minerale, cinnabaris, æthi-
ops mineralis, cum aliis demulcenti-
bus & antipſmodicis ſociata, veſicato-
ria quoque, per quæ lymphæ impuriſ-
ſis exitus paratur, omne curationis
punctum abſolvere ſolent.

OBSERVATIO V.

Puer Hebræus duodecim annorum, Con-
a terrore & frigore incidit in ingentes vulſio-
præcordiorum anxietates, cum tuſſi, nes a-
virium lapſu, extremorum tremore, troces
intercurrente horripilatione & interno per ſolâ
æſtu. Tertia die poſt manus & pedes aquam
convulſivis motibus, & ſubſultibus, frigida
per horæ dimidium inſiſtentibus agita- curata.
ti ſunt. Inde magis magiſque increve-
runt convulſivi hi motus, ut dorſum
& collum aſpectu horrendis incurva-
tionibus & contractionibus quaſſare-
tur, idque aliquoties quotidie. Sub pa-
roxymo pedes frigeabant, thorax ele-
vabatur, reſpiratio erat crebra, pulſus
celer & durus, ſenſus tamen conſta-
bant: poſt illud corpus languebat uni-
verſum, adpetitus vero cum ſomno
erat integer. Adhibiti in conſilium
medici multi, etiam exteri, qui partim
verminolaſam progeniem ſubeſſe, par-
tim per terrorem inductum eſſe ma-
lum reputarunt. Sed data, tam ex illo-
rum ſententia anthelmintica, quam ex
horum præſcripto antiepileptica, adhi-
bitis ſimul balneis, fuerunt proſus fru-
ſtranea. Malum potius perſiſtit idem,
quin ſubinde factum acerbius. Tandem

miser, aquam frigidam fontanam, ad unam vel dimidiam mensuram, quotidie cum dosi pulveris antispasmodici bibere iussus est: qua intra quatuordecim dies motus isti convulsivi paulatim compositi, nec in hoc usque tempus iterum infestantur.

Epicrisis.

Quandocunque sine singulari humorum vitio, aut dyscrasia præcedente, salvisque visceribus, a causa plane immateriali, ut vehementiori terrore, timore, frigore præsertim superveniente, partes nervosæ & musculosæ in effrænes & impetuosas exagitantur commotiones: quotidiana teste experientia, frustra adhibentur evacuantiæ, alterantiæ, roborantiæ, nervinæ, cephalicæ, venæsectiones, fonticuli, veticulatoria &c. quorum usu misere plerumque ægrotos cruciari solent medicæ, & malum exacerbare. Potius specificæ, quæ blanda subtili exhalatione sulphurea, membranæ nervosæ sese insinuant, & motus hosce vitiosos continent, omnium sunt præstantissima. Hæc vero potissimum ex regno animali defumantur; utpote quæ natura ac mixtione sua, solidis æque ac fluidis corporis nostri partibus admodum amica, noxiis autem vaporibus plane adversa sunt. Notandum vero, ea omnia recentia, nec ultra aliquot menses asservata esse debere: quoniam alias rancida fient, atque suam amittunt fragrantiam. Præter hæc, auxilium magis quærendum est in elementis, quam in ipsis pharmacis, præsertim si malum diutius in hæserit. Quare noster etiam æger curatus est potu aquæ frigidæ & quidem fontanæ; cujus egregiam virtutem experientia comprobavit. Ea namque, sicut in peculiari *dissertatione de salubritate aquæ frigidæ* demonstravi, non modo propter fluidum, verum etiam frigidum suum principium ad corrigenda tam fluidorum vitia, quam roborandas partes solidas est aptissima: modo sub certis cir-

cumstantiis, atque debito ordine adhibeatur. Maxime observentur hæc regulæ, ut primum non nimis copiosis atque largis haustibus, sed successive bibatur; & deinde externum corpus, maxime pedes atque ventriculi regio a frigore externo probe muniantur, ut hoc remedii genus auctior subsequatur perspiratio.

OBSERVATIO VI.

Adolescens sedecim annorum generosus, constitutionis sanguineæ, ac succulentæ, cibos præsertim acidos in deliciis habens, jam decem annorum puer colica convulsiva per duos fere integros menses tam gravi adfectus erat, ut plures incantamentum sobesse crediderint. Præterea præmaturam venerem exercere, corpus frigori sæpius exponere, atque passionibus animi, præsertim iracundiæ magis tacitæ indulgere suevit. Hinc tandem ex improvviso inter prandium corripitur primum immani artuum tremore, quem subito excipiebat concussio pectoris convulsiva, cum brachiorum atque pedum agitatione, & omnium sensuum abolitione stipata. In hæserat jam per duas hebdomades hic gravis affectus; & paroxysmus ad duas vel tres horas durans quotidie ter quaterve redierat. Cum ego ipsum accederem, edixit mihi, quod malum invaderet vehementissimis in epigastrio circa cordis scrobiculum doloribus contractoriis, qui se extendentes ad sinistrum latus, ubi ventriculi situs est, tandem per dorsum intra scapulas ad fauces ascenderent. Sub ipso paroxysmo vehementissima erat pedum ac brachiorum jactatio, agitatio, tremor atque frigus; & alvus plerumque adstricta, quandoque etiam nimis laxa.

Secata fuit vena, infusi clysteres, data antispasmodica, castorina, cinnabarina, sed incassum. Ordinavi infusum millefolii, & florum chamæmeli, cum cremore lactis miscendum, & parciore, sed sæpius iterata dosi sumendum: balneum aquæ dulcis; pulveres ex lapidibus cancrorum, cum

Con:
vulsio-
nes,
quarum
fomes
in inte-
stino
duode-
no hæ-
sit.

pulv.

pulvere marchionis & paxillo succini confectos; & denique vesicatorium etiam suris pedum curavi adplicandum. Sed omnium frustranea erat opera. Tandem commendatæ a me sunt acidulæ Selteranæ cum lacte: & alvus alternis diebus, drachma una pilularum ex sapone veneto paratarum purgata est: quo facto malum remisit, & æger perfecte convaleuit.

Epicrisis.

Veneris nimius ac intempestivus usus iis præfertim quam maxime nocet corporibus, quæ sunt sensibilioris ac debilioris naturæ, aut quæ jam antea morbo spasmodico vel alia læsione capitis, aut nervosarum partium laborarunt. Sic ego sæpius observavi, in capitis gravioribus a causa violenta externa læsionibus, super coitu fanesta accessisse symptomata: quæ de re confertur HILDANUS Cent. I. obs. 22. & Cent. IV. obs. XXVI. Multo magis autem inimica est venus, si aliæ causæ, quæ nervos debilitant, sanguinem commovent, & cum spastica strictura in partes solidas agunt, uti sunt ira, externum frigus, & id genus alia, concurrant. Quare nullum est dubium, quin in præsentī casu ira suppressa ad crebriores paroxysmos multum contulerit: quod etiam testatur vehemens ille dolor cardialgicus, in epigastrio circa cordis scrobiculum se exlerens, & ad fauces ascendens, qui plerumque corruptum & mordacem in duodeno herentem biliosum humorem pro causa agnoscit. Quamobrem insigne levamen attulerunt acidulæ Selteranæ cum tertia lactis parte ad integram mensuram per aliquot septimanas usurpatæ; atque pilulæ ex sapone veneto concinnatæ: utpote quibus acrimonia biliosa non modo temperata, diluta & educta; sed etiam læsio nervearum ventriculi membranarum emollita fuit. Alias in epilepsia & motibus convulsivis, qui a vehementi iracundia fuerunt excitati, non sine singulari fructu usum

seri lactis aciduli; vel etiam solam aquam frigidam, tincturæ florum pæveris, quæ cum spiritu vitrioli rectificatissimo parata sit, nuptam, per vices hauriendam suasi.

OBSERVATIO VII.

Ante plures annos contigit, ut adolescens quidam octodecim annorum subito concideret semianimis, cum horrore & artuum tremore, facie tamen rubicunda & pulsu adhuc micante. Et licet elapsa hora, remediorum ope resocillaretur; ingentem tamen non solum totius corporis languorem persensit; sed etiam haud ita multo post eodem paroxysmo post gravem præcordiorum anxietatem, & artuum lassitudinem correptus est; qui aliquoties intra hebdomadem repetens, ardentem intulit in dextri cubiti angulo dolorem, tumore & contractura demum brachii stipatum, & abhinc augmento suo & exacerbatione mali accessiones prænunciantem. Medici in consilium vocati modo vermes, modo aliam fonticam causam subesse credentes, variis contra atrox hoc malum pugnabant præsidii; sed tantum aberat, ut illud debellarent, ut potius magis magisque exacerbaretur. Ego tandem in auxilium vocatus, solo decocto ex antispasmodicis, demulcentibus & nervino anodynis parato, & mane aliquamdiu potum ægrum ab immani morbo liberavi; cujus causa posthæc in apricum producta fuit, dum ancilla gravis & partui vicina fassa est, juvenem istum, antequam hoc morbo corriperetur, singula fere nocte cum ipsa concubuisse.

Ira quoque ante annum adolescens nobilis, in Page in aula propinqua, satis alias incolumis, subito præter omnium expectationem & opinionem, horrendis prehendebatur convulsionibus, oculos vehementer contorquebat, vociferabatur, linguam exserebat, caput ad parietes violenter allidebat, artusque tam superiores, quam inferiores rursus

Convulsiones ex nimio & præmaturo venæ usui.

concutiebat agitatione, ut vix aliquot viri cum coercere valuerint: spuma vero ante os nulla erat, nec pollicum contractio, nec loquelæ impedimentum. Calefacto per imposita stragula corpore, & data mixtura ex aquis analeptiis & antispasmodicis composita, remittebant convulsiones, noctem transigebat somno placido, & in toto corpore apparuit sudor. Expergefactus non nisi de lassitudine corporis conquerabatur. Causam tam subiti & gravis affectus cum inquirerem, nullam aliam, quam præmaturam & nimium veneris usum, atque detestandam manu stuprationem explorare potui. Suasi itaque, ægrum in lecto temperate calido ac blanda quiete servare, & nonnisi jusculis ex carnibus, capris contusis & ratura eboris ac cornu cervi confectis uti. Pro potu ordinavi emulsionem amygdalinam tenuem; dato quoque pulvere Marchionis ex aqua liliorum convallium, florum tilia, primulae veris &c. quorum remediorum ope ab ulterioribus mali insulibus liber evasit.

Epicrisis.

Quemadmodum intempestiva & nimia venus in omni, etiam robusto corpore, vires insigniter frangit, atque debilitat: ita eo magis nocent, ætate imbecillibus, pueris, quin & senibus. Recte enim HIPPOCRATES *Lib. de genitura* §. 1. scribit: Robustissimum per genituram fecernitur, quia a veneris usu tam pauca materia emissa imbecilles reddimur; & certe seminis dispendium plus debilitat, quam larga venæsectio. Nihil itaque est, quod adolescentibus plus noceat, eosque ad graves nervorum morbos, ac ventriculi debilitatem disponat, quam præmatura & intempestiva venus. Non enim solum vera sunt, quæ Hippocrates *Lib. VI. epidemior.* effatur, quod quibusdam, dum veneris utuntur, inflatur venter, & strepitus inde fiant: verum etiam multiplici experientia annotavi, juvenes in academiis, Baccho & Venere

vires suas consumentes, quando in morbum acutum, ut variolas & morbillos inciderunt, plerumque fuisse mortuos. Neque vero virium defectiones solum, ac morbi ex atonia solidarum partium natales suos mutuantes, ex abusu veneris inducuntur; sed sæpissime etiam spasmodicæ atque convulsivæ, æque gravissimæ subnascuntur affectiones. Scilicet sub ipso congressu, ac fervidiori actu venereo, qui recte a Democrito parva vocatur epilepsia, ea animi habitudo, ac corporis conditio est, ut universum nervorum genus, & liquidum tenuissimum, in illis contentum, impetum faciens, gravius exagitetur, & in motum abripiatur præternaturalem. Hinc fit, ut sub ipso coitu pulsus valde citatus & vehemens manum vibret, cor palpitet, partes tremant, pedes post actum vacillent, & omnium humorum gravis præsto sit ebullitio. Cæterum si in ullo morbi genere genuina causa Medico rationali exploranda est; id certe in affectionibus convulsivis ac epilepticis observare oportet. Quando igitur perspicit lagax medicus, quod motuum ejusmodi insolentium & inopinato accedentium insultuum causa nimia debilitati ex excessiva venere inducta debeat; non aliis certe, nisi nutrientibus, demulcentibus, vires & succos laudabiles restaurantibus, & denique motus impetuosos refrænantibus pugnandum est remediis.

OBSERVATIO VIII.

Virgo generosa, tredecim annorum, ingenii alacrioris, menses nondum pal-
sa, cujus mater arthriticis atque cephalicis doloribus admodum obnoxia erat, maculis scabiosis per totum corpus efflorescentibus corripiebatur, quæ remediis, nescio quibus, tractatæ evanescebant. Accedente autumno, cum vespertino tempore sub aere valde humido & frigido in horto obambulare; postridie de languore corporis, dolore capitis, præsertim in sinistro latere,

Convulsiones ex abscissa circa aurem sinistra.

russi atque coryza conqueri coepit. Quæ symptomata, assu præternaturali stipata cum singula reverterentur vespere, morbus pro catharrali febre habitus, variisque oppugnatus fuit medicinis. Sed tantum aberat, ut mitigarentur hæc adfectiones, ut potius quotidie invalescerent: namque dolor capitis hemirranicus ita incresecebat, ut omnem somnum, adpetentiam, & vires sustulerit. His malis ultra mensis spatium tentata, nulla nec medicamentorum, nec alimentorum, præter aquam frigidam atque lac assumere volebat. Tandem incidebat motus convulsivos, cum spasmus, quem vocant cynico, labiorum orisque distorsione, atque effuso risu junctas: accedebant brachiorum modo unius, modo alterius agitationes; collum variis modis mox antrorsum, mox retrorsum torquebatur; tanta quidem violentia, ut nemo adstantium illam posset coercere, & si hoc sine omnes nervos intendebant, ægra animo delinquebat. Ceterum parum, & non nisi absque loquebatur; assidue urgebant vigilie, & alvus non nisi globulis saccharinis sollicitata respondebat. Hisce malis per duos infestata menses, meum tandem implorabat auxilium. Exploratis ergo cunctis momentis, insignem in sinistro capitis latere, circa parotides glandulas tumorem, rubore stipatum annotabam, quem cum paullo fortius comprimerem, protinus cum ejulatu clamabat ægrotans, atrocesque capitis contorsiones incurrebat. Hinc facile judicare potui, ibidem mali sedem hæere; & ideo, quoniam omnia interna medicamina respuebat, nihil præter cataplasma ex mica panis similaginei, croco, vitello ovi, cremore lactis, & floribus sambuci concinnatum, repetitis vicibus curavi applicandum. Quo factum est, ut interjectis paucis diebus, ingens liquoris viscosi, flavi & saniosi ex meatu auditorio copia efflueret, & brevi post non solum cuncta symptomata conquieverint; verum et-

iam, adhibitis cum congruis remediis temperantibus, integræ sanitati restituta fuerit ægra.

Epicrisis.

Genuinam morbi sedem ejusque originem sæpenumero adeo absconditam esse, ut etiam peritissimus nonnunquam falli possit medicus, inter plures historias hæc quoque clarissime docet. Haud enim raro ipsi ægrotantes, præsertim infantes, quando capite affecto mens quoque & functiones animales simul sunt perturbatæ, nihil, ex quo certi quidpiam in dignoscendo elicere possit Medicus, edicere & declarare valent. Quamobrem in tali rerum statu operæ est pretium, ut medicus ipse tangendo, & aspiciendo morbi sedem explorare studeat. Præterea ex nostro casu patet, convulsivas agitationes ex vellicatione remotarum partium suboriri posse, præsertim in subjectis constitutionis sensibilioris. Hic enim abscessus circa aurem occultatus, propter vehementes fibrillarum distensiones & distractiones tam graves totius corporis excitavit convulsiones; quæ tamen non ultra caput, ejus integumenta, atque brachia se extenderunt, quia videlicet brachia & externæ capitis partes a nervis cervicalibus suos accipiunt ramulos.

Qui plures de motibus convulsivis ac epilepticis casus cum mea consultatione legere cupit, eas inveniet in consultationibus ac Responsis Medicis Tom. II. Sect. III. casibus CL. ad CLIX.

CAPUT III.

DE

MOTIBUS SPASMODICIS
VAGIS.

§. I.

Defini-
tio affe-
ctus
spasmo-
dici va-
gi.

Est quoddam motuum spasmodico convulsivorum genus, quod cum totus ferme ishærescat corporibus, & mox caput, mox pectus, mox abdomen, mox externos artus molestissime detorquendo, mira volubilitate pervagetur totam machinam; nomen effectus spasmodici vagi, sortitum est; nec incondite a **TIMÆO** a **GULDEN-KLEE** *epistol. IX. Lib. 1.* epilepsia mira nuncupatur. Re autem vera hoc malum nihil est, nisi violenta, involuntaria, plus minus vaga omnium totius corporis partium, maxime externorum artum agitatio ac contractio; ex membranarum nervearum juncturas potissimum investientium vellicatione, per vaporem subtilem, acrem, volatilem facta, & vi consensus ad cerebri ac medullæ spinalis meninges sæpissime propagata, originem trahens.

§. II.

Differe-
rentia
affectus
spasmo-
dici va-
gi ab
epilep-
sia &
convul-
sionibus.

Patet erga differentia, quæ motus spasmodicos vagos ab epilepsia distinguit, & convulsionibus. Quemadmodum enim epilepsie sedes in membranis cerebri, & convulsionum causa in medullæ spinalis meningibus quærenda est, ita e contrario motus convulsivi vagi a stricturis earum membranarum potissimum, quæ juncturas partium cingunt, natales suos mutuuntur; atque per consensum tantummodo in violentas meningum cerebri ac spinalis medullæ constrictiones transeunt. Quamobrem sæpissime quidem cum symptomatibus convulsionum & epilepticis complicantur: attamen ab iis ita differunt, ut convulsionem ac epilepsiam totum corpus aut partes quasdam simul & semel invadant, easque in uno paroxys-

mo solas pertinacius addigant, contra vero spasmi vagi incerta sede per univerfum corpus errent, & ex una parte nervosa ad alteram transeant, eam contractionibus, distentionibus, inflammatione, tumore, crispatura mirifice exagitent, ejusque functiones vehementer lædant, atque proflernant.

§. III.

Neque porro minus noster affectus insigniter discrepat ab arthritide sic dicta vaga scorbutica. Hæc nimirum incertis quidem locis per totum corpus vagatur, & juncturas artuum potissimum occupat. Sed nunquam est sine doloribus, minime autem artuum concussionibus ac agitationibus sic dictis clonicis stipataprehenditur; contra vero affectus spasmodicus vagus plerumque doloribus vacuus, at violentis partium vibrationibus, & admirandis gesticationibus semper conspicuus. Deinceps uterque affectus ratione causarum differt; quæ in arthritide vaga scorbutica humor crassior, acris, salinus existit: in spasmodico autem vago affectu non nisi subtilissimus ac halituosus vapor, nervosas partes repente laceffens & deferens.

Ab affectu
vago ar-
thritico.

§. IV.

Sciendum igitur est de nostro morbo, quod more convulsionibus solito, suas per intervalla modo longiora, modo breviora formet accessiones, visu sæpius horrendas: atque etiam tempestatum, lunæ mutationum, quin & menstruæ purgationis in sequiori sexu habeat rationem. Expositi sunt huic immani morbo scemina præ viris, juniores præ adultioribus, & qui habitu corporis laxo, spongioso, succorum sanguinisque pleno pollent. Deinde hic affectus hyeme præsertim, mensibus Decembri atque Januario circa solstitium hybernium invadere observatur; atque præterea etiamprehenditur hæreditarius: sic novi quandam in nostra civitate haud incelebrem familiam, cui familiare admodum fuit,

Historia
morbi
spasmo-
dici va-
gi.

&

& in qua omnes liberos sævissimis ac atrocissimis misere cruciavit symptomatibus.

§. V.

Paroxysmorum descriptio.

Ipse paroxysmus tor, tamque variis modis tyrannidem suam exercet, quot adoritur individua. Frequentissima symptomata hæc sunt: sentiunt ægri sensum formicationis in manibus, vel pedibus; sequuntur oscitationes, pandiculationes, præcordiorum anxietates: tum excipiunt ipsæ volutationes ac agitationes spasmodico convulsivæ, ab uno membro ad alterum ambulantes. Mox enim brachia manulque attolluntur, trahuntur, retrahuntur, jactantur, variisque modis agitantur, ac si tribularent; mox pedes in diversas plagas extenduntur, dextrum crus antrorsum, sinistrum retrorsum, aut vicissim trahuntur, terram validissime quatunt, conculcantque; genua ad corpus retrahuntur; mox totum corpus antrorsum, ad latera movetur, attollitur, circumgyratur, contremiscit, spina dorsum incurvatur, arcum format; mox in terra insectorum instar reptant, ac misere quatuntur; mox unguibus dilacerant vestes, scalpunt parietes. Non minuit caput afficitur, torquetur mirifice, in omnes plagas rotatur; oculi violenter aperiuntur, in gyrum moventur; os hiat; mox clauditur, huc vel illuc torquetur; linguam ore exferunt, atque commordent. Sonitus edunt varios, mirificosque, boatus, aliasque animalium voces a mulantes, ut a damone videantur obsessi; flent, ridentque sine ratione: & aliorum voces acutissimis auribus excipiunt. Neque vero internæ partes atque viscera a sævis spasmodicis immunia sunt: qui, quod notatu dignum est, cum externorum artuum stricturis alternant. Hinc respiratio est angustissima cum suffocationis motu; cardialgia vehemens, crudelissima imi ventris tormina; singultus, cordis palpitatio; alvus adstrictissima; urinæ tenuis vel nullius mictio; & verbo: nulla in toto corpore pars est, quam non pervadat truculentum malum.

§. VI.

Finito tandem tristissimo hocce spectaculo, remanent ineffabiles corporis languores, vel alti sopores: haud raro truces articularum agitationes terminantur in tumores inflammatorios: in quibusdam cutis veluti bile suffusa flavescit; in aliis pustulae foedæ ulcerosæ, vel vesiculæ magnæ aqua repletæ corpus obsident. Quidam extra paroxysmum bene habent, bene ingerunt, bene egerunt; scemini nonnunquam mentes rite fluunt, interdum parcius. Post mortem in dissectis cadaveribus inflammationes ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis, pulmonum observantur; vesicula fellis admodum turgida, & ipsa bilis ad aliquot cochlearia in ventriculum effusa adparet. Conf. BONETTI sepulchretum anatomicum, & Oper. de motibus convulsivis pag. 120.

Paroxysmi solutio.

§. VII.

Notatu subinde dignum est, quod affectus noster spasmodicus vagus, certo anni tempore, certisque locis ac regionibus grassatus fuerit populariter. Sic junctus aliquando fuit febribus epidemice adfligentibus: hinc HORSTIUS in Operib. medic. Tom. II. Lib. VIII. pag. 105. refert historiam febris epidemice olim per Hassiam grassantis cui gravissima junctæ fuerunt convulsiones. Neque minus SENNERTUS describit valem febrem epidemicam cum spasmodicis, quæ annis 1596. & 1597. in episcopatu Colonienfi, Westphalia, ac comitatu Waldeck, popularem edidit stragem; de qua peculiare Medicorum Marpurgensium exstat consilium. Hoc quoque nomine memorabilis est ille spasmodicus morbus, qui superioribus annis incolæ Misnia, Marchia atque Lusatia corripuit, & miris sævisque symptomatibus tragediam ludit: idemque ac prior nomen obtrahit. Descriptus est in ACTIS MEDICOR. BEROLINENS. decadi. II. Vol. VI. & celebri Budisæ Medico, D. DI BUDDEO tractatu peculiari.

Affectus spasmodicus vagus grassatur epidemicè.

§. VIII.

Transseco autem ad ætiologiam affectus

Causa spasmodici.

ima
sema-
lis affe-
ctus.
spasmo-
dici va-
gi.

Spasmodici vagi; & illius causam formalem proximam pono in strictura spasmodica earum potissimum membranarum; quæ juncturas & articulos nostri corporis investiant: ex quibus vero vi consensus ad universum nervorum genus, hinc etiam membranas cerebri atque medullæ spinalis nervæ sæpissime propagatur. Inde enim clarissimum fit, cur frequentissime junctura, vel unum alterumque membrum solum afficiatur: non minus ratio patet, cur haud raro totum corpus successively agitur, atque motus convulsivi & epileptici simul complicantur. Et cum nervorum fere princeps intercostalis, ex variis nervosis ramis non modo ex cerebro proficiscentibus, verum etiam e medulla spinali oriundis, cervicalibus, dorsalibus, lumbaribusque compositus, per omnia corporis viscera, atque partes distribuatur, explicatu facillimum est, cur motus in nostro affectu violenti, nulli ferme regioni parcant, sed pro varia phantasia, quæ tantum non semper in paroxysmis læsa observatur, tam diversas agitationes ac admirandas gestulationes producant.

§. IX.

Causa
vellica-
tionem
spasmo-
dicarum.

Hujus vero vellicationis membranarum nervearum, & insequentis convulsivi motus causæ, vel materiales sunt, vel, quod plerumque fit, innata partium nervosarum debilitate, atque proclivitate ad hos vagos motus resident. Nimirum parentes hisce morbis tentati tantum non semper generant infantes, quorum genus nervosum ad eosdem affectus valde dispositum est. Hæc vero dispositio consistit potissimum in ea particularum minimarum, quæ fibræ ultimam constituunt, cohesione, quæ ex levissimo ac vix naturali majori vel fluidorum impulsu, vel alio quodam per animi affectus inducto impetu, in præternaturalem ac violentam agitationem compellitur. Quæ si nativæ ac hereditariæ præstito fuerit dispositio; tum accedentes causæ occasionales vel levissime tantos

excitare valent tumultus, quantos in aliis sanis ac robustis subjectis ne quidem gravissimæ prognerare possunt. Et nisi eadem hæc nervosi systematis imbecillitas nativæ deprehendatur: tamen, in malo præsertim inveterato, per motuum diuturnitatem acquiritur, causamque quærentibus offert, cur ii morbi tam difficilem admittant curationem.

§. X.

Ubiunque non adest hereditaria ad motus spasmodicos vagos dispositio, hi semper pro materiali causa agnoscunt dyscrasiam quandam ac impuritatem humorum. Sciendum vero est, eam minime in humore quodam acris, salso, scorbutico crassiori consistere; sed potius in volatili, subtili, sulphureo, halituoso humore, vel vapore, exigua sepe numero quantitate in massa sanguinea oberrante, quæ eo facilius ac intimius minimos partium nervosarum poros subintrare potest, collocandam esse. Et tali ratione morbus noster vagus ab arthritide vaga scorbutica eo melius distingui poterit; prout jam egregie ostendit JOANNES DRAWITZLIUS in tr. de scorbuto Tit. 2. de affectu spasmodico scorbutico pag. 71. Conf. etiam de morbis ejusmodi convulsivis ex scorbutica humorum diathesi subortis SALOMON ALBERTI, WIERUS de scabie, & MOELLENBROECK de arthritide scorbutica &c. Talis halitus atque vapor subtilissimus inhæret potissimum lymphatico latenci, qui ob suam viscositatem ad eos recipiendos aptissimus est: cum quo etiam per totum corpus circulator, & ad nervæ deponitur partes. Hinc propulsis ad habitum corporis pustulis, vel maculis purpuraceis, scabiosis, vel ulcerosis, notabiliter vel imminutas, vel plane sublatas fuisse hæc vagas nervosi generis motiones; neque minus iisdem vesicatoria vel cauteria insignem tulisse opem, probatissimorum Medicorum innumera testantur documenta. Quæstio vero est, cur vapor iste inimicus, cum lymphæ oberrans, juncturas par-

Causa
mate-
riales.

tium

rium potissimum occupet, non æque alias partes? Non difficilis sane responsio. Cum enim in juncturis ac articulis, ad flexilitatem ligamentorum conservandam, insignis lymphaticæ subtilissimæ portionis, cui inhaeret halitus noxius, ex glandulis volatilis acrimonia secernitur copia: necesse omnino est, ut in istis locis, ubi copiosior est proventus, major motuum violentorum deprehendatur frequentia.

§. XI.

Causa
spasmi
epide-
mici sita
est in
aere.

Quæ igitur causa vaporem ejusmodi volatilem, causticum ferme ingenerare valent: illæ eminus contribunt ad producendos motus spasmodicos vagos, & audiunt antecedentes. Has inter se nobis primum offert aer exhalationibus malignis volatilibus repletus, qui etiam morbo nostro, ante aliquot annos in Lusatia ac Marchia epidemice grassanti suam dedit originem. Talis enim aer, suas exhalationes in forma rubiginis malignæ, vel frumentaceæ, vel mellitæ, in fruges campestris, maxime secale, eo cum florere tempore deposuit; & hinc non solum universum fere frumentum coinquinavit, verum etiam ad lolium præsertim frumentaceum, fatuum aut temulentum, quod Botanici vocant Tizanium, generandum multum contribuit. Fovet autem hoc lolium sulphur quoddam narcoticum, vaporosum, nervis admodum inimicum: hinc non solum antiquissimis temporibus cerebrum afficere, & oculorum caliginem inducere perhibebatur, atque ob hanc rationem lolio victitasse myopes atque coecutientes dicebantur; vid. PLAUTUS *mil. glorios.* Act. 2. Scen. 3. v. 88. verum etiam vertiginem, temulentiam, vomitum, cardialgiam, soporem, delirium & spasmodicos affectus inde excitari jam annotarunt M. N. C. anno 3. dec. II. obs. 186. & dec. II. anno 8. obs. 183. ACTA WRATISLAV. Tentam. XXIII. mense Januario pag. 38.

§. XII.

In visu Non ergo dubitandum est, quin talis aer non solum per se inspiratus, sit

noxiosissimus; hinc in ACT. MEDIC. BEROLIN. Dec. II. Vol. VI. pa. 57. observatur, piscatores, qui mane & sero in navibus suis commorantur, primum omnium hoc morbo correptos fuisse: verum maxime lolium illud frumentaceum, pani pisto immixtum, atque comestum, dirum illud malum spasmodicum progeneravit. Namque annotavit celeberrimus BUDDEUS tract. de hoc morbo, pag. 24. quod homines, quibus fuit curta sepellex, & qui hoc frumento vesci debuerunt, longe frequentius motibus spasmodicis correpti fuerint, quam quidem opulenteriores, qui fruges suas ab intermixto lolio depurandas curare potuerunt. Et sane solus impurus sordidusque victus sufficit omnino generandis malignis humoribus, & hinc inducendo atroci malo: quare etiam illud ea insequi observatur tempora, quibus insignis annonæ est caritas, annotante DRAWITZIO *tr. de Scorbuto Tit. II.* circa convulsiones epidemicas anno 1596. ex eadem causa per Hassiam grassantes.

§. XIII.

Quemadmodum vero affectus nostri spasmodici vagi, epidemice grassantis origo subitanea est; ita contrario illius ex aliis causis producti generatio eo tardior, simulque contumacior duratione deprehenditur. Sordes primarum viarum, maxime in intestino duodeno itabulantes, acres, biliosas, acidas, malum illud excitare posse, nemo negabit: sed quomodo? Ex acrimonia primarum officinarum, præsertim si excretiones naturales per alvum, cutim ac urinam imminutæ, vel sanguineæ suppressæ fuerint, talia scorbutica fixiora in massam sanguineam transmutare certum est. Sed hæc nondum sunt spasmodorum vaporum causæ: verum, si temporis diuturnitate, vehementioribus humorum commotionibus, aliisque causis, talia fixa talia sensim resolvuntur, attenuantur, ac in vaporem tenuissimum volatilem commutantur; tum nascitur malum nostrum scor-

Affectus
spasmodicus
vagus
ex sordibus
primarum
viarum

scorbuticum. Inde patet, cur foeminae hystericae, viri hypocondriaci, alique, quibus impuri sunt humores, haud raro morbo nostro afficiantur.

§. XIV.

A verò
minosa
collu-
vie.

Eundem porro a verminosa colluvie generari posse, experientia comprobat. Hoc vero in casu non solae rosiones intestinorum, a vermibus vel vivis, vel eorundem acrimonia productae sufficiunt: sed quaecumque vapores putres, caustici ex verminosa sentina mortua, corrupta ac putrefacta exhalantes, in massam humorum abripiuntur, tunc demum efficiunt motus spasmodicos vagos. Tali ratione hi quoque sequuntur, purpuram, scabiem, achores, arthritidem, podagram, ulcera, & alias cutis efflorescentias, vehementi frigore aut ex aliis causis repressas, ac intra corpus actas: quando nimirum salia impura fixa, per recensita vitia prius ad cutem depulsa, jam vero intus re-tenta, commutantur in volatilem, acrem, causticam naturam. Et tum sciendum est, saepius exiguum valde fermenti hujus acerrimi molem, tantos, tamque graves excitare posse tumultus.

§. XV.

Causae
occasio-
nales.

Quando igitur cunque vel nativa ad hocce motus dispositio, vel vapor sulphureus in humoribus praesto fuerit, tunc facilissimum est, ut causae occasionales levissimae delitescens malum excitent. Ad has vero referenda sunt omnia ea, quae succos vitales in motum naturali majorem agere possunt; tam enim commovent & exaltant simul habitus inimicos, adeoque inhumanes paroxysmos inducunt. Haec inter principem locum obtinent, graviora animi pathemata, terror, iracundia, moeror, tristitia, libido, & immoderatum gaudium: quippe quae in motus partium corporis nostri & fluidarum & solidarum concitandos magnum habent imperium. Ob eandem rationem alimenta, potulenta, quin & medicamenta aciora, drastica, purgantia, volatilia, commoventia &c. efficacissimas ad revocandum malum praebent occasiones.

Et praesertim huc facit aer, si vel malignis & acrioribus exhalationibus repletus, vel justo fervidiorem mox frigidior excipiat: hunc enim insignem in excitandis machinae motibus possidere efficaciam, neminem fugit: & ex hujus varia constitutione ratio reddi poterit, cur affectus spasmodicus vagus per certa temporis intervalla revertatur, & cur in locis potissimum paludosis ac humidis grassetur.

§. XVI.

Quod denique attinet feralis hujus ^{Prognosis.} mali prognosin: dolendum sane est, eam plerumque non nisi inauspicatam sup-
peditari posse. Quamvis enim illud non adeo perniciosum sit, ut protinus jugulet homines: attamen saepissime tam pertinaciter inhaeret, atque adeo firmam sibi vindicant sedem, ut cunctam medicationem eludens, per multorum annorum seriem persistat, atque tandem in epilepsiam, aut apoplexiam, aut ipsam denique mortem desinat. Ubi-
cunque vero haereditaria adest dispositio, morbus recens, a causa externa inductus, etas junior, tempestiva medicatio felicem saepenumero sortitur eventum. Verum quando vapores virulenti, nervolas partes jam intimius penetra-
runt, & altiores jam egerunt radices, difficillimum est, illos expellere, atque desideratam restituere sanitatem.

C U R A T I O.

§. I.

Affectus spasmodici vagi curatio <sup>Indica-
tiones
curatio-
riz.</sup> quatuor potissimum absolvitur indicationibus: quarum prima est, ut materiam subtilem venenatam, quae tantos in systemate partium nervolarum ac membracearum excitat tumultus, corrigamus, ad exitum disponamus, & e corpore proscribamus: altera, ut impetuolas partium solidarum motiones cohibeamus ac sedemus: tertia, ut causas, ac lordes crassiores, quae malum sustentant, pereonemque fomitem subministrant, removeamus ac eliminemus: ac denique ultima, ut debilitatas par-

partes, ne affectus hi more solito recrudescant, corroboremus.

§. II.

Quotumplex sit materia inimica, spasmorum causa. Quod priorem attinet indicationem, notandum est, materiam illam inimicam, quæ hos morbos producit, duplicis maxime deprehendi naturæ. Aut enim illa est vaporosa, narcotica, sulphurea, ætris; aut magis salina, acris, volatilis. Prior occurrit in adfectu, a causa externa epidemica, frugibus impuris, lolio temulento, herbis ac seminibus venenatis hyoscyami vel daturæ comestis indusio: posterior observatur, si malum a diathesi scorbutica, putrilagine primarum viarum verminosa, vel alia quacunque, retropulsis exanthematibus &c. sup. traxerit natales.

§. III.

Quomodo e corpore sit proferenda. Quemadmodum vero hæc miasmata maligna, cujuscunque sint generis, per cutis poros, vi remedium diaphoreticorum mitissimorum, quam ocyssime proscribere oportet: ita illis involvendis, invertendis ac obtundendis non præstantiora sunt, quam acidula leniora ac subtiliora. Hæc namque omni veneno narcotico adversantur, ejusque virtuti, & texturæ sunt contraria: hinc notabilis est observatio, quam LONGOLIUS in judicio medico de grassante affectu spasmodico communicat, dum refert, plures a solo acido vini in principio morbi sumto sanatos, & a gravissimis symptomatibus liberatos esse. Et præclara etiam est aceti vini, aut succi citri efficacia, si cum lapidibus cancerum, & antimonio diaphoretico exhibeatur. Hoc nomine egregia porro virtus debetur mixturæ simplici, maxime si juxta Paracelsi mentem paretur. Ille nimirum spiritum vini rectificatissimum super vitriolo calcinato destillavit, destillatum capiti mortuo iterum affudit, & sic aliquoties reiterando, obtinuit spiritum vitrioli, quem vocat antepilepticum; cujus tres partes, cum spiritus tartari ac theriacalis camphorati ana una portione permixtæ, constituerunt mixturam ejus simplicem. Ex usu mihi etiam est liquor mens anody-

Hoff. Syst. Tom. VI.

nus; tribus partibus cum una spiritus vitrioli, bene præparati, ac dimidia spiritus tartari volatilis, aut eboris maritatus: quibus remediis, mature datis, sæpius venenum narcoticum involvitur, obtunditur, atque tum subjunctis diaphoreticis fixis e corpore depellitur. Hæc nimirum cum acidis istis alternatim propinare convenit; & inter ea non præstantiora deprehendi pulveribus, qui ex lapidibus cancerum, succino præparato, pulvere marchionis, nitro depurato, antimonio diaphoretico, cinnabari, & aliquot theriacæ cœlestis, quin & camphoræ granis conficiuntur. Nec minorem laudem merentur decocta humectantia, infusa tepida diluentia, & quæcunque temperatam promoverent transpirationem.

§. IV.

Prius vero, quam ad horum remedium usum accedamus, respiciendæ sunt causæ materiales, acrimoniam illam inimicissimam generantes, & hæc, quantum fieri potest, removendæ, ut malo præscindatur pabulum. Quare si morbus sit populariter grassans, & a victu impuro, aut externa causa indusio: vim ejus insigniter franget lene emeticum, mature, primis diebus, & sub accessionum intermissione datum. Quo fine optimi & securissimi effectus est radix hypecacuanhæ; de qua drachma dimidia, vel in robustioribus integra cum paucillo nitri commixta, pro dosi exhibeatur. Eo magis & necessarius, & fructuosus est emetici usus, si morbus sit recens, & agri adhuc de nausea, cardialgia, præcordiorum anxietate, atque vomendi conatu conquerrantur; claro documento, morbi fomitem, maximam adhuc partem in ventriculo hædere. Conf. BUDDEI tractatus supra citatus pag. 44. Tum supra memoratis remediis diaphoreticis, acidis, temperantibus, antispasmodicis, atque tandem anodynis & roborantibus insistere convenit.

§. V.

Quod si malum per periodos invadat, certum est indicium, fomitem illius

D

in

Mali epidemici ratio.

Curetis malicæ fomite

primarium
vixarum
suborti.

in saburra acri intestinum duodenum occupante residere. Tum præstat pulveribus rhabarbarinis, ac absorbentibus eam acrimoniam exturbare. Quando vero putrilago verminosa in intestinorum canale ob hæserit; huic obviam eundem laxantibus, cum extractis amarioris, balsamicis, anthelminticis; uti est extractum Tanacetii, cardui benedicti, centaurii minoris &c. maritatis; aut pulveribus laxantibus, qui habent semen fantonici, corticem chinæ, cinnabarim, & tantillum Jalappæ. Tum primis officinis a saburra omni liberis, humorum etiam massa a miasmate ipsi in hærente, per bezoardica fixiora ac decocta diluentia cum regimine blando diaphoretico repurganda est.

S. VI.

Curatio
mali a
s ppreffis
exanthema-
sibus
produ-
ti.

Si motus spasmodici vagi a retropulsis exanthematibus, ulceribus, arthritide, podraga &c. fuerint excitati: omnis primum curatio eo est dirigenda, ut lymphaticus latex, ab iis, quibus imbutus est, impuritatibus liberetur, & retropulsæ efflorescentiæ ac corporis superficiem invitentur. Priori scopo inserviunt pulveres diaphoretici, nitroscinnabarini, cum extracto croci remixti: infusa calida intra lectum cum regimine pota; mixtura simplex, liquor anodynus, & spiritu eboris maritatus; posteriori faciunt satis frictions, fomentationes corporis externi, tepidiora pediluvia, balnea aquæ dulcis cum lacte, atque laxantia; quæ illum simul habent usum, ut contractas partes blande relaxent. Nec irrita sæpius sunt vesicatoria, fonticuli, setacea.

S. VII.

Curatio
mali a
dyscrasia
scorbutica
sustenta-
ti.

Quod si quidam, uti plerumque fit, ex prægressa perversa diæta diu male habentes, successive motibus spasmodicis vagis corripiantur: indicium est, illos a dyscrasia sanguinis ac lymphæ scorbutica fuisse excitatos. Tum aliam curandi viam inire decet: siquidem ea remedia in usum vocanda, quæ corruptam humorum massam emendant, impuros humores per congrua proscribunt emunctoria, ac circulum humo-

rum reddunt æquabilem. Hoc nomine præter congrua laxantia, & clysteres præstantissima sunt antiscorbutica, & ex his temperatissima, veluti sunt beccapunga, acetosa, radix chinæ, sarsaparillæ, lapathi acuti &c. Hæc vel in decocti forma, vel potius in ipsis succis adhibeantur, maxime si illi cum lacte caprino, vel sero lactis adsumantur. Ipsum etiam serum lactis dulce, ea ratione, quam in *Consult. ac Respons. Medicin. Tom. I. Sect. I. Casu LXII.* docui, paratum, aut loco aquæ simplicis, acidulis Selteranis, vel aquis destillatis herbarum antiscorbuticarum nuptum, ingentem pollicetur fructum. Nec denique alienum erit, ipsis acidulis, cum lacte maritatis uti: & si in ullo morbo, certe in hoc excellentissima est virtus aquæ fontanæ, naturali frigiditate hausta: quibus omnibus, si nimia sanguinis moles fuerit præsto, congruæ venæsectiones conjungendæ sunt.

S. VIII.

Quando itaque dicta ratione crassiores lordes atque etiam volatilis venenata acrimonia aliquantulum sopita & expurgata fuerit: tum ea in usum vocanda, quin & priori curationi sunt interponenda, quæ effrænes motus sedant ac compescunt. Repetantur hoc nomine anodyna & antispasmodica, quæ prioribus jam commendavi capitibus. Tali enim ratione & diaphoreticis interponuntur lenia sedativa, v. g. pulveribus bezoardicis addi potest extractum croci; theriaca cœlestis; mixturis ac spiritibus diaphoreticis cum fructu liquor noster anodynus jungitur. In primis vero laudem in hoc morbo merentur lumbrici terrestres recentiores, vel in pulvere, vel succo dati; quippe qui specificam fere in sopiendis motibus huiusce spasmodicis vagis obtinent virtutem. Sæpius etiam mali vehementia requirit, ut externis linimentis anodynis atroces motus paullo consopiamus, quo reliquorum remediorum vis eo melior evadat. Inter ea deprehendi præstantissimum, quod sic se habet: Recipe axungie humanæ, olei nucis

Quomodo
motus
effrænes
sine
compe-
scendi.

ana unciam semis, olei hyoscyami drachmam unam, balsami Peruviani, croci, ana drachmam semis, olei ligni Rhodii, lavendulae, ruthae, majoranae, ana guttas decem. M. D. Hoc linimentum ad tempora, cervicem, spinam dorsi, applicare convenit. Et ejusmodi remediis, maxime si malum nondum fuerit valde inveteratum, illud saepius profligari potest.

§. IX.

Coratio
mali in-
vetera-
ti.

Verum enim vero longe aliter res se habet, si affectus existat inveteratus, miasma malignum se intimius in partes solidas insinuaverit, ac generis nervosi imbecillitas vel connata, vel per alias causas inducta praesto fuerit. Tali in casu nihil est praestantius subsidiis diæticis, parienter, & per longum tempus usurpandis. Quemadmodum scilicet rerum non naturalium usus ita institui debet, ne quid inde detrimenti in sanitatem redundet: ita praesertim in aeris, coelique mutatione magna curandi vis, & unicum fere solatium latet. Sic enim preparato corpore per venæsectionem, blanda laxantia, pulveres diaphoreticos ac temperantes, juvat peregrinationem instituere; & acidulas ad scatebram cum lacte, sub mentis hilaritate, ac congrua vivendi ratione potare; ac eo praesertim respicere, ut intestinum duodenum ab acri biliosa saburra semper maneat vacuum. Praeterea in hoc demum casu specifica antepileptica, cum lumbricis terrestribus juncta, balnea quoque aquae dulcis cum quarta lactis parte remixta egregium operæ faciunt pretium.

§. X.

Robo-
rancia.

Quod si autem conquieverint motus violenti spasmodici, roborationi pariter nervosarum opera danda est; quoniam si hæc maneant debiles, non solum cruditates in primis viis facile colliguntur, verum etiam ipsum malum recidere solet. Quare haud ludetur opera, si in usum vocentur balnea martialia, naturali frigidityte praedita, uti sunt Lauchstadiensia, vel Freyenwaldensia; quæ ad roborandum & confor-

tandum corpus egregiam obtinent virtutem. Sub horum usu pariter, ac eo absoluto, adhibenda sunt decocta diluentia, ex radice chinae, scorzonerae, viscoquercino, qui insigne roborans constituit: quo etiam nomine excellentis virtutis est cortex Peruvianus, in pulvere subtilissimo, cum succino, cinnabari, antimonio diaphoretico maritatus. Hic enim cortex blanda sua balsamica vi, humores corruptos, acres, biliosos in duodeno potissimum herentes invertit, ac benignos reddit: atque ventriculum ac primas vias roborando, digestionem egregie adjuvat. Quo etiam scopo Elixir nostrum balsamicum viscerale praestantissimam pollicetur opem praesertim, si pilulis balsamicis, quandoque devorandis, primæ officinae semper a sordibus liberæ conserventur.

§. XI.

Praeter hæc denique praesidia, ad nostri affectus praeservationem sedula causarum huc disponentium evitatio quam plurimum contribuit. Fugiantur nimirum loca uda, humida, palustria: aer seligatur purus, serenus atque tenuis; hinc etiam in malo epidemice grassante domicilia atque conclavia haud sine fructu suffimigiis imbuuntur. Victus porro sit facilis ac conveniens: ne cruditates in prima regione, novum spasmodorum pabulum generentur: quare SEVERINUS EUGALENUS tract. de Scorbuto pag. 119: casum recenset, de convulsionibus scorbuticis in infante, quæ nullis remediis curati prius potuerunt, quam donec nutrix sana fuit quaesita. In primis cane pejus & angue fugiantur alimenta ac potulenta calidiora, commoventia: ut etiam animi pathemata, ira, terror, cura, tristitia: utpote quibus in revocandis motibus spasmodicis & convulsivis nihil est efficacius. Alvus nunquam sit obstructa, nec sanguinis moles justo major: idcirco hæc congruis venæsectionibus ac scarificationibus ventilanda, illa victu emolliente, clysteribus, ac pilulis balsamicis lubricanda. His denique omnibus praesertim versus sollicitudinem

Metho-
dos pre-
serva-
tor a.

brumale, quo plerumque hi adfectus recrudescere solent, utendum erit.

C A U T E L Æ.

§. I.

Cautela
circa re-
media
salidiora.

SI nullus est morbus, qui delicatius, ac leviori quasi brachio tractari debet, certe est noster spasmodicus vagus. Respuat ille valida, ac exacerbatur ab omnibus, utut levissimis spirituosiss, commoventibus, ac calidioribus, bezoardicis, alexipharmacis, volatilibus, essentis, oleis destillatis &c. Materia enim salino-sulphurea, quæ hos morbos fovet, tam subtilis existit, tamque volatilis, ut ab ejusmodi remediis admodum exaltetur & exagitetur. Cuncta, quæ exhiberi possunt, medicamina sint temperata; & in pulverum, mixturarum aquearum, decoctorum ac infusorum forma propinentur.

§. II.

Circa
antif-
scorbuti-
ca.

Hanc etiam cautelam circa ipsa antiscurbutica observare oportet; ex quibus non nisi temperatissima seligantur, uti sunt beccapunga, acetosa, & succus nasturtii aquatici, quod præter sal volatile subamaræ & roborantis est virtutis. Optime enim in succis exhibentur; maxime si ille aut sero lactis, aut ipsi lacti nuptus, purgatis antea primis viis propinetur. Si decoctorum formulæ arrideant, illis addere convenit nitrum; quippe quod radicum, herbarumque paullo acriorum vim commoventem insigniter hebetat.

§. III.

Circa
fortiora
evacu-
antia, ac
narcoti-
ca.

Fortiora purgantia adhibere, maxime, ubi scorbutica præsto est acrimonia, nihil est, nisi oleum camino addere. Narcotica, sulphurea, opiata, adstringentia &c. remota nondum materiali causa, propinata veneni instar sunt. Licet enim prima fronte malum allevare videantur; re tamen vera illud reddunt pertinacius, ac summam nervorum relinquunt debilitatem. Idem de asa foetida, naribus extrinsecus admota, tenendum est; cui substituere præstat corium illud ex Russia ad nos depor-

tatum. Fonticulos, vesicatoria, setacea &c. non promiscue adplicare decet; sed in certis dumtaxat ac reservatis casibus, ubi nimirum exanthemata, aut ulcera ad partes corporis interiores sunt retroacta, & malum sit pertinacius.

§. IV.

Ubi affectum spasmodicum vagum, præter scorbuticam humorum dyscrasiam, affectus hystericus, aut excretionum sanguinearum suppressio sustentaverit: haud temere ad specifica, aut motus præternaturales sopientia, interna pariter, ac externa confugiendum est, sed antea bene providendum, ut adjuvetur successus excretionum. Hoc sine vengsectiones convenienti tempore instituta; pulveres temperantes & antispasmodici; pilulæ blande balsamicæ; tepidiora pediluvia, & bonum ab horum usu regimen, quin & balnea temperata, ac denique recta aquarum mineralium potatio utramque paginam absolvunt. Et generatim sciendum est, nihil magis felicem curationis successum adjuvare, quam si pori cutis aperti, & alvus libera fuerint.

§. V.

Adhuc circa scorbutum, si malo nostro pabulum dederit, tenendum est, quod in illo magis frigido, ut cum veteribus loquar, aut ubi simul pituita mucida, viscida, acida, in subjectis naturæ humidioris ac frigidioris peccat, magis e re sint antiscorbuticæ radices ac herbæ in decoctis adhibendæ. Contra vero, ubi subjecta fuerint strictiora, calidiora, cholericæ, & acrimonia magis biliosa, sulphurea, omnium remediorum virtutem antecellit serum lactis.

§. VI.

Generatim lac, & medicamina ex illo parata, si debito ordine, ac primis viis a biliosa acri saburra repurgatis usurgentur, ad infringendam & obtundendam miasmata malignorum, in his morbis peccantium, acrimoniam præstantissimi usus est. Hoc inter alia pater exemplo venenorum, & drasticatorum purgantium & emeticorum: hi-

Quid faciendum, si subsint affectiones hystericae.

Cautela circa scorbutum.

Circa la diacina.

hil enim certius & efficacius, ad convulsionem, & alias atrocissimas passiones ab illis excitatas deprehenditur, quam opportunus lactis usus.

§. VII.

Circa remedia Salina ac mercurialia. Perniciosissimus in morbo nostro spasmodico, ubi jam salia acria, scorbutica præsto sunt, est quorumcunque salium & fixiorum & volatiliū frequens & largior usus; quippe quæ materiam ac causam morbi magis adaugent, & symptomata exacerbant. Quare nec cinnabarina, quæ alias cum diaphoreticis ac absorbentibus mixta securi sunt usus, cum salibus irritantibus combinare decet. Maxime omnium a mercurialibus quibuscunque sedulo cavere expedit: quoniam illa, si cum salina acrimonia permisceantur, causticam ac venenatam obtinent naturam.

§. VIII.

Circa Linimenta. Sæpius tanta urget motuum violentorum vehementia, ut nulla fere restent intervalla, quibus convenientia propinari possint remedia. Tali in casu nihil est præstantius, quam remediis externis, ac linimentis, cum oleo hyoscyami permixtis, ad tempora adplicandis, blandum conciliare somnum; quo placantur sævi tumultus, ut deinde reliqua medicamina feliciori successu adhibeantur. Ceterum etiam roborandi sine linimenta vertebrae lumbaribus, ventriculi regioni, ac juncturis partium adplicari possunt; ubi loco olei hyoscyami, oleum nervinum & lumbricorum terrestrium substitui debet.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

Motus convulsi vagi scorbutici. Imploravit aliquando opem meam Comes illustrissima, annorum xxxiv undecim liberorum mater, gravibus curis ac terroribus obnoxia, quæ per septem jam annos præter passiones hypochondriacas, convulsionibus vagis per intervalla tam admirandis infestabatur, ut a multis fascino adscriberentur, nec verbis satis potuerint exprimi. Ex-

Hoff. Syst. Tom. VI.

tra paroxysmum vaga erat adpetentia: at sitis ut plurimum ardentior, sub qua fauces & œsophagus plorabant lympham, saporem nunc meri piperis, nunc meri salis, nunc cupreum referentem. Præcordia distendebantur mirifice: venter resonabat continuis murmuribus; intestinorum volumen post levissimum motum sæpius occupabat colica convulsiva: alvus mox erat strictissima, mox fluida, nunquam tamen absque teneismo vel inguinum spasmo reddebatur: in hypochondriis perpetuo sentiebatur inflammatoria quædam & quasi ulcerosa exæstuatio, quæ sæpius sternum invadebat cum sensatione animalculi ibidem oberrantis. Urgebant mentis deliquia, cordis palpitaciones, & nocte præsertim tanta spirandi angustia, ut suffocari videretur. Caput crebra vertigine afficiebatur, cum dolore mox unius, mox alterius lateris spasmodico: & tanto sæpius æstu intus & extus exardescibat, ut cerebrum quasi prunis afflari, facies mero igne afflari videretur. Somno utebatur turbulento: vigilans metu, tristitia, pavoreque sine causa percellabatur frequenter: ac ipsæ mentis facultates imminui cœperunt. Ceterum partes externas nunc fornicationis quidam sensus, nunc motus abolitio, nunc etiam tremor undulans, cum gravitate oppressoria occupabat: interdum tanta pedum urgebat elasticitas, ut perpetuo ambulandi ac salendi adficeretur desiderio: mox ingens rigor totum corpus concutiebatur, qui in frigidum desinebat sudorem, interioribus ferventibus. Facies mox sanissima, mox ex nigro fulci coloris adparebat: pedes nunc tuebant, nunc variis pingebantur maculis: nunc etiam vesiculis, quæ disruptæ lympham stillabant acerrimam, obsidebantur.

Menses rite fluunt: lochia, si sætus enixa fuerit, bene succedunt, & nonnunquam massulas purulentas simulant, acrimonia aquam fortem superantes. Diætæ est studiosissima agra: nec pro potu ordinario nisi aquam simplicem adsumit. Ipsi paroxysmi vix sunt

D 3

hor.

horrendi : namque illustrissima ægra horrendis motibus, nunc tetano, nunc episthotono, nunc emprosthotono convolvitur, tenditur, circumgyratur, in choreas nunc ambobus, nunc uno saltem pede ducendas cogitur, & in cursum nullis frænis sufflaminandum rapitur. Nunc super genua, nunc super digitos pedum, nunc super plantas obliquas volutatur, donec in terram concidat, linguam canum more cum sono anhelantium motitat; dentes collisis maxillis conterit; palmas manuum collidit, & tum attonito & quasi moribundo situ detinetur. Sensus interni in convulsivo paroxysmo omnes sunt salvi, & ad unguem novit, quæ sub illo fuerunt acta. At in posteriori accessione veluti cataleptica, oculis licet clausis, carmina concepta, propria manu in charta describit; clausis etiam oculis fila serica artificiosissime contexit; & ante fores stantes, utut sibi ignotos, nullo indicante, ad se vocat. Hi paroxysmi per intervalla redeunt, & prænunciantur somnolentia iusto profundiori, adpetitu & pulsu auctis: tum viscida muci particula per screatum ejicitur; aut globiformis septi transversus contorsio sentitur; & hinc subito superveniunt artuum agitationes.

Epicrisis.

Notabile hoc est exemplum motuum spasmodicorum vagorum, cum cataleptici symptomatibus & insigni humorum dyscrasia scorbutica complicatorum. Hanc enim significant lymphilla acerrima, ex faucibus ac oesophago stillans, varioque saporibus referens; dolores rodentes, lacerantes, pungentes totius fere corporis; maculæ ac vesiculæ pedes occupantes, atque moleculæ illæ acerrimæ cum lochiis excretæ. Notabile vero in hoc casu est, quod appetitus, qui extra paroxysmum vagus erat, brevi ante ipsam accessionem admodum auctus fuerit. Namque excitari adpetitum a salibus acidis, tunicam ventriculi vellicantibus, neminem fu-

git: hæc vero salia, quamdiu motus spasmodici silent, reliquis viscidis humoribus immixta quasi coercentur; at quando per incipientes violentos motus e suo contextu extricantur, iterum afficiunt nervosas partes; ut adeo causa pateat, cur imminens paroxysmus antecedit auctior adpetitus. Totum vero malum primum habet fundamentum in perverso partium & fluidarum & solidarum motu: quod ex passionibus, quas toleravit, hypochondriacis clarum sit. Complicati in his adfectibus intestinorum motus spasmodici in causa etiam sunt, quod alvi negotium succedat admodum inordinatum; & illa, conquiescentibus spasmodis, lubrica, his vero recrudescentibus strictissima sit. Tenesmus singulis dejectionibus conjunctus ab humorum acrimonia dependet: & roboris ille ac æstuationis in hypochondrio dextro sensatio a bile acriori, stagnante, & per poros vesiculæ felleæ transudante, vicinasque partes vellicante suos mutuatur natales.

Hujus autem affectionis, quæ adeo inveterata solidas pariter ac fluidas partes prorsus destruxit, curatio difficillima fuit, ut adeo haud mirum, si omnium remedium, utut præstantissimum efficacia, fuerit irrita. Laxantia vero, diaphoretica, balnea, aquæ mineralis, victus ac coeli mutatio insignissimum in hoc spinoso morbo levamen attulerunt.

OBSERVATIO II.

Celebris vir, triginta annorum, de-
cem abhinc annis mense Martio podagrico corripiebatur insultu, qui pedem sinistrum occupabat, & intra tres hebdomades iterum evanescebat. Post elapsam exinde quinquennium, eodem mense Martio ex improvviso doloribus vagis arthriticis omnium artuum, cum horrendis convulsionibus infestabatur: quibus intra sex hebdomades debellatis, successit tanta totius corporis imbecillitas, ut per tres integros menses obam-

Spasmi
convul-
sivi va-
gi ex
Podag-
rica re-
tropul-
sa.

obambulare ac pedibus insistere nequiverit. Ante binos annos, iterum mense Martio recruderunt iidem motus vagi, spasmodico-convulsivi & primum pollicem sinistri, tum dextri pedis prehendebant, ac abhinc per calcaneum, pedes, genua, spinam dorsi, pectus, humeros, brachia, manus, digitos, cervicem & occiput protensi, rationis usum semper tollebant. Sedatæ atroces hæc affectiones, insequente mense Novembri, eadem vehementia, quin convulsionum majori violentia recidebant, & symptomatibus visu horrendis sæviebant. Tum accidit aliquando, ut in ipsa dolorum exacerbatione, illam dorsi regionem, ubi diaphragma vertebrae adhæret, manu fortiter percutiendam præberet: quo facto, remittebant quidem artuum externorum tormenta, sed atrociores intestina prehendebant dolores, ut arthritis retro-pulsa videretur. Vix autem una elapsa hora, alvus sponte solvebatur; & tum clysteribus adjuncta, copiosas sordes ac flatus reddebat: quibus excretis cuncta conquiescebant symptomata, somnus & appetitus redibant, & perfecta sequebatur reconvalescentia.

Epicrisis.

Plane singularis, & attentione perquam digna est hæc observatio, quod fortis facta percussione ejus dorsi regionis, ubi tendines diaphragmatis vertebrae lumborum adhærent, externa artuum tormenta mox remiserint, & ad intestina retrocesserint; tumque secuta crebriori alvi dejectione, & copiosa fordium eliminatione, vis morbi atque symptomatum mox conquieverit. Nam si ullus in universo corpore locus est notabilis; certe hic ipse, cujus in historia morbi meminimus, attentionem meretur. Ibidem enim septi transversæ tendines vertebrae lumbaribus firmiter junguntur, & orificium ventriculi sinistrum, valde nervosum atque sensibile; porro plexus major mesentericus, cum arteria & vena mesenterica, ac finis duo-

deni, in quo vitiosus morborum spasmodicorum & periodicorum fomes est, situm suum habent. Hinc vero videtur simillimum, a paulo fortiori hujus loci externa percussione, ingentem tam motuum nervosi generis spasmodicorum, quam etiam caussarum, hosce motus sustentantium factam esse mutationem, eorumque ex uno in alterum locum translationem. Hujus externi remedia efficitur in puerorum serena, atque suffocationem minante tosse, aliquoties vidi præstantissimum: neque etiam minus in viro quodam honoratissimo, qui sæpius cruciabatur graviore podagra, adnotavi, quod a partis affectu per malleum facta, utut dolorifica percussione, insignissimum dolorum perceperit allevamentum. Recte mechanica dici potest hæc curatio; quæ, si tempestive fiat, in certis circumstantiis felici haud carere potest effectu.

Quod autem præsens morbus demum per alvi dejectionem fuerit curatus, certum præbet indicium, causam illius materialem in prima latuisse regione. Hæc ergo idoneis foras ejicienda est subsidii; cui quidem scopo fortiora purgantia, salina, & stimulantia minime inserviunt; sed quæ leniendo, demulcendo, simulque evacuando agunt, magis conveniunt. Ex horum censu mea experientia omnibus præferri meretur infusum mannatum, rhabarbarinum, tartarifatum, pro re nata cum uno vel altero tartari emetici grano acuaturn. Sic circa omnem noxam & tumultum tam per superiora, quam per inferiora saburra primarum viarum, quantitate satis copiosa proscribetur.

OBSERVATIO III.

Puer undecim annorum, strictioris corporis habitus, a teneris vultu pallido ac lurido præditus, & sæpius de im-

Morbus
spasmo-
dici va-
gi cum
corru-
ptis
pneum-
oniam
causa.

ventris torminibus conquestus, parentibus tamen sanis natus, obambulavit aliquando hyemali tempore in horto, ibidemque prævio gravativo in pectore sensu, & vomendi conatu incidit in

paroxysmum fere epilepticum; in quo post aliquot horas semianimis, & oculis clausis deprehendebatur. Abhinc malum magis invalescere cepit, & aliquoties quotidie recurrit, cum tanto membrorum robore, ut vix a tribus coercere potuerit viris. Paroxysmum antecederant angustia præcordiorum, palpitationes cordis, vertigo, tinnitus aurium, & capitis gravitas: tum spasmodicæ agitationes ab umbilico primum ad caput ascendunt, & ex hoc in externos artus diffunduntur. Quamdiu caput afficitur, omnes cessant sensus, & rationis potentia hebetatur; quando autem artus concutuntur, rationis redit integritas. Ipsa corporis agitationes variis quotidie modis tristem ludunt scenam: mox enim instar galli cucurrit, mox boatum vacarum æmulatur, mox tonitruum, quo venatores feras alliciunt, modulatur; mox peregrinas linguas strepit; mox more musicorum modum cantus manibus moderatur; mox magis mutus est quam piscis, & tum scribendo significat, prohibitum jam sermonem, se intra horæ spatium esse recuperaturum, uti etiam fit. Fingit præterea sibi non solum varias inanes ideas, ac terrificas imagines, seque spectra videre affirmat; verum etiam prædicit sæpius in paroxysmo res, quæ actu fiunt. Et notatu dignum est, ægrum aliquando, cum accitus verbi divini minister nomen Jesu pronunciaisset, ingentem edidisse clamorem; quo finito tranquillæ preces fundere valuit. Caterum extra paroxysmum fervido fruitur appetitu, somnoque placidissimo; & urinam mingit aquosam. Ex emeticis lenioribus bene habet; sed post institutam pronupet venæsectionem exacerbari videbatur malum.

Epicrisis.

Prodigiosa utique, & quæ omnem mentis captum superare videtur, est illa vis, quæ in hominis phantasia latet, & quæ in morbis cerebri, atque generis nervosi atrocioribus, quam maxi-

me sese exerit. Quare jam vetustissimi, & Hippocratis tempore viventes Medici, loco naturalium causarum, quas ignorarunt, τὸ Θεῖον, sive divinum quid in subsidium vocarunt: & ob eandem rationem epilepsiam nomine morbi sacri insigniverunt. Notabilis certe est locus, qui in libro HIPPOCRATIS de morbo sacro §. II. existat, dum: *Qui primi*, inquit, *hunc morbum sacrum esse pronunciarunt, tales homines mihi esse videntur, quales etiam nunc sunt magi, & expiatores, & circulatores, & quidam arrogantes, qui se vehementer pios esse simulant, & amplius quid scire. Hi itaque consilii & mentis inopiæ obvelantes, ac pretextentes divinitatem, quum nihil haberent, quod exhibitum prodesset, ut ne manifesta fieret ipsorum ignorantia, sacram hanc affectionem esse pronunciarunt, & relictis idoneis rationibus, curationem in expiamentis & incantamentis quasiverunt. Verum cum causæ, quæ ad turbulentam ejusmodi, ac plane perversam contribuent phantasia, omnino sint physicæ atque mechanicæ, siquidem anima nonnisi in mechanismo, per mechanicas causas & cum materia apta agere & operari potest, quo immutato, illius quoque operatio mutatur: illæ sane diligentius a Medico sunt corrigendæ, & e corpore prescribendæ. Et ipsi jam veteres, præsertim Hippocrates, talium cum corrupta phantasia complicatorum morborum curationem in remediis diæticis, cibis accommodatis, salubri aere, atque demum in helleboro dextre præparato quasiverunt, ac invenerunt. Quemadmodum enim a cibis copiosis, flatulentis, & qui crassos viscidosque ingenerant succos, nec non aere nimis denso vappidoque, corpora per se jam imbecilla facillime ad graves generis nervosi ægitudines disponuntur: ita omnino ad has præcavendas pariter, ac sanandas, convenienti vitæ regimine, & victu tenui, qui nec stomachum gravat, nec eruditates relinquit nervis inimicas, & benigno cuncto nihil observatur præstantius.*

OBSER.

OBSERVATIO IV.

Morbus
spasmo-
dico-
vulsi-
vus, ex
nimis
ascaridi-
bus sub-
ortus.

Puer septem annorum, alacris antea, & vegetus, ex improvise, capitis acuto corripiebatur dolore, qui cum æstu præternaturali, atque pulsu celeri erat conjunctus. Brevi post superveniebant sævissima circa regionem umbilicalem tormina, crebri vomendi conatus, intolerabilis in ano pruritus, alvi obstructio per triduum inhærens; & tandem excipiebant horrendæ manuum pedumque convulsiones, & agitationes, ex uno membro in alterum transeuntes: quibus cessantibus, absque sensu & motu, intentis oculis, graviter respirans jacebat. Hæc ergo symptomata præter antispasmodica, liquorem meum anodynum mineralem, cum tertia parte spiritus vitrioli junctum, & pulverem ex cinnabari, lumbicis terrestribus, nitro, & pulvere Marchionis confectum, oppugnabantur laxante, quod ex Manna, rhabarbaro, semine fantonici, ac sale Sedlicensi erat compositum. Hoc excipiebant crebræ alvi dejectiones, & cum illis, mirum dictu! ultra millia ascaridum tenuissimarum, glomeris instar invicem contortarum excernebantur: quo facto cuncta protinus remittebant symptomata.

Epicrisis.

Vermes, intestinis tenuibus, vel ipsi ventriculo incarceratos, horrenda & portentosa in partium nervosarum systemate excitare symptomata, neminem fugit. Sed id non adeo obvium atque compertum est, ascarides, quarum sedes in recto, tanquam ultimo, & a capite remotissimo intestino est, convellendo universum nervorum genus, totam motuum vitalium, imo functionum animalium turbare posse œconomiam. Verum haud infrequenter non tantum in pueris, sed etiam adultioribus, præsertim sceminis obmensum vitium cachecticis, ex asca-

ridibus varios & mirabiles capitis affectus, aphoniam, profundum soporem, epilepsiam, catalepsin, convulsiones artuum vagas, ac mentis alienationes observavi. Quando vero hi vermes per suppositoria, anthelmintica cum purgantibus juncta, ex quibus semen Santonici cum mercurio dulci ac jalappa mixtum palmam obtinet, non omittis balsamicis, foras pulsi fuerunt, remiserunt omnes adfectiones. Causam tam gravissimarum passionum non in sola intestini recti vellicatione collocandam esse arbitror; nam sæpe nec ullus dolor, nec pruritus in ano sentitur; sed potius in putridis horum animalculorum effluviis ac exhalationibus, per poros in nervosas ac membranaceas partes sese insinuantibus ponendam esse, certus credo.

OBSERVATIO V.

Vir quidam sexaginta quatuor annorum, laborabat affectu spasmodico vago, qui sic se habebat. Ante invasionem conquerebatur de pedum & crurum vehementi refrigeratione, ut calore hæ partes foveri debuerint. Cessante paullo frigore, tormina atrocissima infestabant abdomen, quibus præsentibus nec flatus, nec faeces, nec urinæ mitti poterant. Tum excipiebat quædam contractio in medulla spinali circa lumborum vertebra; sub qua venter magis occludebatur, spasmodicus vero dolor ad superiora simul ascendebar, cum junctis ructibus, capitisque doloribus tensivis, gravativis, & quodam stupore. Tandem æstus cum pruritu totum corpus perfundebat, & maxime regionem umbilicalem tanta occupabat ariditate, ut cutis veluti torrefacta adpareret. Non etiam minus extra paroxysmum crura semper manebant frigida; manus vero notabili languore, stupiditate, tremore, sensationisque pariter ac motus quadam impotentia adsciebantur: quid? quod denique vera paralytis pedes atque manus obsederit: reliquis symptomatibus

Spasmi
vagi ab
acrimo-
nia lym-
phæ &
seri.

spati-

spasmodicis in uno tenore perseverantibus. In tali rerum statu multa, ac varii generis medicamina, sed frustra fuerant adhibita. Ego tandem consultus, clysteres emollientes ano infundi; & decoctum ex sero lactis, floribus sambuci, & nasturtio aquatico paratum potari iussi; ex quorum usu tormina & dolores abdominis admodum mitigabantur, & conjunctis tandem balneis aquæ dulcis, alvi libertas insequabatur, ægerque habebat melius. Denique in faucibus & labiis, vesicula sero aquoso plenæ efflorescebant; atque alvi profluvium satis copiosum accedebat, quo multæ sordes excrementitiæ reddebantur. Et cum abhinc quotidie decoctum chinæ potaret, externasque partes oleo lumbricorum terrestrium sæpius perfricandas curaret; vires sensim collegit, integramque recuperavit sanitatem.

Epicrisis.

Notabile spasmodorum vagorum, licet cum violentis convulsionibus haud complicatorum, exemplar sistit hic casus. Inceperunt nimirum illi in pedibus, horum refrigerationem inferentes; abhinc per spinam dorsii, nervosas abdominis, maxime intestinorum partes obfederunt, pertinaces alvi constrictiones & tormina excitando, tum peccus invaserunt atque præcordia, anxietates, ructus, ardorem ventriculi, & lymphæ ex ore vel potius faucibus stillicidium inducendo. Tandem etiam caput occuparunt, & in illo melancholiam, stuporem, vertiginem, vigilias, dolorem gravativum, tinnitum aurium, spasmodum caninum, ac denique paralyticos affectus progenerarunt. Hocce vero malum a dyscrasia lymphæ & sanguinis acris, tenui, caustica, in nostro ægrotante originem traxisse inter alia exinde patet, quod post æstum, quo ordinario spasmi discutuntur, pruritus, servor & exsiccatio cutis, & vesiculae in toto corpore adparebant. Hinc etiam factum est, ut de-

cocta diluentia, humectantia, & quæ acrimoniam temperant, uti serum lactis, in quo flores sambuci ac herba nasturtii aquatici decoquantur, clysteres emollientes, decoctum chinæ, atque balnea præstantissimam opem tulerint. Contra vero omnia, quæ intendunt scorbuticam humorum acrimoniam, veluti sunt fortiora purgantia, sudorifera, atque salina, plane omitti debent, quoniam his plus damni excitatur, quam emolumenti.

OBSERVATIO VI.

Quadraginta annorum vir, per duos abhinc annos crebris ventriculi inflationibus, ac insigni abdominis tensione divexatus, incidebat aliquando post prævium iter, in vehementissimum dentium sinistri lateris dolorem, adeo, ut per aliquot horas instar apoplectici omni fere sensu ac motu privatus esset. Talis paroxysmus bis adhuc circa novilunium semper recidebat; adhibitis vero, vesicatoriis & scarificatione tandem remittebat. Post hæc circa ultimam lunæ quadrantem, ingentes lancinationes cruris sinistri prehendebant, cum totius corporis lassitudine, & quotidianis animi deliquiis stipatæ: quæ subsequente plenilunio in omnes artus diffundebantur, cum rigiditate ac motus impotentia in brachiis, horumque juncturas veluti e sede sua distorquebant. Hinc suavis amicorum, locum mutare, iter ingredi, & corpus movere coepit: unde accidit, ut aliquando præter opinionem cruris sinistri violenter retractum, dextrum vero antrorsum vehementer distentum fuerit. Diu etiam vixit in hoc misero statu, multosque Medicos adhibuit, quorum quidam insultus apoplecticos, alii arthritidem, alii calculum, alii malum hypochondriacum suspicabantur, & variis quidem contra ea mala, sed in casum pugnabant remediis. Tandem cum atrocibus & fere convulsivis intestinorum volumen excruciant tormina; injecti intra nycthemeron ultra de-

Morbus
vagus
scorbuticus
offensibilis
tenacissimus
inest
impac-

decem clysteres, materiam compactam ac globosam instar pomorum Borsdorfianorum minorum evacuarunt, quorum globulorum singuli veluti calce erant obducti. Horum dejectioni superveniebant quidem animi defectiones; at elapsis abhinc paucis horis, singulare virium incrementum æger recuperavit. Tum usus est lacte caprino, & ad thermas Toeplienenses concessit, post illarum usum spinam dorsi & juncturas artuum oleo nucis moschatæ sibi inungens; quibus factum est, ut paucis diebus omnia remisissent symptomata, ac tantum pedibus accesserit robur, ut commode ambulare potuerit. Notabile ceterum in hoc morbo fuit momentum, quod manus, utut atrocissimis distractæ doloribus, a paralyti fuerint immunes; quæ tamen crura, a spasmi libera, omnino occupaverat. Nec silentio prætereundum est, ægrum sumtis cibis rarissime habuisse animi deliquia, quæ vero in jejuniis fuerunt frequentiora.

Epicrisis.

Luculenter ex hoc casu docemur, quam graves affectiones pertinax alvi obstipatio, & intestinorum a saburra crassa atque compacta oppletio, nisi prognerare, saltem sustentare valeat. Præstat igitur alvum in morbis chronicis, spasmodicis, convulsivis lubricam servare; cui scopo, tantum abest, ut purgantia convenient, ut sapius etiam blada laxantia oretenus exhibere haud liceat. In nostro saltem casu omnia purgantia, quin & laxantia non nisi vomitus excitarunt, & spasmos exacerbant. Contra vero consultius est, clysteres ano infundere oleosos, ac emollientes; quibus faeces crassiores diluuntur, & ad exitum disponuntur. Tum quoque jungere licet laxantia, & quidem lenissima, veluti est manna cum oleo amygdalarum dulcium. Hisce itaque subditiis postquam expurgatæ fuerunt sordes crassiores: reliqua remedia, quæ ad temperanda alia

scorbutica sunt opportuna, feliciore successu, majorique cum fructu adhiberi potuerunt; quæ inter serum lactis, præsertim dulce, est præstantissimum. Tandem ad artus roborandos thermæ Toeplienenses, & olea juncturis inuncta, utilissimam tulerunt opem.

OBSERVATIO VII.

Puella duodecim annorum, diu male habens, tandem in affectum spasmodicum vagum delabitur, cujus paroxysmi per vices sequentem in modum invadebant. Corripitur primum ægra dolore abdominis atrocissimo; quo cessante maculæ hinc inde per corpus dispersæ efflorescunt, & his demum evanescentibus, spasmodicæ motitationes manuum pedumque succedunt, atque tandem epilepticæ junguntur agitationes. Observatione hic dignum fuit, quod quotiescunque externarum partium dolores ac spasmi remiserunt, illi protinus interiora occupaverint, cum alvi adstrictione contumacissima, & tanta contractione, ut fistulam clysticam ano intrudere, fere impossibile fuerit. Contra vero cessantibus internarum partium motionibus, spasmi iterum ad externas transierunt; & hæc scena per satis longum tempus acta fuit, donec tandem morbus, clysteribus oleosis, sero lactis, decoctis antiscorbuticis &c. feliciter fuerit profligatus.

Spasmi
vagi
scorbutici.

Epicrisis.

Notari ex hoc casu meretur, quod sub violentis intestinorum tormentis, crassa præsertim atque rectum, circa exitum, adeo constringi soleant ac coarctari, ut nec excrementis, nec flatulentis vaporibus exitum permittant; neque fistulam, qua clysteres injiciuntur, utut tenuissimam recipiant; aut si quoque hanc admiserint, ipsi tamen infusi clysteres, veluti vi quadam statim repellantur. Hujus vero momenti ratio, falso a quibusdam flatibus ob-

tem

eem ponentibus imputatur: siquidem ex physicis liquet documentis, quod fluida, quæ vi quadam ex clysteribus ano impelluntur, resistantiam obstantium flatuum longissime superent. Vera potius causa in ipsa intestinorum pertinacissima constrictione latet, quæ etiam motus eorum peristalticus haud raro ad superiora convertitur. Hinc sæpissime fit, ut non solum ventriculi inflationes, cardialgiæ molestissimæ, anxietates præcordiorum &c. suboriantur; verum etiam laxantia oretenus data, per vomitum reddantur, quin nonnunquam ipsi clysteres cum stercoreibus per superiora eructentur. Præstat itaque in tali casu sub ipso paroxysmo, nihil nec laxantibus, nec clysteribus moliri; sed potius partes contractas externis emollientibus relaxare, & extra accessionum tempus blandis vacuantibus saburram acrem eliminare; aliisque antispasmodicis & anodynis irregulares ac inversos motus demulcere.

OBSERVATIO VIII.

Con-
vulsio-
nes va-
gæ ex
violenta
ossis
coccy-
gis percus-
sione,

Puer annorum circiter quatuordecim, inter rixas cum commilitonibus, saxo satis duro circa os sacrum ac coxendicis graviter percutitur, cum sublequuto partis affectu vehementi tumore ac dolore, somnoque abhinc difficili, ac pavore pleno. Vocatus chirurgus os coccygis fractum dicebat, variaque extrinsecus adplicabat emplastra pariter ac linimenta. Neque tamen minus tertio die post accedebant horrendæ artuum convulsiones, cum vehementi cordis palpitatione, præcordiorum subsultibus, sermonis difficultate, & memoriæ debilitate, ut vix cognosceret adstantes, stipatæ; a pollicum tamen contractione immunes. Datis diaphoreticis ac antispasmodicis medicinis, intra quinque dierum spatium cessabant hæ præternaturales motiones; sed singulis mensibus, secundo vel tertio ante lunam plenam die, quo percussio violenta erat facta, semper redibant. Accessiones status frigidiores, ex osse sa-

cro per dorsum spinam ad cerebrum ascendentes antecedeant; tum incomposita loqui cœpit, non dormire, nec dormi contineri poterat; oculi sæpius torvi videbantur ac terribiles; & redeuntibus denique sensibus, vaga artuum convulsio sequebatur. Tali malo per anni dimidium cruciatus æger, tandem per balnea aquæ dulcis; per pulveres antispasmodicos, quorum basis erat cinnabaris, ac pulvis lumbricorum terretrium; decoctum visci querni, radicisque chinæ, cum quarta lactis parte mixtum, atque per linimenta, quæ habebant præter alia oleum hyoscyami ac camphoram, ossi sacro adplicata, quæ Dei est gratia, pristina restituebatur sanitati.

Epicrisis.

Ex hac morbi historia, diligentius pensitata, luculenter patet, quam admirandus sit membranarum, quæ medullam spinalem cingunt, cum aliis nervosis ac membranaceis partibus consensus, qui non nisi in mutua motuum vitiorum communicatione consistit ac propagatione. Sensatio autem illa frigida auræ ex loco affecto per dorsum ad caput usque ascendens vix ab alia causa dependet, quam a strictura spasmodica, per materiæ subsistentis acris & ichorosa vellicationem inducta, in ossis sacri medulla incipiente, & in forma motus undulatorii successive ad cerebrum usque propagata. In tali casu, ubi etiam ex plantis pedum ad caput aspirans aura frigida epilepsiam peperit, non sine fructu adplicare suevi temperatum vesicatorium, quod ex drachma una cantharidum cum emplastri de Meliloto uncia una permixta paratum, per aliquot septimanas parti affectæ impositum servetur. Hoc enim sine dolore operatur, & ingentem feri vitiosi extrahit copiam.

Norabilem de hoc re videns casum in
Consul. Medic. sect. IV. cas. CXXXV.

CAPUT IV.

DE

AFFECTU CEREbRI SPASMO-
DICO ECSTATICO, VUL-
GO CATALEPTICO,
PERQUAM RARO.

§. I.

Portento similis, & admiratione dignus est nervosi generis affectus, qui homines saxi, statuisque marmoreis immobiliores reddit, & catalepticos, quam Latini per prehensionem, detentionem, ac congelationem interpretantur, nomine salutar. Est illa, si realem spectemus definitionem, spasmodica fibrillarum nervearum, ac nervorum, actibus potissimum voluntariis, & sensationi destinatarum, prope suas origines contractio, & inde denegatus liquidi tenuissimi, in cerebro secreti, cujus ope sentit ac mover anima, in nervorum canales influxus: unde omnes sensus ac motus voluntarii pereunt, & corpus in eo, quo sub accessione mali est situ, immobile servatur; visque imaginationis magis intenditur.

§. II.

Agitatur inter veteres controversia, an catalepsis idem sit cum catochomorbus: necne? Quidam discrepare has adfectiones, & Catochum illum esse perhibent affectum, quem coma vigil adpellant veteres; ubi somno premi videntur agroti, & tamen vigilant, sed nec fari, nec ullum membrum movere valent, sensu praesertim tactus integro. Contra vero plerique catochum ac catalepsin pro synonymis habent; quos inter HENRICUM ab HEER observ. III. & NICOLAUM PISO NEM de morbis cognoscendis Lib. I. Cap. XIII. allegasse sufficiat. Realis autem est, quae catalepsin ac tetanum intercedit differentia. Quemadmodum enim in tetano totum corpus, &

cuncta membra tanto rigore distenduntur, ut illa ligno rigidiora, nec summa vi flectere aut incurvare valeas; & praeterea sensus pariter ac ratio sibi constant: ita e contrario in catalepsi immotum quidem stat corpus, sed flexile manet, & quoscunque artus flectere ac agitare potes; atque sensus omnes pariter ac ratio pereunt.

§. III.

Catalepsis omnium sane morborum est rarissimus; ut ideo HENRICUS ab HEER medico, se plusquam milies vidisse catalepticos jactanti, responderit: *O te infelicem, non puto fuisse mille catalepticos, ex quo morborum terris incubuit cohors.* Quotquot tamen legeris de hoc morbo in libris Medicorum sparsim obvias observationes, invenies illum hyemali potissimum tempestate, & sub frigore intensissimo homines invadere. Quemadmodum enim frigus generatim nervoso generi est inimicum, & ad producendos morbos spasmodicos admodum opportunum: ita vero quoque simillimum est, in nostro morbo nervorum fibrillas ad concipiendam spasmodicam conductionem frigore reddi aprissimas; eo magis, cum solo horrendo frigore prodigiosum hoc malum excitari, plurimae testantur observationes. Corripuit equidem miseros per intervalla, & paroxysmos, qui saepius per aliquot horas durant, & juvenem quendam, cujus meminit FORESTUS Lib. X. obs. 42. pag. 369. per tres integros dies detinuerunt. Rara quaedam praecedunt notae, mali adventum praenunciantes; nisi quod sacerdotes quidam, de quo FORESTUS loc. cit. agit, obtusum antea in posteriorem capitis parte senserit dolorem; & monacho, cujus casum recenset HENRICUS ab HEER obs. III. pag. 43. ante invasionem mali, collum ruerit.

§. IV.

Plerumque subito invadunt paroxysmi, & sic se habent: In quocunque situ fuerint agri, in eodem simul

Historia catalepticos.

An differat a Catochom.

Differetia catalepticos a tetano.

Paroxysmi tumores faciei.

ac semel manent rigidi ac immoti; sedentes sedent, stantes stant, cubantes cubant; si clausi fuerint oculi, clausi manent; cum vero malum de die plerumque accedit, oculi tenentur aperti, irretiti, in unum locum fixi, ac si Medusæ caput intuerentur; & licet illos sudario perstrinxeris, inconvalescentes manent. Interim loco moveri, & artus flecti possunt; sed quocunque inflectantur, illic immoti persistunt; impulsu progrediuntur; & puer, quem ex FERNELIO allegat FORESTUS *Lib. X. obs. 42. Schol.* e lectulo sublatus consistebat. Neque vero ullus adest sensus, nec vident licet apertis oculis, nec audiunt, nec gravissime compuncti sentiunt. Nihil tamen minus actus automatici legitime succedunt; pulsus fertur naturalis, spiratio facilis, & adnotante FORESTO *loc. cit.* quidquid intruseris ori, devoratur. Sæpius abdomen, ac costæ inferiores convelluntur, testantibus eodem FORESTO, SYLVIO, PLATERO & DOLÉO *Encyclop. med. pag. 6.* Hinc alvus simul est adstrictissima, ut nec tenuissima intrudiqueat fistula, observante HENRICO ab HEER *obs. 3. pag. 39.* Color faciei manet floridus, juxta NICOL. PISONEM *Lib. I. Cap. 13. pag. 93.* Tandem inter alta suspiria ad se redeunt; tumque mira, quæ audiverint ac viderint, instar ecstaticorum, narrant. Extra paroxysmum plerumque a cibis vel plane abstinere, vel saltem pauca comedunt.

§. V.

Subje- Huic malo, præsertim cum ecstasi
ta ca- conjuncto scemina præ viris deprehen-
ale- duntur obnoxie, attestantibus BO-
P. RELLO *Cap. XI. histor. 54. & Mar-
co Marci in Philos. rest. pag. 397.* Pos-
sident enim illa fibras molliores, tene-
riores ac sensibiliores, quarum ratio-
ne non solum ad suscipiendos generis
nervosi motus inordinatos admodum
proclives sunt; verum etiam ad im-
pressiones ac passiones animi fortiores
solvendas, & morbos ex corrupta phan-

tasia subortos perquam opportuna exi-
stunt. Deinde vero si sit temperamen-
tum melancholicum, & ubi vis ima-
ginationis excelsit, facillime suboritur
hic morbus; præsertim si juxta NI-
COLAUM PISONEM *loc. cit.* & ipsam experientiam, victus frigidior,
tempus anni, & regio ad frigidam con-
stitutionem prompta accesserint. Et de-
nique adhuc notari meretur, quod in
hoc morbo peremptis vasa, quæ in basi
cerebri ad synciput tendunt, sanguine
crasso turgida, ac posterior cerebri pars
serosa colluvie imbuta reperiantur.
HENRICUS ab HEER *obs. 3. pag. 45.* in tali subjecto cerebrum in ante-
riori parte durum, in basi mollius ac
humidius; nervorum vero origines
siccissimas & solito graciliores depre-
hendit.

§. VI.

Tradita hac catalepticos historia; ad
causam ipsius, atque formalem ratio-
nem indagandam progrediemur. Hanc
in posteriori capitis parte hæere, non
modo defunctorum sectiones, atque
dolores in posteriori capite ac nucha,
paroxysmos nonnunquam anteceden-
tes testantur; verum etiam omnes una-
nimi ore adfirmant Medici. Verum
in pressius determinanda symptoma-
tum causa, in varias, minus claras
abierunt opiniones. Plurimi spiritus
animales adeo fixari ac concentrari af-
ferunt, ut in motu suo præpediantur;
quod de hisce corporibus subtilissimis
ac penetrantissimis nullo modo concipi
potest. SYLVIVS PRAX. *Lib. 2. pag. 474.* experimento chemico, quo
spiritus urinæ volatilis confusus cum
spiritu vini rectificatissimo in coagu-
lum spissius concrevit, persuasus, cre-
dit in catalepsi spiritus animales, qui
ad indolem spiritus vini rectificatissimi
accederent, a spiritu volatili urinoso,
præternaturaliter in corpore genito
congelari, ut immobiles maneant.
Verum falsa subest applicatio, & fal-
lacia non causæ ut causæ. Namque
primum tantum adest, ut spiritus ani-
males ejusdem cum spiritu vini sint na-
turæ

Sente-
tiæ Me-
dicorum
de causâ
catalep-
ticos.

zuræ, ut potius hic in quantitate assumptus, narcosin inducat. Deinde in allegato experimento spiritus vini neutiquam coagulatur, sed sal volatile, quod in spiritu urinæ, qui nihil aliud est, nisi sal volatile in proprio suo phlegmate solutum, continetur, affusione spiritus vini rectificati precipitatur.

§. VII.

Causa
catalepticos
proxima.

Nos potius causam catalepticos in denegato liquidi tenuissimi in nervos ad motus voluntarios ac sensus destinatos influxu, qui e contrario in nervos actibus vitalibus & automaticis intervenientes naturalis, quin ex parte impetuosior est, collocamus: at quomodo ille intercipiatur, jam dispiciendum est. Quod si ergo perpendamus, omnes totius corporis sensationes, omnesque functiones animales in catalepticis penitus cessare, vero est simillimum, fluidi nervosi influxum in eo potissimum loco intercipi debere, ex quo omnes nervorum nostrorum fibræ principium suum, ac primam originem trahunt. Hic locus audit sensorium commune, & ille est, in quo primariam quoque animæ sedem, nos collocare oportet. Quamvis enim illa, tanquam substantia immaterialis, non bene includi queat loco: attamen cum certissimum sit, spiritum hunc immortalem arctissimum cum corpore fovere commercium, & magnum in sensus & functiones, quæ dicuntur animales, habere directorium; necesse est, ut ipsi ratione operationum, quas beneficio fluidi tenuissimi, modo nobis incomprehensibili edit, certum utique adligemus spatium, ex quo omnes, quæ in fibris fiunt, mutationes sentiat, & actionibus, quæ ipsius voluntati subjacent, commodè fungatur.

§. VIII.

Sensorii
communis
descriptio.

Commune vero sensorium nec juxta **CARTESII** in glandula pineali; nec ad mentem **LANCISII** *dissert. de sede animæ cogitantis* in corpore cerebri calloso; sed cum Anatomicorum accuratioribus ac recentioribus, in medulla

oblongata, atque ea, quæ basin cerebri constituit, collocamus. Exinde enim egressi cales nervosi tunicam extimam a pia meninge copiosissimis vasis intertexta, ac medullares cerebri tractus ambiente, mutantur, & sic ad totius corporis partes, sensui motuique voluntario inservituri abeunt. In hacce vero fistulas nerveas, fluidum subtilissimum, cum sanguine per arterias carotides ac vertebrales ad caput delatum, resorpta a venosis vasis crudiori substantia, in parte cerebri corticali secretum, & denique per medullarem regionem vi quadam impellitur; ut hujus beneficio certas cogitationes sequantur certæ motuum in corpore determinationes; & vicissim certas corporis motiones excipiant certæ in anima ideæ.

§. IX.

Quemadmodum igitur dicto illo fluidi tenuissimi influxu recte, & proportionata quantitate se habente, omnes sensationes, & functiones animales vigent, debitoque peraguntur ordine, nosque tum sani vigilamus: ita si parior fuerit ille influxus, dormire dicimur, eoque plane intercepto, omni sensu ac motu voluntario destituimur. Omnis vero hujus influxus interceptio, vel fibrillarum nervearum paralyti, vel spasmodica constrictione fit: namque nervorum obstructionem, quam statuunt, neutiquam locum habere, jam in *Consult. ac Respons. Medic. Sect. 1. Casu XLIX.* demonstratum dedi. Enim vero in catalepsi paralyti fibrillarum nervearum ea non potest esse causa, quæ remotetur fluidi subtilissimi introitum in nervos; cum paroxysmi per intervalla recurrant, & sub iis facies sit rubicunda; quæ in morbis ejusmodi a causa paralytica inducitur, quorum mea sententia soporosi spectant affectus, longe aliter sese habent. Ergo in catalepsi fibrillarum nervearum, in sua origine, antequam piam matrem penetrant, spasmodica constrictio & causam denegati spirituum in nervos influxus, & hinc ulla

Quomodo in catalepsi influxus liquidi nervi intercepti.

quo.

quorum omnium symptomatum verum
& amplissimum juxta §. VII præ be
fundamentum.

§. X.

Ratio
sympto-
matum.

Hinc igitur omnes utique sensatio-
nes, omnesque animales functiones
cessant; cum autem in partibus his in-
servientibus nullus sit spasmus; ratio
patet, cur membra per se immota
flecti queant, ac quocunque illa flexe-
ris, ibidem vi movente carentia, im-
mota rursus quiescunt. Sed dum hæc
fiunt, vigent omnes motus, quos au-
tomaticos vocant. Namque constat ex
Anatomicis, quod sicuti nervi sensi-
bus, ac motibus voluntariis destinati
ex cerebri medullari substantia suam
trahunt originem; ita e contrario fun-
ctiones vitales, quæ animæ imperio
neutiquam subjacent, nervis ex me-
dullari ac inferiori cerebelli parte pro-
pullulantibus administrantur, testan-
te inter alia experimento a Clarissimo
VIEUSSENS *Neurograph. Lib. I. cap.*
XX. pag. 123. allegato. Jam vero in
catalepsi illas fibrillas, quæ ex cerebro
ortæ, nervos dant actibus voluntariis
inservientes, constringi diximus; at
illæ, quas cerebellum ad vitam conser-
vandam emittit, salvæ manent in sta-
tu naturali. Hinc pulsus cordis & arte-
riarum viget, facies rubet, respiratio
fertur naturalis &c. Interim cum flui-
di tenuissimi in organa sensui, & mo-
tui voluntario ministrantia denegatur
influxus: facile fit, ut illud majori co-
pia ac impetu, in partes actus vitales
perficientes ex cerebello impellatur.
Hinc pertinacissimæ, quæ alvum occu-
pat, constrictionis, motuumque ab-
dominis & pectoris convulsivorum ori
go petenda est.

§. XI.

Ecsta-
ticos dis-
quisitio.

Restat adhuc illud momentum expli-
candum, quo cataleptici sæpenumero
observantur ecstatici. Plerumque enim
finito paroxysmo narrant mira gaudia,
aut phantasmata tragica, visiones di-
vinas, consortium angelorum; quin
& futura prænunciare videntur, ac va-
tidicos se simulant. Tales memorabiles

casus passim observantur in Medicorum
scriptis. Conf. PAULLINIUS *Cent.*
IV. observ. 38. MARCELLUS DO-
NATUS *Cap. I. pag. 91. seqq.* AU-
GUSTINUS *de civitate Dei Lib. XIV.*
cap. 23. ACT. MEDIC. BEROL. *Dec.*
I. vol. II. pag. 62. A. N. C. *dec. III.*
anno 3. obs. 61. & Volum. I. obs. 250.
pag. 563. Neque vero in hisce cali-
bus diabolo vim quandam adscribere-
re; nec animarum e corpore ad alia
loca, quin plane cælum secessum sta-
tuere, nec alias præternaturales caus-
sas allegare necesse est; nec ad nos
pertinent ecstasies Paulli, sanctorum-
que; siquidem de illis dumtaxat lo-
quimur, quæ in morbois corporibus
fiunt. Et si tali ratione considere-
mus, subjecta catalepticos plerumque
esse melancholica, vi imaginatrice
fortiori gaudere, ac circa ideas sacras
de Deo, angelis, vita æterna tan-
tum non semper esse occupata; de-
inde, si experientia, ac exemplo in-
somniaiorum suffulti supponamus, ani-
mam, quo magis a perceptione ob-
jectorum externorum, ac motuum
vitalium exercitio seriatim, eo inten-
tius phantasiæ indulgere: firma se-
quitur conclusio, visiones ecstático-
rum catalepticorum non nisi effectus
esse intensioris phantasiæ: dum anima
a commercio rerum externarum va-
cua, præteritas rerum ideas repetit,
ex quibus inter se collatis etiam fie-
ri potest, ut futura prænunciet. Sed
revertamur ad causas medias, quæ
malo cataleptico excitando sunt op-
portunæ.

§. XII.

Eminet inter alias vitium humorum
crasorum, ac viscidorum, quos vete-
res dixerunt succos melancholicos; qui
in capite ac cerebro difficiliter progredien-
tes, & in hujus basi præsertim ac
pia meninge stagnantes, efficacissi-
mam constrictioni fibrillarum nervearum
suppeditant occasionem. Hinc
non tantum foemina hysterica, viri-
que hypochondriaci ac melancholici
præ aliis catalepsin patiuntur, verum

Causæ
catale-
pticos
media-
tæ sunt
humo-
res cras-
si, præ-
sertim
in commo-
ti.

etiam

etiam hoc morbo peremptorum sectio docet, vasa in posteriori cerebri parte crasso & coagulato sanguine repleta fuisse, ac in ipso cerebro extravasatam serosam hæsisse colluviem. *Conf. HOL- LERIIUS Lib. I. de morb. intern. & SCHENCKIUS Lib. 1. obs. 2.* Ex his quoque patet clarissime, quare consue- tas & ordinarias sanguinis excretiones suppressas, nonnunquam subsequatur catalepsi: vide *FONSECAM Lib. 2. Consult. 92.* Neque minus ratio patet, cur puer ille, cuius *AETIUS Tetra- bibl. 2. Sermon. 2. Cap. 4.* meminuit, per triduum congelatus, tandem effuso per nares copiosissimo sanguine, sta- tim convaluerit. Eo magis a spissis hu- moribus catalepticum suboriri poterit malum, si illorum vehemens expansio ac exæstuatio, & hinc enata fortior vasorum cerebri ac pia matris disten- sio accesserint. Unde concipi poterit, quomodo illud, ex febribus intermit- tentibus, incongrue suppressis ac vol-atilibus tractatis, juxta *DODONÆ- UM obs. med. 44.* ex nimia vini gene-rosi ingurgitatione, teste *PLATERO Lib. 1. fol. 27.* ex ebrietate ac nimia iracundia, notante *DOLÆO in ency- clop. medic. pag. 96.* prognatum fuit. Nec silentio denique prætermitti de- bent vermes, ac lumbrici intestinorum; qui sicuti gravissimis morbis, ita & cataleptico ansam præbere possunt, te-stante observatione a *MARCELLO DONATO Lib. II. Cap. VII. pag. 186.* recensita.

§. XIII.

Præterea ingens debetur animadver- sio gravioribus animi pathematibus, quibus constrictionem fibrillarum in cerebro nervearum, cum subsequente catalepsi, excitari pariter ac relaxari, in scriptorum monumentis passim re- latum legimus. *TULPIUS Lib. I. obs. cap. 21.* juvenem quendam ex inopina- to matrimonii repudio catalepticum factum, & illo promisso restitutum al- legat. *RONDELETIUS Lib. I. pag. 20.* casum refert de puella, viro, quem inligniter oderat, nupta, quæ ex mœ-

Hoff. Syst. Tom. VI,

rore hunc morbum incidit, ejusque paroxysmis, quotiescunque maritum vel vidisset, vel de eo audivisset, vel etiam cogitasset, protinus correpta fuit. *HENRICUS ab HEER observ. 3.* recenset catalepsi, quam vir qui- dam melancholicus, ex nimio mœro- re toleraverat. Idem malum, nimiam quoque mentis intentionem, ac pro- fundas fixasque meditationes, præser- tim si temperamentum frigidum, aliæ- que occasionales causæ accesserint, ex- cipere, probatissimorum medicorum documentis confirmatum habemus. Quales casus reperies in *GALENO Comm. in HIPPOCR. 2. cap. 56. ZA- CUTO LUSITANO Lib. 1. hisler. 42. FERNÉLIO in pathol. Lib. V. cap. 2.* Multo magis ad nostrum affectum, cum ecstasi complicatum, meditatio- nes sacræ profundiores contribunt; imprimis si spiritualis de commissis peccatis supervenerit tristitia. *Conf. SENNERTUS in praxi pag. 598. HERFELT tr. philos. hominis pag. 183. AUGUSTINUS de civitat. Dei L. 14. c. 24. GEIERI præfat. tractat. Liebe Gottes und des Nächsten.*

§. XIV.

Referri quoque ad catalepticos me- rentur, qui nimio atque horrendo fri- gore percelluntur ac veluti congelan- tor. Ratio hæc est: Frigus vim habet externum corporis habitum, quem im- mediate ambit, validissime constrin- gendi: quo constricto, humores ad in- teriora majori copia compelluntur, in capite præsertim cumulantur, in vasis cerebri stagnant, hæc distendunt, & hinc fibrarum nervearum ex cerebro prodeuntium stricturam, catalepticos cum omnium sensationum abolitione stipatæ originem causantur. Conti- nuante frigore intensissimo, & hinc durantibus jam recensitis illius in cor- pus effectibus, tandem fit sanguinis aut seri in capite extravasatio; quæ sæ- pius comprimitur cerebellum, ut nec in organa vitalia influere queat tenuis- simum fluidum, & inde demum mors sequitur. Quales tristissimi

Catale-
ptis ex
frigore
horrean-
do.

E casus,

Animi
pathema-
ta.

casus, sicuti quotidie contingunt, ita præsertim a FORESTO *Lib. X. obs. XII.* copiosissimi describuntur: ubi sub hyemis asperibus stantes mortui sunt reperti; alii equis insidentes, ac habenas in manibus adhuc habentes, congelati ex equis sublatis sunt, quin & ipsi tandem equi immoti perierunt,

§. XV.

Causæ
occasionales
catalepticos.

Quod si perscrutemur causas, quæ paroxysmos catalepticos revocare solent, occasionales; has inter principem locum sibi vindicant graviores animi commotiones, ira, terror, gaudium, metus, contristatio. Pertinent huc quoque objectorum ingratorum visiones: vid. casus §. XIII. ex RONDELETIO allegatus. Quosdam ex verborum quorundam recitatione, aut psalmodiarum cantu congelari, scriptores perhibent; & ego ægram vidi, quæ auditis verbis, ardentissimum Christi amorem exprimentibus, distendebatur; quemadmodum Presbyter ille, cujus morbum recenset AUGUSTINUS loc. cit. ad prolatas lamentantium voces, suo prehensus est paroxysmo. Non minus ad hujus mali generationem contribuunt frigidus aer, habitatio in locis altis, montosis, frigidis, tempus anni hyemale, ac victus crassus; annotante NICOLAOPISONE *L. 1. C. XIII.*

§. XVI.

Prognosis.

Quod tandem attinet prognosin catalepticos; ea si fuerit ab animi passionibus, aut profundis meditationibus orta, non adeo grave, ac subito lethiferum minatur periculum. Contra vero, quæ a sanguine crasso, viscido, impuro, ac excretionibus sanguineis suppressis fovetur, gravissimum metum incutit. Namque vel in melancholiam definit, sicuti observat NICOLAUS PISO loc. cit. par. 93. vel commutatur in morbum comitalem, uti MARCELLUS DONATUS *Cap. VIII. pag. 186. ex Benivenio allegat;* vel denique in mortiferam subito terminatur apoplexiam, vitamque tol-

lit. Nec levioris momenti est congelatio, quæ a frigore inducitur; nisi enim tempestivæ ferantur suppetiæ, mors sequitur repentina.

CURATIO.

§. I.

Quod attinet spinosi nostri mali curationem; illa duabus potissimum absolvitur indicationibus; quarum est prima, ut spasmodicam, qua fibrillæ nervæ in cerebro detinentur, stricturam relaxemus; altera, ut causas materiales sive mediatas, quæ ad dictam constrictionem inducendam contribuerunt, decenter removeamus. Quemadmodum priori indicationi in ipso maxime paroxysmo satisfieri oportet; ita posteriorem potius extra paroxysmum impetrare licet.

§. II.

Intra ipsum paroxysmum, præsertim si gravior fuerit, parum quidem medicamentis perficere possumus: neque tamen minus omni studio eo respiciendum est, ut excitemus ægros, qui vigilantes dormiunt, & spasmodicas stricturas demulceamus. Quo fine naribus adplicari debent vel spiritus urinosi volatiles, vel acida penetrantiora, veluti acetum vini, rutaceum forte, aut spiritus crystallorum veneris, qui nihil est, quam concentratus aceti destillati spiritus: hæc enim acida longe penetrantioris efficaciz sunt, quam ullum sal volatile. Neque etiam alienum erit, olea costæ, nervina ac antispasmodica, nuchæ ac posteriori capitis regioni, detonsis præsertim capillis adplicare; quod remedii genus a FORESTO *Lib. X. obs. 42.* commendatur. Non minus clysteres potentiores, si anus non adeo clausa fuerit, ut nihil admittat, infundere licet: ac denique, præsertim si malum a nimia sanguinis mole, ac raptu versus caput inductum, faciesque venis sanguine valde infarctis turgida fuerit, in ipso paroxysmo narium scarificatio, aut

Indica-
siones
curator-
um.

Quid in
paroxysmo
cataleptico
agendum

styli dentati intrusio, eoque facta vel-
licatio, donec sanguis effluat, insignif-
ficam pollicetur opem.

§. III.

Catale-
pseos a
melan-
choliae
suavis
soboria
curatio.
Plura in ipsis paroxysmis tentare
haud licet; sed his finitis causarum
materialium ac mediarum remotio-
nem, quantum fieri potest, moliri
convenit. Quod si igitur rarissimus no-
ster affectus a melancholia, eaque hy-
pochondriaca, vel hysterica, uti sa-
pissime fit, suam traxerit originem,
ubi spissi ac viscosi humores in vasis ce-
rebrii stagnant, ac difficiliter progredi-
untur: ea in usum ducere oportet re-
mediorum genera, quæ huic morbo
expugnando, sanguinique spisso atte-
nuando, & æquali circulo restituendo
sunt idonea. Ad eorum classem præ-
ter clysteres & blanda laxantia, venæ-
sectiones debito tempore administran-
das, motum quoque ac exercitationem
corporis, ac rectum rerum non natu-
ralium usum, referri merentur, &
palmas obtinent pediluvia, balnea,
& potus aquarum mineralium; vel
etiam loco harum cura cum sero la-
ctis & sale Sedlicensi instituenda; non
omissis illis, quæ tonum partium so-
lidarum labefactatum roborandi fa-
cultate gaudent.

§. IV.

Excre-
niones
sanguis
neque sup-
pressæ
sunt re-
vocandæ.
Quando manifesta malum sustenta-
verit plethora; aut plane excretiones
sanguineæ vel naturales, quæ per ute-
rum aut venas sedales fiunt, suppressæ,
vel artificiales consuetæ per ve-
næsectionem aut scarificationem ne-
glectæ ac intermissæ fuerint: has ex-
tra paroxysmum revocare, aut sal-
tem nimiam humorum molem mis-
sione sanguinis evacuare oportet. Quo
fine sectio venæ in pedibus commen-
dari meretur; postquam, si admo-
dum ingens fuerit cruoris abundan-
tia, & apoplexiæ metus sit, in ipso
paroxysmo venæ narium, stylo in-
truso, simul aperiendæ. Si corpus
magis laxum ac spongiosum exstite-
rit, scarificationes substitui possunt;
aut denique, si proclivitas ad fluxum

hæmorrhoidalem sentiatur, signifi-
cantibus eam doloribus ossis sacri, ac
intestini recti, aut ille suppressus ma-
lum foverit: bene monente NICO-
LAO PISONE *Lib. I. cap. 13. pag.*
94. illius revocatio tentanda est; quo
scopo ano probe fomentato, hirudi-
nes adplicare convenit.

§. V.

Si vermium sit suspicio, anthelmin-
tica locum inveniunt. Sed ex horum
classe ea, quæ acri ac intestina jam
irritata magis vellicante vi pollent,
veluti sunt acriora purgantia, vitrio-
lacea, acida, mercurialia, aloetica,
multo magis, quæ venereæ existunt
profapiæ, cane pejus & angue sunt fu-
gienda. Præstat potius pilulas, quæ
specificæ minus acriæ erodentia conti-
nent, ut extractum tanaceti, semen
cynæ, rhabarbarum, myrrham, asam
foetidam cum panchymagogo Crolii,
æquali potatione commixta, propinare;
quæ præstantissimi sunt effectus.

§. VI.

Quandocunque causa passionis cata-
lepticæ, maximam partem in anima,
vel gravioribus pathematibus commo-
ta, vel fixioribus ideis & meditationi-
bus intenta, vel plane conscientia tor-
mentis agitata residet: parum auxilii
spondent pharmaca. Medico nihil am-
plius incumbere videtur, quam ut
causas materiales, si præsto fuerint,
ac simul concurrerint, congruis sub-
diis remove annitatur. Cæterum eo
ad laborandum erit, ut anima ab an-
xiis ac tristibus ideis, quæ instar carni-
ficinæ, ac crudelis tormenti corporis
sint, per jucunda cum amicis commer-
cia depellantur; neque otio ac quieti,
quæ profundarum cogitationum mater
est, nimium indulgeatur. Nec quo-
que præstantius subsidium est aeris
mutatione; qua sola pertinacissimum
hoc malum vidi curatum.

§. VII.

Qui frigore sunt congelati, & adhuc
quidam vitæ exhibent notas, ad lo-
ca tepidiora deportentur necesse est.
Ea tamen caveantur, ne sint iusto ca-
lidio-

Catale-
pseos ex
vermi-
bus cu-
ratio.

Catale-
pseos ex
animæ
vitiis
produ-
ctæ ra-
tiō.

Frigore
conge-
latores
refectio-
rio.

lidiora; ne sanguis ad interiora compulsum uno impetu exaestuetur, ac ideo extravasationem subeat. Consultum quoque tali in casu est, blandis frictionibus corpus fovere, ut externæ partes, quæ contractæ sunt, relaxentur, inque eas humores denuo invitentur. Tum excitatis illis personis, pedes in pediluvia imponere licet tepidissima: quæ partim cutim relaxandi, partim æquabilem humorum circuitum restituendi, vim habent excellentissimam: neque minus vires prostratæ cordialibus remediis, ac vini generosi haustu, refocillandæ erunt.

Cautelæ ac monita Practica.

§. I.

Cautela circa volatiliū ac aciditatem in paroxysmo.

NOtari probe meretur, in paroxysmo fugienda esse salia volatilia oleosa, balsama apoplectica validiora, & calidiora liquida; si malum catalepticum ab humorum nimio orgasmo, expansione ac stagnatione fuerit subortum; tum enim sanguis magis commovetur, & metus est, ne extravasatio & apoplexia plane superveniat. Consultius est in tali casu acidis fortioribus uti, & externe olea ac balsama nervina, anodyna, ac antispasmodica illinire. Quod si vero spasmatica fibrillarem cerebri contractio, ab animi pathematibus, metu, tristitia, aut fixioribus meditationibus inducta subsit: tunc salia volatilia oleosa & interno & externo usu juvant.

§. II.

Cautela circa narium scarificationem.

Sicuti in omnibus capitis gravioribus affectibus, qui a sanguine copioso, valde commoto, ac largius ad caput rapto suboriuntur; uti sunt cephalalgia, deliria, convulsiones, epilepsia &c. ita quoque in affectu nostro cataleptico, si talem agnoverit causam, præstantissima est sanguinis, intruso naribus stylo facta detractio. Neque vero veteribus ignota fuit hæc operatio; & digna sunt verba ARETÆI, quæ *Lib. VII. pag. 124.* existant, ut

hic allegentur. Namque *neceffe est*, inquit, in allegatis nimirum calibus, ut sanguis e nasi interioribus detrahatur: intro enim perlongum instrumentum immittitur, quod CATEIADION vocant, aut illud, cui STORYNE nomen est; aut si quis horum copiam non habuerit, penna anserina caulem crassiores sumere debet, ejusque nervosam partem denticulatim instar serræ incidere, atque sic intra nares usque ad ossa, quæ ethmoidea ob cribri similitudinem vocantur, immittere, deinde utramque manu agitare, quo locus a dentibus insculpat, ac vulneretur. Facilis est enim ac copiosus sanguinis cursus: nam venæ graviores in nares desinunt, corpora in hac parte mollia sunt, & sectioni habilia.

§. III.

Morbus catalepticus, si ab imaginatione sustentatur, spernit & eludit omnium remediorum opem. Peregrinatio vero ac aeris mutatio optimum spondent auxilium. Dicitur enim vix potest, quanta virtus & efficacia ad morbos nervosi generis & spirituum sanandos, insit peregrinationibus in loca præsertim, quæ salubri aere fruuntur, & qui secundum Celsi monitum contrarius est illi, qui morbum fecit. Aer enim est illud elementum præcipuum & tenuissimum, quod portione sua elastica ætherea cum sanguine & succo lymphatico mixta & sensum & motum motricibus solidis partibus præstat, & secundum Galenum divini quid in se habet in morbis. Præter ea peregrinatio id quoque habet beneficii, quod ideæ consuetæ, quæ mentem turbant, subtrahantur, & jucundioribus anima assueat. Quin ipso temporis beneficio sponte debellari hoc malum, haud raro observatur; siquidem progrediente ætate & fibræ nervæ sunt robustiores, & anima constantior reditur.

§. IV.

Quod præsevationem attinet; ea præstare obtinebitur, si causæ occasionales, variae ad

Ufus aeris mutationis.

ad

ad hoc malum contribuentes probe fugiantur. Et cum has inter frigus insignem efficaciam obtinet, omni studio illud arcere oportet; atque etiam, si rationes domesticæ permiserint, ex habitationibus frigidis, montosisque, ad loca, ubi benignius cœlum est, discedere. Victus sit conveniens, inque eo fugiantur cibi acidi, ac qui frigus quoddam ventriculo inferunt. Evitentur solitudines, ac seligantur grata confortia, quibus anima a curis, mœoribus ac meditationibus sit vacua. Maximopere versus hyemale tempus probe observetur, ne relinquatur materiales in corpore causæ, quæ malum illud inducere valent: quo fine & primæ viæ a fordibus serventur liberæ, & sanguinis copia, congruis illius missionibus, nec non frequenti corporis exercitatione, imminuatur.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

Catalepticus affectus ex veribus, & vitio hysterico progeneratus.

DUODECIM annorum puella, temperamenti sanguineo-melancholici, ingenii admodum vegeti ac vivacis, novem abhinc mensibus prima vice uterinæ evacuationis onus subiit. Elapsis inde quatuor hebdomadibus, cum instaret menstrua periodus, multa edulia saccharo condita, cyminique semen, quod semper in delitiis habuerat, ingurgitavit, & brevi post ingentia imi ventris tormina percepit. Datis ergo laxantibus, & anthelminticis remediis, infusisque ano clysteribus, lumbricus per alvum reddebatur longissimus: menses vero hoc tempore silebant, quamvis circa lumbos & ipsum uterum atroces sævissent dolores. Hinc succedebant convulsivi ac epileptici motus, cum delirio furoreque quasi uterino juncti; & frustra misso ex vena in pede tusa sanguine, frustra quoque datis remediis antispasmodicis, uterinis, anthelminticis, carminativis &c. per quinque septimanarum decursum pertinaciter inhærebant. Pa-

Hoff. Syst. Tom. VI.

roxysmi tam variis modis, tamque mirandis symptomatibus, tristem ludebant scenam, ut vix describi queant. Mox enim inter deliramenta, singultus, ac graves septi transversæ concussiones, totum corpus e lecto in altum elevabatur: & remittebant convulsiones, relictis corporis languoribus, ac præcordiorum doloribus. Mox sub deliriis convulsivi motus artus duntaxat misere torquebant; ut omnes manuum pedumque digiti incurvarentur, pollex vero ac medius digitus rigidus extenderetur; deinde brachia retrorsum traheret, iisque caput percuteret; tum eadem antrorsum vi quadam raperet, ac pectori validissime allideret. Mox inter has violentas agitationes mentis compos videbatur, sacrosque cantus cum summa devotione per satis longum tempus modulabatur. Tandem accedebat catalepsi, quam vocant, ecstatica; dum per aliquot horas lecto affixa mansit rigida, & nulla arte excitari potuit, oculis apertis, vultuque amœno, ac si de quadam re gauderet, decumbens. Postquam ad se rediit, narravit jucundissimas visiones de Deo, angelis, cœlo, vita æterna; atque vaticinam se gessit. Ceterum per quinque fere hebdomades ciborum nihil plane assumsit, præter gelatinam cornu cervi, novissimistantummodo diebus forbillatam; cerevisiam vero ac vinum quotidie, sed parca quantitate potavit; & quod notabile est, singulis diebus copiosa ac valde dura alvo reddidit stercora. Vultus colore gaudebat floridissimo, qui nec sub ipsis animæ defectionibus, quas crebro patitur, expallescebat, sed roseus manebat. Pulsus ferebatur naturali similis; nec urina, præter largum sedimentum, mingebatur præternaturalis. Noctes, nisi tranquille somno, attamen ab omnibus symptomatibus vacuas transigit; ac omne tempus piis meditationibus, & sub insigni mentis requie consumit.

E 3

Epi

Epicrisis.

Duplicis generis causæ hunc portentosum ac mirabilem sustentaverunt affectum: nimirum partim lumbrici in canale intestinorum hospitantes; partim sanguis in vasis uterinis, ob mensum defectum stagnans, atque corruptus. Hinc non sane mirum, si symptomata fuerint eo graviora, ac atrociora, cum a duabus causis, quarum quævis sola tali morbo inducendo sufficit, sint excitata. Quamobrem in mali hujus curatione, ad hanc duplicem causam directa fuit medendi intentio: præter enim temperatiora, simul tamen efficaciora, anthelmintica, exhibenda curavi congrua antihysterica, ut eorum virtute liber sanguinis per uteri vasa circuitus, ejusque superflui per menstruum periodum excretio faciliteretur. Fuerunt ex horum numero pilulæ balsamicæ, ad ductum Becherianarum concinnatæ, cum aliquot granis extracti croci, atque castorei maritatæ, & alternis diebus, maxime circa tempus menstruum propinatæ, mane desuper sorbillato infuso, ex herba melissæ, artemisiæ, floribus cheiri, ac chamæmeli vulgaris. Jussimus præterea ante horum remedium usum, ad relaxandos intestinorum spasmos, durasque fæces emolliendas, ano injici enemata, quæ plurimum olei cocti habebant. Denique præter alia antispasmodica, motum corporis per deambulationem, ac unctionem in curru sub aere sereno commendavimus: quibus factum est, ut ægra perfectam recuperasset sanitatem.

OBSERVATIO III.

Catalepsi ex
fixiori-
bus me-
ditatio-
nibus.

Persona sequioris sexus vix excedens annum ætatis vigesimum quartum, conditionis vilioris, rudioris minusque exculti ingenii, aliquando in templo tempore brumali, attentius hauriens sacrum verbum de vera contritio-

ne, ac intimiore cordis inversione, de peccatorum abominanda ac detestanda coram Deo justissimo indole, summo mentis angore afficiebatur; inque dies & horas meditationibus istis anxiiis sacris macerata, mœstissimo semper incedebat vultu. Elapsis abhinc quatuordecim diebus accidit, ut ipsa, audita in templo concione, omni penitus sensu ac motu ex improvviso privaretur: & finito cultu divino, instar statuæ immobilioris, oculis apertis, & cœlo affixis, omnem excitationem eludens, reperiretur. Tandem post horæ spatium sua sponte, emissis aliquot suspiriis ad se redibat, sensumque cum motu recipiebat. Examinata respondebat, se nihil sensisse, vel audivisse, bene habere, & quasi altissimo somno sepultam jucundissimas habuisse speculationes, ac contemplationes sui Salvatoris. Hunc accessum, plus centum vicibus intra quadraginta dierum spatium experta est, interdum mitiorem, & brevioram, interdum longiorem & graviores, semper tamen talem, ut omnis tentata excitatio, per fortissimos spiritus volatiles, oculis ac naribus admotos, frictiones, atque punctiones, elusa fuerit, ac frustranea. Ipso in paroxysmo pulsus fuit naturali similis, & respiratio salva, ac integra, præter quod circa declinationem, nonnunquam fortissimas thoracis atque abdominis concussiones, & elevationes, cum palpitante cordis motu toleraverit: quæ tamen simul ac sensus & motus rediit, statim expirarunt, ægra de nullo dolore vel molestia amplius conquerente: vires etiam post paroxysmum ita sæpissime constabant, ut consueta sua munia subire potuerit, totum corpus calore ac colore naturali erat perfusum; excreta omnia se bene habebant, nec mentes sui officii obliviscebantur. Attamen per quatuordecim ferme dies ab omni cibo, potuque abstinebat; & quotiescunque exorata aliquid accipiebat, summa præcordiorum anxietate, cum meru suffocationis juncta infestabatur, somnoque fruebatur.

tur pareissimo. Et quod notatu erat dignissimum, hi paroxysmi fere semper invadebant post auditam psalmodiam, aut verba ex divino codice potissimum prolata, quæ ardentissimum Christi exprimebant amorem. In tali casu in usum vocabantur multa, varique remediorum genera, alias generosissima, venæsectiones, topica, quæcunque excitantia: sed cuncta eludebat pertinacissimus affectus; donec tandem, mutato aere, ægraque ad alia loca peregrinante, sponte sensim evanuerit.

Epicrisis.

Insignissimum catalepseos ecstasice exemplar notabilis hic sistit casus. Nullam iste causam materialem habuisse videtur; sed a solis, pertinaciter animæ infixis ideis originem traxit. Hinc eleganter pariter ac perite Clarissimus MORHOFFIUS in *dissert. de paradoxis sensuum* scribit: *Mirabile præ cæteris, quod tamen vulgatissimum, posse ex auditu verborum, ac orationis elaborata homines duci, & quasi extra se rapi.* Atque eo majorem homines efficiendi possidet efficaciam verbum divinum; ut, si nostri instituti ratio exigeret, dictum PAULLINUM, quod in *Epistul. ad Hebræos* Cap. IV. v. 12. *exstat*, hoc nostro casu, egregie illustrare possemus. Quod nulla præsto fuerit causa materialis, vel exinde patet, quod paroxysmi, excitatis per psalmodiæ cujusdam aut verborum sacrorum sonitum ideis revocati fuerint; ac præterea ægrotans omnibus functionibus, quas vitales vocant, absque ulla labe gavisa sit. Quod attinet convulsivas nonnullarum partium in ipso paroxysmo agitationes; illæ fluidi tenuissimi impetuosiori ex cerebello, in organa vitalia influxui, qui illius ob denegatum in partes, sensui, motuique voluntario inservientes, introitum, abundantia debetur, originem suam petierunt. Ratio dejectæ ciborum adpetentiæ, facile etiam pote-

rit suppeditari; si ex experientia repetatur, illos, qui meditationibus suis intentius in objectum quoddam feruntur, passus oblivisci, ac cibos fere averfari. Tum vero, quo diutius a cibo abstinemus, eo magis perire adpetitum, præter multa documenta, vel ea historia testatur, quam DIEMER-BROECK in *sua anatom. pag. 38.* de semet ipso refert: se, postquam cum sociis per sesquidiem jejunasset, non amplius famem sensisse ad tertium usque diem. Hinc vero cognitu quoque facillimum, cur nulla materiali causa præsentem, nulla opem tulerint remedia; sed tandem mutatione aeris, ac ætatis sponte expiraverit spinosus affectus.

CAPUT V.

D E

AFFECTU SPASMODICO-
CONVULSIVO
EX UTERI VITIO, SIVE
MALO HYSTERICO.

THESES PATHOLOGICÆ.

S. I.

MOrbus ille, aut potius morborum cohors, quam per vocem affectionis hysterice interpretantur veteres, æquo, quin majori, quam ul-
lus alius affectus, jure, ad passiones generis nervosi spasmodico-convulsivas, & quidem universales, referri mere-
tur: siquidem nulla fere in tota machina animali nervosa, ac fibrosa pars est, quæ non plane effrenatis spasticis stric-
turis, & convulsionibus exagitetur, torqueatur, & gravissime distrahatur.
Hujus ergo ideam suppeditaturi, ipsum definimus, quod sit affectus generis nervosi spasmodico-convulsivus, ex utero a lymphæ & sanguinis in ejus
vasis retento vel corrupto proveniens, & per nervos ossis sacri, ac lumbares & totam medullam spinalem,
uni-

Defini-
tio ma-
li hy-
sterici.

universi corporis partes nervosas plus minus infestans.

§. II.

Histo-
ria mali
hysteri-
ci.

Perperam confunditur atrox hoc malum a plerisque nostri ævi medicis, cum sic dicto hypochondriaco; aut si forsan admittitur quædam differentia, ea solummodo sexum respicit, adeo ut passio hypochondriaca ad nobiliorem, hysterica ad molliorem restringatur, utriusque tamen indoles ac natura pro una, eademque habeatur. Quo vero pateat, longe aliam ac realem hoscæ affectus intercedere differentiam; operæ erit pretium, primo omnium veram morbi hysterici historiam præmittere. Hoc sine si veterum monumenta paullo perlustremus, & ex iis præsertim HIPPOCRATIS, ARETÆI, FERNELII, DURETI, MONTANI, BALLONII, HOLLERII, MERCURIALIS, JOHANNIS HEURNII scripta consulamus: in eo ad unum omnes convenire videntur, quod faucium strangulatio, intercepta ad suffocationem usque respiratio, animi defectio, vocis privatio, soporque profundus, vera, propria, & essentialia hujus morbi uterini signa, & symptomata habenda sint. In eo etiam plures concordēs deprehenduntur, ante mali hysterici invasionem, motum globi cujusdam e sede inferiore ad superiora ascendentis sentiri: unde etiam figmentum multis mulierculis familiare nascitur, quasi uterus versus superiora feratur.

§. III.

Parox-
ysmo-
rum de-
scriptio.

Hæc præcipua sunt quidem, quæ malum hystericum comitantur symptomata; sed ante eorum invasionem & postea longe alia & plura observantur, quæ successive in paroxysmo miseris invadunt, & nulli corporis regioni parcent. Nam quod caput attinet, frontis, temporum, vel etiam oculorum cum lacrymarum effusione, visus obnubilatione, dolorem pressorium, sensuumque & mentis torporem, omnium rerum tædio stuporem, ut plurimum præcedere adnotamus. Deinde

correptæ hoc malo plerumque alvum fortiter adstrictam, & compressam habent, ingentem quoque ad urinam, quæ clara instar aquæ mingitur, stimulum, neque minus anxiam & suppressam spirationem, atque universi corporis languorem experiuntur. Hisce postea gravis dolor lumborum, cum ingenti algore & horrore succedit; venter durus & inflatus est, postea umbilicus retrahitur, adeo ut fovea, cui includi aliquid potest, relinquatur; & tunc globum quandam ex inferiore ventre ad hypochondria & diaphragma ascendere persentiunt; mox cum tremore incipit palpitare, cum pulsu inæquali & duro, quandoque intermittente; extrema algescunt, fauces angustantur, ut fune veluti strangulatæ videantur; facies fit pallida, spiratio valde est difficilis, vox perit, arteriarum pulsationes vix amplius percipiuntur: tanta vero est ventris strictura, ut nec ullus status transmitti, nec propter ingentem resistentiam quicquam clysmatis admitti possit. In quibusdam tanta est mali vehementia, ut convulsivæ & capitis & artuum agitationes, cum vel sine pollicum conclusionē deprehendantur. Aliæ in profundo, sine ullo sensu & motu, sopore jacent; quibusdam facies cum collo a sanguine est inflammata, rubicunda, arteriæ fortiter pulsant: aliæ in risus immodicos solvantur, & restituta voce delira loquuntur.

§. IV.

Quandocunque vero paroxysmus remittit, & mitescere incipit, quod sæpius certa fit temporis periodo, tum pulsus, qui antea valde debilis, languidus, & absconditus erat, vegetior, mollior & erectior redditur, in partes extremas redit calor, facies contracta & pallida fit explicatior & rubicundior; erustationum per superiora impetus auditur, borborygmi & murmura in ventre oriuntur, & tandem e profundo quasi somno evigilantes, vocem, sensum & motum recipiunt; de dolore

Parox-
ysmo-
rum so-
lutio.

autem capitis gravativo, totius corporis & femorum ac pedum languore, & gravitate conqueruntur. Mirum certe videri potest, quod sæpe tam brevi tempore, ejusmodi pernicioſa, atque præſentem interitum minantia ſymptomata ceſſent, & intermittant; adeo, ut quæ pridie morituræ videbantur, nunc ſanitate integra frui ceſſeant. Accidit vero nonnunquam, ut perſeverantibus ſymptomatibus pro mortuis habitæ, ſepulchro deſtinatæ, imo ſepultæ fuerint: ſed mors in hystericis ſemper vel epileptico, vel apoplectico contingit inſultu.

§. V.

Differē-
tia mali
hysteri-
ci & hy-
pochon-
driaci.

Tradita hac pleniori ſæviſſimi hujus morbi hiſtoria, facilius erit, ejusdem a malo hypochondriaco docere differē-
rentiam. Quamvis enim horum affe-
ctuum ſymptomata, inter ſe ſimilia ac utrique valde communia deprehendan-
tur, teſtante utriusque hiſtoria, quæ ra-
tione poſterioris mali ſequenti capite
explicabitur: attamen plura adhuc re-
ſtant, quæ cuius propria, inſignem
illorum teſtantur diſcrepantiam. Nam-
que morbus hypochondriacus eſt lon-
giſſimus, atque diuturnam ſemper expo-
ſcit curationem: at hystERICA paſſione
gravida, puerperas, viduas, ſanguine
turgentes, poſt gravem animi motum,
vel virgines poſt repentinam fluxus
menſtrui ſuppreſſionem, ſæpenumero
graviffime infeſtari: ab ea tamen per re-
ctam medendi rationem ita vindicari,
ut nunquam revertatur, experientia do-
cemur. Hęc porro ſubito, vehementer, &
ex improviſo miſeras haud raro adori-
tur, ut omni ſenſu ac motu privata, re-
pente in terram concidant: quod in hy-
pochondriacis non animadvertitur. At-
que etiam peculiare illud hystericæ ha-
bent, quod maxima ſymptomatum ve-
hementia, ſi ſenſuū mentisq; functio in-
tercipitur, vel ſolo pennarum accenſarū
ſuffitu, naribus admoto celeriter dimi-
nui, quin & tolli poſſit. Præterea in pa-
roxysmis hystericis, muſculi abdominis
vi ſpasmorum introrſum contrahuntur,
& umbilicus profundius retrahitur:
cum in hypochondriacis venter potius

extrorſum diſtendatur. In illis regio
lumbaris acri ac incredibili frigore oc-
cupatur, ut manibus percipi, nec calefa-
ctis linteis temperari queat; ſæpius in-
gens inſtar clavi certæ in capitis vertice
regioni velut infixi dolor urget, quem
nomine clavi hystERICI inſignunt; & in
multis globi ex imo ventre adſcenſus
verſus ſuperiora percipitur: quæ cuncta a
malo hypochondriaco ſunt longe remo-
ta. Nec in hoc tam frequens animi deli-
quium, & tam ſubito ad ſuffocationem
uſque intercepta respiratio, cum fau-
cium tam forti ſtrangulatione, quam
quidem in hystERICA affectione observa-
tur. Et deniq; nulli unquam hypochon-
driaci pro mortuis, ac ſepulchro deſtina-
tis fuerunt habiti; uti quidem de hyste-
ricis fide dignæ teſtantur hiſtoriæ.

§. VI.

Differunt porro magni hi duo morbi
ratione cauſarum. Quemadmodum
enim mali hypochondriaci pernicialis
vis in membranaceo inteſtinorum, ven-
triculi, ac oſophagi canale poſſiſſimum,
per ſpasmus pariter ac ſtatus ſe exſerens
animadvertitur; & hi ſpalmi ſanguini,
ob denegatum per vaſculoſum hepar,
totumque ramificationum venæ portæ
ſyſtema, æquabilem circuitum, intra
tunicas inteſtinorum nerveas ſtagnanti
debentur: ita e contrario prima ſpaſ-
morum hystericorum origo in utero
quærenda eſt. Hinc ob arctiſſimum,
quo uterus cum veſica urinaria gaudet,
conſenſum, ſpalmi uterini ad veſicæ
ſphincterem propagantur, & hystericæ
ſub morbi acceſſione continuum ad ma-
tulam ſtimulum perſentiunt: quo hy-
pochondriacæ omnino carent. Ex hac
cauſarum diverſitate ſit etiam, ut quæ-
dam ſymptomata, quæ utrique morbo
convenientia videntur, in quovis pe-
culiarem agnoſcant cauſam. Sic ſpi-
ratio difficilis ſolicitat & hystericas, &
hypochondriacos; ſed in his ab in-
flato ventriculo, deſcenſum ſepti tranſ-
verſi impediēte; in illis vero magis
a vehementi muſculorum abdominis
contractione & compreſſione origi-
nem ducit. Tandem etiam alia mali
hy-

Differē-
tia ra-
tione
cauſa-
rum &
even-
tuum.

hypochondriaci, alia hysterici solutio, & alius quoque utriusque in morbos est transitus: namque illud frequentius in melancholiam, scorbutum, lentam febrem, morbumque sic dictum nigrum terminatur; hoc infeliciter saepius in epilepsiam, lethalem syncopen, furorem uterinum, ac acutam febrem transit. Ac denique in corporibus passione hypochondriaca defunctorum, imi ventris viscera, hepar, lien, pancreas indurata, scirrholae, ac corrupta plerumque offendentur: cum in hystericiis, uti infra pluribus trademus, vitium ac corruptela magis in utero atque ovariis deprehendatur. Et hæc sunt, quæ notabilem inter hos duos morbos intercedere differentiam, satis clare demonstrant: quæ eo plenius commemoranda duxi, quo major de ea error medicorum animis insidet.

§. VII.

Differe-
rentia
mali
hysteri-
ci.
1] a
syncope
pe.

2] ab
apople-
xia.

3] ab
epilep-
sia.

Sed restant adhuc morbi, a quibus probe discernere oportet passionem hysterica. Sic differt a syncope, in qua pulsus penitus cessat, facies est contracta, & moribundo similis, quæ in præfocatione uterina plerumque observatur colorata, tumida, sub pulsu languido: hæc quoque ad duos vel tres dies perdurare potest, quod de syncope dici nequit. Deinceps differt ab apoplexia, ubi sub sensuum & motuum voluntariorum abolitione, stertor cum ægerrima spiratione, & pulsum celeritate est; qui in hystericiis minime conspicitur. Differt porro ab epilepsia; quæ sicuti causam proximam in dura matre, & principio spinalis medullæ habet, ex qua spasmi ad universum corpus abeunt; ita hysterica passio in utero primam sedem agnoscit, ex quo spasmi ad medullam spinalem, totumque nervorum genus propagantur. Et symptomatum, quæ hunc utrumque morbum comitantur, differentiam nervose pariter ac eleganter describit CORNELIUS CESUS *Lib. IV. cap. XX.* dum: *Vulvæ morbus*, inquit, *interdum sic exanimat, ut tanquam comitiali morbo prosterneatur: distat ta-*

men hic casus in eo, quod neque oculi claudantur, nec spumæ profluant, nec nervi distendantur. Distat non minus a doloribus ex calculo: nam licet in utroque morbo multa inter se convenient symptomata; attamen in calculoso affectu deficit faucium strangulatio, animi defectio, respiratio valde intercepta, & quod affecti non a suaveolentibus tam graviter lædantur. Et quomodo denique hysterica passio a flatulentia primarum viarum discrepet, egregie docet BALLONIUS *Lib. de virginum morbis pag. 232.*

§. VIII.

Quod attinet mulieres, morbo hysterico præ aliis subjectas & obnoxias; notari meretur, non omnes, cujuscunque ætatis, temperamenti, ac vitæ instituti id genus morbi pati: sed præcipue virgines sensibilibioris & tenerioris naturæ, ante mensum primam eruptionem, viro maturas, item viduas juniores, & scæminas conjugatas, inprimis sanguinis & succi plenae, sine prole tamen viventes, neque minus molliter in otio educatas, texturæ tenerioris, & animi sensibilibioris, frequentius atque gravius illo divexari. Consentiunt in eo veteres medici, & GALENUS præcipue viduis, quæ utero purgari, parere, concubituque gaudere desierunt, hysterica passionem evenire testatur. Juxta FORESTUM *Lib. 28. obs. XXVIII.* mulieres virosæ, jamdiu continentes, aut virgines, sed venerem appetentes, corpulentæ, multo sanguine præditæ, victu calido, humido, & flatulento utentes, in otio viventes, cum ventris irritamentis, vino nempe generoso, multisque delicatis ferculis, venerem excitantibus fruentes, licet non suppressi sint menses, crebrius in hunc morbum incidunt: id quod etiam BALLONIUS *lib. cit.* & LEVINUS LEMNIUS *Lib. de occultis naturæ miraculis Cap. VI.* confirmant. Deinceps etiam, teste inter alios Aretæo, juvenes mullerculæ, quæ sunt sensibilibioris generis nervosi, texturæ tenerioris, &

4] a re-
num
calcu-
lo.

Subje-
cta ma-
li hy-
sterici.

ad

ad affectus animi proclives, præ iis, quæ robustæ, plebejæ, animi constantioris, & laboribus deditæ existunt, immanissimo hoc spasmodico morbo agitantur. Nec denique silentio prætermittendum est, feminas, quæ sanguineæ & cholericæ constitutionis, & ad impetuosas & præcípites animi commotiones pronæ sunt, sævas & violentas in partibus nervosis motiones experiri: illas autem, quæ phlegmaticam, & torpidiorem obtinuerunt naturam, non adeo impetuose convelli, sed potius in crebriora animi deliquia incidere; nullumque nec murmur, nec ventum vel afflatum, nec odorem suaviorum, nisi ægerrime ferre.

§. IX.

His præmissis, ad causas tam'diri affectus transeundum, & antea sedes morbi vel potius causæ morbificæ disquirenda est. Recentiorum medicorum quidam, hysterica ac hypochondriacam passionem pro uno morbo habentes, ut nominatim HIGHMORUS, SYLVIVS & SYDENHAM ventriculorum, pancreas, mesenterium, venam portæ, pro genuina sede perperam accusant. Minus recte etiam CAROLUS PISO in selectioribus observationibus præcipuam sedem in cerebro, vel potius nervorum principio collocavit: siquidem subiectum causæ morbificæ & mortis invicem confudit. Nos vero cum antiquissimis medicis, symptomatum hystericoꝝ primam originem ab utero, ejusque membrana nuda & vasculosa substantia & vasis ad illum spectantibus, in primis spermaticis petendam esse, firmiter persuasi sumus; quarum partium spasmodicæ constrictiones postea in nervos vicinos ossis sacri, & lumborum sese insinuant, & ob consentum totius medullæ spinæ nervæ menbranas gradatim occupant, a partibus inferioribus ad superiores sensim paulatimque se propagando. Quamobrem deprehendimus maxime in puerperis, quando hoc malo affliguntur, spasmos in officio uteri interno, immo in ipsa quoque vagina

incipere; quoniam hæ partes frigida, & arida fiunt, & derepente lochiorum, sive ichorosa materia effluxus sistitur, & alvus pertinacissime clauditur. Deinceps spasmi & dolores cum frigore lumbarem regionem petunt, & in abdominis musculos abeuntes, umbilici retractionem, cum imi ventris duritie junctam efficiunt; tum impetunt diaphragma, & intercostales nervos, ipsumque par vagum, & difficillimam, imo suffocativam spirationem, cum faucium strangulatione causantur; ubi postea intercepto sanguinis per cor circulo, ejus palpitatio, & animi deliquium, atque tandem sufflaminato sanguinis per cerebrum motu, sensum mentisque subsequuntur abolitiones. Ex quibus omnibus, rite invicem comparatis, non solum reliquorum omnium symptomatum ratio bene suppeditari poterit; verum etiam clarissime patebit, totum hystericum affectum, ad morbos spasmodico-convulsivos, qui universum nervorum systema occupant, summo jure esse referendum.

§. X.

Jam ergo causas mediatas ac materiales, quæ ad ingenerandum hoc dirum malum contribuunt, explicaturi; has duplicis potissimum generis esse, nimirum partim semen corruptum, partim cruorem menstruum in utero vitiatum, cum medicis tantum non omnibus statuimus. Utraque harum causarum digna est, ut cujusvis peculiaris, & exactior institatur disquisitio. Namque exquisitiori Anatomicorum solertia satis evictum est, in nobiliori quidem sexu peculiariter exstare organa, quæ testes vocantur, in quibus liquor subtilis spirituosus seminalis, ex sanguine per arterias spermaticas advecto lecernitur, & in certis loculamentis asservatur: in sexu vero lequiori ejusmodi organa secretoria non inveniri, sed ad latera uteri corpora quadam globosa, ex vasis sanguineis, membranis, & vesiculis contenta, quæ ovaria dicuntur, a provida

Causæ
materie
les pas-
sionis
hysteri-
cæ.

Morbi
hysteri-
ci sedes,
& causa
proxima.

natura esse posita, spermatica vero vasa innumeris ramificationibus ad uteri substantiam ferri. Quum ergo recentiores Physiologi vesiculas in ovario contentas, in quibus stupendæ ac infinitæ parvæ magnitudinis foetus, spiritu genituræ virilis explicandus ac fecundandus continetur, pro semine muliebri habeant; alium vero liquorem feminalem in hoc sexu plane denegent: dispiciendum jam erit, an & quomodo humor in ovulis contentus corrumpi, corruptusque causam diro nostro malo præbere possit.

§. XI.

Circa
puber-
tatis
annos
quæ cõ-
tingant
in ma-
china
huma-
na.

Quæ ut rite intelligantur; præmonenda duximus quædam momenta, & præsertim illas mutationes, quæ circa pubertatis annos corporibus humanis eveniunt. Observamus virgines circa decimum quartum ætatis annum coloratiores evadere, vultum fieri pulchriorem, mammaeque intumescere; maribus barbam crescere, vocem reddi magis sonoram, & universi corporis partes majus acquirere robur, atque vigorem: in utroque vero sexu stimulos ac desideria ad venerem excitari. Etenim sicut in maribus major sanguinis ad testes, pro fecernendo seminali liquore, atque etiam ad erigenda genitalia fit affluxus: ita in foemellis quoque circa pubertatis annos, major sanguinis copia ad uterum, & ejus vasa, ad ovum, si adest, fecundandum congeritur; & inde menstrui fluxus, si imprægnatio deficit, causa & origo petenda est. Sed idem ille copiosior ad loca uterina humorum affluxus, nos ducit ad considerationem mutui atque mirabilis illius consensus, quem animi desideria cum motu sanguinis vitali & naturali ad certa membra, præsertim generationi destinata habere conspiciuntur. Simulac enim major sanguinis circa pubertatem in utroque sexu ad organa generationi inservientia fit affluxus; statim etiam stimuli & desideria ad venerem ineundam suboriuntur: & vicissim, quando ideæ ab objectis externis venustis in animo desiderium

ad venerem accendunt; protinus ad genitalia major sanguinis & liquidi nervosi congestio insequitur.

§. XII.

Quando vero cunq̃ue copiosior humorum per vasa spermatica ad ovarium, ad uteri quoque fabricam, vel ob ætatis rationem, vel venereas cupiditates fit motus & affluxus: lymphæ nutritia ad dicta loca congeritur, ibidem stagnat, corrumpitur, causamque præbet malo hysterico. Hinc observamus, virgines circa pubertatis annos, foeminas ætate vegetas, viro orbas, veneris igne stimulas, calore multo, ac sanguine vegeto abundantes, dirissimo nostro malo vehementer agitari. Et notabilis est locus, quem ad illustrandum hoc assertum suggerit CHARLETON exercit. pathol. VII. & sic se habet: *Mulieres quædam acerbis copiosis spermatis igniculis prurientes, desiderio consuescendi cum viris in sæva hysterica pathemata incidunt; hinc tantus in virginibus juxta ac foemina salacioribus mali hysterici est proventus.* Quæ de causa etiam antiquiores medici permoti fuerunt, ut retentum semen pro principe nostri mali causa habuerint, omnemque medendi scopum eo direxerint, ut vel conjugium commendaverint, vel retento in utero semini variis modis exitum parare studuerint. Quales historias plures invenies in ZACUTO LUSITANO, ac PETRO FORESTO; & addunt finito paroxysmo ex relaxatis muliebribus copiosum humidum exstillasse liquorem. Conf. etiam GALENUS comment. in HIPPOCRATEM Lib. VI de locis affectis C. V.

§. XIII.

Duplici autem ratione fieri statui-
mus, ut humor sic dictus seminalis, vel sanguis, circa uterum nimium congestus, & ex diuturniori mora, atque stagnatione vitiatas tantas in universo corpore nervosarum partium turbas concitare possit. Primum nempe asserimus, corruptam materiam tetrâ, quos emittit, vaporibus, purissimo nervo-

A Ri-
mulis
venereis
oritur
malum
hyste-
ricum;

Qua ra-
tione se-
men
corru-
ptum
hyperi-
ca gi-
gnat
sympto-
mata.

rum

rum & fibrarum fluido insensissimis, ad progignendum id malum paratissimam videri. Magnam enim & suaveolentium vaporum vim & potentiam in invertendis, vel immutandis motibus vitalibus esse, præter narcotica, fumos carbonum noxios, & exemplum ab HELMONTIO *rr. de lithiasi* §. 59. allegatum, quo mulier quædam ex certo fuffitu protinus corruit apoplectica, testatur & illud momentum, quo in dispositis paroxysmos hystericos solo moschi vel zibethi odore resuscitari, & rursus etiam solis graveolentibus compesci observamus. Sed alius adhuc modus est, quo circa uterum subsistens ac corruptus humor nocere potest; qui in violenta vasorum & membranarum nervearum, animium congesto liquore, distentione ac distractione consistit; ex qua violenti spasmi ad universum nervorum systema propagantur. Et quis de hoc effectu ambigere poterit, qui consideraverit, a sola sanguinis stagnatione intra tunicas ventriculi ac intestinorum, malum hypochondriacum, & sævissimos suboriri posse in colica spasmos?

S. XIV.

Quæ quod ita se habeant, testantur exempla foeminarum, passione hysterica peremptarum. Sic VESALIUS *Lib. 5. de humani corporis fabrica cap. 15.* testes hystericarum pila sæpe grandiores, modo luteo, modo alio graviter olente humore infarctos, se reperisse scribit. RIOLANUS *anthropol. Lib. II. pag. 35.* testem pugno majorem induratum notavit. BINNINGERUS *Cent. II. obs. XC.* testes cum vasis spermaticis, & tubis uteri valde tumidis, & inflatis humore crasso, albo, & ex parte indurato repletos, inflatæ testomatæ dimidiæ libræ vidit. MANAGETA in *M.N.C. D. 1. a. 1. obs. 32.* uterum cum testibus materia feminali corrupta, quæ caeco recentè coagulato haud absimilis erat, turgidum invenit. Et denique DIEMERBROECK *Anat. Lib. I. de ventre inferiore cap. XXIV.* memoriæ prodidit, se in hystericiis plerumque aliquem magnitudinis

circa uterum excessum, in eoque liquorem quandam eruginis, vel croceum aut flavescens deprehendisse. Ex quibus demum omnibus luculenter patebit, quæ ratione semen circa uterum stagnans corruptumque, mali hysterici causa dicatur.

S. XV.

Proximum jam est, ut etiam nostram de altera causa, quæ nunc temporis maxime urgetur, vitiato nempe menstrui sanguinis fluxu, sententiam proferamus. Hanc criticam excretionem, præternaturaliter se habentem, semper proximam mali hysterici causam constituere, neuriquam pro raro statoque habendum credimus; siquidem novimus virgines haud secus, ac foeminas annosas, hysterico malo pertinaciter laborasse; quibus tamen menses, vel hæmorrhoides satis liberaliter proflexerunt: quæ in re consentientem habemus CAROLUM PISONEM *Lib. cit. Sect. II. Part. II. c. VII.* Interim sæpius observamus, fluorem hunc uterinum sub ipso morbo fieri inordinatum: atque tum pro effectu ac symptomatico mali hysterici æstimandum est excretionis istius vitium; siquidem ea est spasmodum indoles, ut omnis generis excretiones turbent ac pervertant. Enimvero ex toto causarum passionis hysterice censu mensium fluxum excludendum esse, minime statuimus. Nam multoties observavimus, virgines, quando mensium fluxus circa pubertatem inflat, ob illius impeditiorem per vasa uterina transitum, & subsequenter valorum distensionem, gravissimas patitur hystericas passiones: quæ etiam foeminis, in quibus difficilior fuit uterinus cruor, brevi ante ejus eruptionem evenire solent; & in ACTIS WRATISLAVIENSIS *ann. 1700.* eleganter describuntur. Præsertim notabilis in tali casu est clavus ille hystericus, ubi dolor acerbissimus & penetrantissimus in certo tantum pericranii punctulo hæret, & sæpiissime horrendis anxietatibus cardinalicis, vomitibusque enormibus stupatur. Conf. SYDENHAM *pag. 487. C. 499.*

Alteram
mali
hysteri-
ci causam
est vitium
fluxus
mensium
strui.

Anatomica
confideratio
mali
hysterici
so defici-
tarum.

Neque porro defunt nobis exempla, ubi repentinam purgationis menstruæ per vehementem terrorem, præsertim in personis naturæ sensibilioris suppressionem gravissima mox hysterica, quin & epileptica exceperunt pathemata.

§. XVI.

Gravida ac puerperæ corripuntur passione hysterica.

Neque gravidæ, maxime si sanguineo-cholericæ sint constitutionis, a sævissimis uteri spasmis sunt immunes: vidimus illas circa tertium, vel quartum mensem, gravi iracundia percussas in præfocationem, summum virium lapsum, imò in syncopen per aliquot horas durantem subinde incidisse; a quibus tamen secta vena, & adhibitis medicinis spasmodicis, nitrosisque feliciter evaserunt. In puerperis vero, ob lochiorum non rite succedentem fluxum hystericas passiones frequentius observamus; quod etiam suo tempore HIPPOCRATES notavit, *Lib. de natura mulierum* §. IX. Novimus puerperas primis sæpenuero a partu diebus, ab aere frigido ad imum ventrem admissa, a levi animi motu, a longiori corporis extra lectum detentione, in sæva symptomata hysterica incidisse; quæ etiam pressio inequuntur pede, si lochii primis statim diebus deficientibus ac cessantibus, sectione venæ tempestiva haud succurratur. Nec denique minus haud raro evenit, ab immodica, & diutius perseverante lochiorum fluxione, leviori externa causa accedente, passiones hystericas, animi præsertim deliquia, cum extremorum refrigeratione insequi; quæ tamen convenienti cura, accommodatisque præfidiis faciliori negotio discedunt.

§. XVII.

Causæ mali hysterici occasionales.

Quicquid igitur vehementiorem sanguinis, liquorisque genitalis ad uterina loca affluxum concitare; aut mensium eruptionem, atque fluxionem suppressere, vel impeditiorem reddere valet: illud ad classem causarum passionis hystericæ occasionalium pertinere videtur. Ex harum censu primum occurrit ipsa ætas conjugio opportuna, aut de-

negatus, antea tamen suetus, concubitus: unde majorem ad uterum fieri affluxum supra docuimus. Ex eodem fundamento huc pertinent temperamentum sanguineum, atque cholericum, nimia ad libidinem proclivitas, diæta vinosa, exæstuans, opipara, iracundia vehementior, ac graviores animi corporisque commotiones, & exagitationes. Deinceps ex altera parte vita sedentaria, victus crassus, acidus, frigidus, intermissæ sanguinis missiones, diuturni mœiores, curæ, solitudines &c. humorum spissitudinem inducendo, partes solidas debilitando, ideoque mensium perruptionem difficiliorem reddendo, ad generationem mali hysterici contribuunt: ac denique terror subitaneus, refrigeratio corporis insignior, maxime ipsi fluxui uterino supervenientes, excretiones sufflammando sanguineas, inducunt spasmos hystericos. Tandem etiam odor suaevolentium, ambræ, zibethi, moschi &c. aut aliorum fragrantium peculiari idiosyncrasia, gravissimos revocant paroxysmos.

§. XVIII.

Circa prognosin id maxime omnium monendum esse duco, quod vera hysterica passio, utut valde dira & terribilis videatur, in se non adeo periculosa sit; nisi præpostera curatio, vel perversum regimen accedat, vel in corpus incidat valde imbecille & valetudinarium. Arque etiam nullus morbus est, cui tam facile epilepsiæ & convulsiones artuum junguntur, quam qui ex uterino vitio pronascitur; ut adeo etiam exinde discrimen mali hypochondriaci & hysterici dijudicare liceat. Rursus haud infrequenti constat observatione, hunc affectum, ubi ab infelici abortu vel gravi puerperio ex culpa sive medicæ sive agrotantis progignitur, quam facile recurrere, & ex levi quadam causa nervosum genus affligente, de novo corpus infestare. Neque etiam novum est, sed toto fere die observatur, malum hystericum & hypochondriacum sæpius complicatum esse, & tunc

tunc morbum valde diuturnum & difficilioris sanationis fieri: quod maxime fit in foeminis, quæ vitæ sedentariæ & animi commotionibus nimium indulgent, & perversa diæta & vitæ regimine utuntur: hinc excretionem sanguinis menstrui vel hæmorrhoidalis perturbant, de quo complicato affectu, qui sæpius in praxi occurrit, uberius differere sequenti capite constituimus.

THESES THERAPEUTICÆ.

§. I.

Indica-
tiones
curato-
riz.

EXplanatis ergo satis dilucide morbi nostri genio, sede, causis, ac differentiis; proximum est, ut ad ejus curationem nos convertamus. Quum vero omnis rectæ curationis ratio in eo potissimum consistat, ut naturam ægrotantis probe cognitam perspectamque habeamus, atque tum morborum causis amoliendis accommodata remedia inveniamus: eo magis hæcæ circumstantias in nostro affectu probe considerare oportet; cum non modo causæ mali non eadem semper sint, verum etiam naturæ mulierum, quas in cura probe discernendas jam diu HIPPOCRATES inculcavit, valde differentes deprehenduntur.

§. II.

Quid de
venæse-
ctione,
sit sta-
tuendū.

Primum itaque dispiciendum est, num foemina, quam curandam suscepimus, sit valde plethorica, vel potius sanguine & viribus exhaustum corpus habeat? In priori casu ad spasmodum, & convulsionum vehementiam, quæ in sanguine abundantibus longe major est, quam in aliis, minuendam, non facile præsentis & efficacius ipsa venæsectione remedium invenitur; quæ si major sanguinis copia urget, largior esse debet, vel etiam iteranda. Vidimus foeminas, spasmodis uterinis crebrius & immaniter cruciatas, sine omni sensu & motu, facie rubicunda tumida, insilar apoplecticæ jacentes; novimus quoque virgines, sanguine

plenas, spiratione ac loquela fere privatas, mensibus repente per terrorem cohibitis, vel epileptico insultu correptas; quæ venæsectione instituta protinus ad se redierunt. Consistentes etiam habemus permultos veterum medicorum, qui venæsectionem omnibus aliis remediorum generibus præferunt, quando malum a sanguinis abundantia, & menstruorum retentione fovetur: quos inter MERCATUM & RODERICUM A CASTRO, HOECHSTEDERUM Dec. IV. cas. II. HIGHMORUM L. de passione hysterica, PANAROLIUM in iatrológis suis sententia II. obs. 30. RIVERIUM, SEPTALIUM, & M.N.C. D. 1. anno 10. obs. 42. & 58. allegasse sufficiat.

§. III.

Ante omnia eo studeat medicus, ut in ipso paroxysmo mali ferociam mitiget. Sequentes hac in re medicorum antiquissimum HIPPOCRATEM, graveolentia naribus applicanda suademus, qualia sunt castorina, asa foetida, fumus plumarum perdicum: quod remedium, uti mulierculis familiarissimum, & domesticum, ita præstantissimum est. Ex compositis aqua hirundinum acida cum castoreo, spiritus urinosus volatilis cum oleo rutæ, & essentia castorei nobilitatus, extrinsecus naribus offeratur. Vidimus ab horum remediorum usu, foemellas gravi sopore oppressas, moribundisque similes ad se rediisse. Ratio in eo videtur consistere, quod falini volatiles ejusmodi vapores, dum penetrant in nervosas cerebri membranas, ipsis novum robur, ac vigorem addant, & vim lyssalticam depressam restituant, & sanguinem, humoresque ibi subsistentes discutiant. In puerperis hoc malo correptis, indigne levamen affert compressio imi ventris cum cingulo, ex corio Moscovitico confectio, quod odore suo & hypochondriacis & hysterics valde amicum est. Magnum porro, si præsens fuerit paroxysmus, in expedita alvi, ut plurimum constrictissima aper-

Quid in
ipso pa-
roxys-
mo ag-
dum.

apertione est præsidium: qua in re com-
modam operam præstant clysteres, ex
speciebus appropriatis, ut radice, &
semine levistici, quæ specifica sunt,
floribus chamomillæ vulgaris, sambu-
ci, herba veronicæ & seminibus qua-
tuor carminativis, sero lactis incoctis
sunt apparandi; quibus postea sufficiens
quantitas olei ex anitho, vel flori-
bus chamæmeli cocti adjici potest. Ubi
vero fortior strictura alvi, & intestini
recti est, ut clysteres admitti nequeant;
longe consultius est, pura olea expressa
vel axungias injicere: cujus generis
sunt axungia taxi, pinguedo castorei,
oleum anethinum &c. a quorum usu
mirifice quoque mensium & lochiorum
fluxus adjuvatur.

§. IV.

Reme-
diorum
exter-
norum
in pa-
roxys-
mo
usus.

Sunt adhuc quædam, quæ extrinse-
cus admota, insignie præstant levamen.
Ex iis magna inter veteres ac anti-
quos medicorum obtinent laudem em-
plastra, quæ graveolentiam habent,
ut sunt ex opoponace, bdellio, galba-
no, sagapeno, asa foetida parata, si
umbilico, vel pudendis adplicentur:
qua de re notabile exemplum allegat
FORESTUS Lib. 28. obs. 32. Neque
vero inter externa, antiquissimorum
HIPPOCRATIS & GALENI aucto-
ritate comprobata, silentio sunt præ-
termittenda suaveolentia, utero im-
missa. Quamvis vero nostram de sin-
gulari eorum effectu non possimus ad-
ducere experientiam: tamen cum ho-
rum operatio magnæ rationum proba-
bilitati innitatur, nolumus illorum
usum penitus repudiare: ob hanc po-
tissimum rationem, quod suaveolentia
ut moschus, Zibethum, Styrax, Ben-
zoe, ex quibus suffimigia ad uterum
apparari solent, copiosa, & blanda
sulphurea exhalatione fibras uteri spas-
mo valde contractas relaxandi potentia
gaudent, ut sæpe ab horum adplicatio-
ne, teste superius adducta FORESTI
observatione, crassus & putridus hu-
mor sensibilibiter effluat.

§. V.

Qualia
intra

Ad immanes uteri spasmos præter

externa jam recensita, naturæ jam
languescenti per appropriata quædam
interna succurrendum est: quæ inter
principem sibi vindicant locum Est. ca.
stori cum partibus tribus liquoris ano-
dyni permixta, item pilulæ antispas-
modicæ, quæ ex myrrha, sagapeno,
opoponace, asa foetida, castoreo, cro-
co, theriaca, sumtis ad drachmam di-
midiam æqualibus partibus parantur;
adjectis interdum sex vel octo granis
camphoræ & laudani opiati. Ex scru-
pulo uno possunt formari pilulæ decem,
& singulis horis duæ assumi, cum aqua
florum chamomillæ: incomparabile
sæpe præter omnem spem ac opinionem
ex hoc remedii genere observavimus
auxilium.

§. VI.

Hæc sunt, quæ potissimum in ipso
paroxysmo conferunt; sequitur, ut
circumspiciamus, quæ extra paroxys-
mum, quiescentibus jam gravioribus
spasmodis, ad eradicandas causas præ-
cipuum sibi vindicant locum. Quo loco
experientia ac ratione ducti assevera-
mus, primam regionem, quæ vitio-
forum humorum colluvie plerumque
valde repleta est, accommodatis reme-
diis esse expurgandam; eo magis,
quando in ipso paroxysmo anodyna,
graveolentia, & vehementes commo-
tiones sistentia, largius fuerunt adhi-
bita. Ex horum censu pilulæ Becheria-
næ, sive ad earum exemplum concin-
natæ, ob insignem usum laudem me-
rentur; præsertim, si loco stimuli,
extractum panchymagogum Crollii,
& ex antispasmodicis, cinnabaris præ-
parata, & unum vel alterum granum
extracti croci & castorei adjiciatur. Sic
primis officinis a saburra vitiosorum
humorum sufficienter liberatis, ea in
auxilium vocanda sunt, quæ virtute
& sedativa, & simul diaphoretica san-
guinis & humorum motum ad exteriora
dirigunt, atque liberrima perspira-
tione feri vitiosi distillationem procu-
rant. In horum classe mirabili plane
effectu gaudere vidimus, spiritum
cornu cervi, vel eboris per rectificatio-

sub pa-
roxys-
mo pro
sint?

Quid
extra
Paro-
xysmum?
Primæ
vitæ
sunt ex-
purgandæ.

Dia-
phore-
tica.

tionem purificatum; vel etiam spiritum bezoardicum Bussii, spiritum cornu cervi succinatum, spiritum tartari bene preparatum; qui spiritus volatiles commode refracta dosi dari, itemque maritari possunt cum liquore anodyno minerali, eum essentia croci, castorei, succini, imo cum laudano liquido; quo medicamento prudenter pro temporis & circumstantiarum ratione usurpato, nihil vidi præstantius. Sicuti enim sponte sæpius solius naturæ beneficio, hæc spasmodicæ affectiones largiore solvuntur sudore eo magis medicum ad hunc finem curationem dirigere oportet.

§. VII.

Specific-
ca &
anody-
na.

Hicce ad eundem scopum obtinendum, alia non inferioris facultatis præsidia interponi possunt utilissime; cujus generis sunt pulveres, qui secreta, & specifica quadam qualitate spasmis & convulsivis motibus sopiendis dicati sunt, ut pulvis Marchionis, specificum cephalicum Michaelis, pulvis noster antepilepticus, item qui ex secunda humana siccata, visco quercino, succino, coralliis, croco, & castoreo, & antophyllis paratus est: quorum usu instar incantamenti convulsivas epilepticas motiones, artuumque agitationes siluisse aliquoties observavimus: si modo ejusmodi indolis & virtutis remedia non ante solutam plethoram, nec ante impuriorum humorum sufficientem per alvum evacuationem usurpentur.

§. VIII.

Men-
struus
fluxus
in ordi-
nem est
redigen-
dus.

Præterea, quum hoc malum quam facile, si non perite tractetur, revertatur, vel in alium morbum chronicum, inque primis hypochondriacum degeneret, præcavendum id omni modo ac ratione est: quod sit, si post morbum finitum ad mensum respiciamus excretionem, siue hæc irregularis morbum ipsum produxerit; siue sub hoc, uti plerumque fit, vitiata fuerit. Ad hunc scopum obtinendum nihil præstantius, nihilque efficacius commendare possum, quam thermarum Carolinarum usum internum, cum convenienti re-

Hoff Syst. Tom. VI.

gimine & prudentia administratum: siquidem thermæ aquæ semper fere & tutiores & convenientiores ipsis frigidis acidulis in morbis mulierum percurandis observantur. Sed in promptu adhuc sunt alia remedium genera, quæ tonum & robur utero restituendo graves ab eo afflictiones arcent; cujus generis sunt temperata balsamica ex myrrha, succino, extractis amaricantibus & carminativis, præsertim zedoaria, corticibus aurantium cum menstruo minus spirituosio in elixirium redacta, & frequentius usurpata: nam hæc ipsa mensium negotio & ventriculi digestionem egregie velificantur; præsertim, quando temperatis balsamicis, pilulis polychrestis, decenti tempore usurpatis, sordium alvinarum excretio simul adjuvatur.

§. IX.

Superest adhuc aliud summum auxilii genus, quod ex conjugio expectare licet: cujus incomparabilem vim, ad expugnandum affectum hystericum, præter summorum virorum auctoritatem, & experientia & ratio luculenter suffulciunt. Commendavit illud HIPPOCRATES libro de virginum morbis Cap. 3. VALESCUS de TARANT. philon. pharm. lib. 6. cap. 10. si fiat, inquit, affectus in virgine propter retentionem spermatis, nubat illa, & morbum effugiet. CAPIVACIUS vero, ut efficacius sit hoc remedium, jubet, ut vir penem inungat oleis aromaticis & Zibetho. Notabiles quoque sunt observationes, quas de admiranda conjugii in morbis hysterice virtute, allegant DURETUS in enarratione ad caput LIX. Hollerii, ZACUTUS LUSITANUS in prax. med. admirand. obs. 91.

Conju-
gi suum
ma vis.

Cautelæ, & monita practica.

§. I.

Quandocunque hysterica passio ab Uterinæ lymphæ orgasmo suboritur, omnia calidiora cane pejus, & angue vitanda sunt: ex saum

F his

conso-
prien-
dum.

his enim magnum inferitur damnum, quemadmodum RODERICUS a CASTRO de morbis mulierum Lib. II. & LUDOVICUS MERCATUS Lib. II. de morbis uteri Cap. III. variis attestantur exemplis. Potius ad temperandam lymphæ acrimoniam, & orgasmum sanguinis & humorum reprimendum, refrigerantibus uti præstat; ex quorum censu potus aquarum, serum lactis pro potu, atque nitrosa eminent; quorum virtutem in extinguenda libidine TIMÆUS a GULDENKLEE Lib. III. Cap. LVII. non satis dilaudate potest.

§. II.

Pro sub-
jectorū
ratione
diffe-
rent re-
medio-
rum
opera-
tiones.

Quum in hysteriis morbis naturæ individuorum insigniter discrepent: non sane mirum est, si unum remedii genus in uno subiecto salutarem, in alio nullum, ac magis nocivum edat effectum. Sic vidimus hoc malo affligas, quæ nullo modo graveolentia, sive interno, sive externo usu fere potuerunt; quæ in aliis præsentissimam opem tulerunt. Vidimus nonnullas, quæ ipso in paroxysmo, graviore Syncope oppressæ erant, sola aquæ adspersione in facie, frustra adhibitis validioribus & spirituosius in vitam revocari fuerunt. Quædam calidioris & sensibilibioris naturæ nolia calida sive extrinsecus, sive intrinsecus adhibita tolerare possunt; adeo, ut a balneis, fomentis, linimentis, nervinis calidis non parum lædantur: non minus anodyna, ac opiata, quibusdam exoptatissimum afferunt levamen; quum in aliis, ubi genus nervosum maxime debilitatum est, non minimum excitent damnum. Vidi quædam solo aquæ potu a gravi paroxysmo liberatas; qui aliis erat nocentissimus. Tantum refert, naturas foeminarum recte discernere; quemadmodum jam HIPPOCRATES Lib. I. & II. de morbis mulierum sedulo inculcavit.

§. III.

Quem
nisi
habet
cogni-
tio dif-

Quam familiare nostris est temporibus, ut nulla fere mali hypochondriaci inter mulierum morbos fiat mentio; sed potius promiscue & indistincte om-

nis, quæ cum doloribus, spasmis, flatribus, anxietatibus jungitur passio, pro hysterica habeatur, tam necessarium est genuinam horum morborum cognoscere differentiam; ex cujus neglectu magnum resultat sæpenumero damnum. Quemadmodum enim in malo hypochondriaco, vehemens corporis motus & exercitatio, medicamenta carminativa, spirituosia, & volatilia, stomachica, & aromatica, salia neutra stimulantia, aquæ minerales, amara alvum solventes, inque primis martialia, optima præbent auxilia: ita hysterica foemina his magis læduntur, & potius a venæsectionibus, quiete corporis, anodynis, nitrosis, antepilepticis, refrigerantibus, potu aquæ frigida, sero lactis, exclusis calidis, quin ipso vino, summum experiuntur solatium.

§. IV.

Ad præcavendam recidivam, & ne malum evadat chronicum, & mensium & alvi ratio solite habenda est; & moderandum, ut convenienti vitæ regimine, commodaque medicina hæc excretiones secundum ordinem fiant. Cavendum autem maxime est, ne aloeticis vel pilulis purgantibus, quæ insignem portionem aloes, & gummata resinosa calidiora recipiunt, utramque evacuationem moliamur. Non leve enim damnum & ingentem symptomatum exacerbationem, vel morbum longius productum, inde me observasse certa fide asseverare possum; & hoc maxime locum habet in plethoricis ac tenerioris & sensibilibioris indolis foeminis. Tutioris effectus sunt passulae corinthiacæ cum infuso rhabbari per leniorem incoctionem probe saturata. Inter cibos panificia, placenta, quibus maxime delectantur mulieres, & acetaria penitus proscribi debent. Nam ex nimio harum rerum usu, ac vita otiosa & potu parco & nimis incongruo, accedente simul animi intemperantia, sicuti & hypochondriaci & hysterici spasmi suam originem præcipue petunt, ita majori cura, quæ

Digna
ratio.

quæ hisce vitiiis jam correptæ sunt, ab iis abstinere debent.

§. V.

De castorina. Castorina utut & interno, & externo usu in spasmis & hysteris & hypochondriacis mitigandis, teste quotidiana experientia, incomparabilem virtutem habeant; tamen iis non nimium fidendum, quoniam ad materiam lædentem submovendam idonea satis non sunt. Non parum quoque nimius eorum usus nocet; dum anodyno illo vapore & capiti & nervosis partibus imbecillitas, quæ nunquam sine periculo est, inducitur.

§. VI.

Puerperis non conveniunt salia. In spasmis, hysteris præsertim, qui puerperas exercent, si alvi sunt adstrictioris, hæc fortiori salium neutrorum & sic dictorum digestivorum stimulo minime molienda est: vidi enim a majore & crebriori horum salium dosi periculosa symptomatum incrementa.

§. VII.

Quid proficit in suffocationibus hystericiis. In profundiori suffocatione hystericarum, ad eas excitandas præstat sal volatile ammoniacum cum essentia castorei remixtum, vel aquam hirudinum cum aceto & castoreo naribus applicare, & frictionibus circa præcordia item in pedibus cum panno asperiori institutis, quam nimio fumo foetidorum, aut etiam camphora, quam perpauca ferre possunt, uti.

§. VIII.

**Clysterium ac pulveris absterge-
re non videtur.** Ego singularem sapius effectum in foeminis hypochondriaco-hysteris ad præscindenda spastica symptomata, maxime in cholerica & sensibilibus naturæ mulierculis a pulvere nitroso præcipitante, cum æquali succini & parca croci portione mixto, & a frequentiori elixirii visceralis nostræ compositionis, cum æquali liquoris anodynini dosi maritati usu, multa annotavi emolumenta. Ad mitigandos vero paroxysmos, tempore intermissionis, clysteribus, qui ex herbis lenioribus paregoricis carminativis parati erant, adjuncta insigni olei expressi quantitate, nihil utilius deprehendi. Blando enim

suo & temperate calido tepore ac vapore proxime & immediate uterum & vicinas partes leniendo & demulcendo afficiunt.

§. IX.

Pediluvia extra paroxysmum adhibita, si valde temperata fuerint, egregiam habent symptomata allevandi efficaciam; si vero nimis fuerint calida, præsertim ubi corpora sint plethorica, & succi plena, nocentissima sunt, atque ad paroxysmos revocandos aptissima, quod non semel, sed sæpius animadverti.

Pediluviorum usus.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

R Equirebat aliquando opem meam virgo octodecim annorum, habitus spongiosi, ac temperamenti phlegmatico-sanguinei, sanguine succisque plenissima, ac irregulari per aliquod tempus menstruum fluore adfecta, quæ post præviam refrigerationem, noctu correpta erat vehementi tussi convulsiva. Hac sedata post aliquot dies violenta patiebatur hysterico paroxysmum: sub quo præter atrocissimos vomendi conatus, alvi obstructionem pertinacissimam, urinæque retentionem, extrema algebant, cor vehementer palpitabat, facies tumida rubebat, arteriæ in capite fortiter pulsabant, ut apoplexiæ esset metus. Post horæ quadrantem ad se redibat: sed pharynx manebat contracta, adeo ut nec fluida, nec solida deglutire potuerit, pulsusque ferebatur parvus ac debilis. Ipse vero paroxysmus singulo horæ dimidio revertebatur: & misso ex vena in pede tusa sanguine, per octo quidem conquiescebat horas: tum autem atrocior, & epilepticis stipatus motibus recrudebat. Consultus ego, cum deglutitio adhuc valde impedita esset, curavi primum, ut clysteribus ano infusis, linimentis nervinis nuchæ spinæque immittis, atque pediluviiis, parvum externarum constrictiones demulceretur: tumque internis diaphoreticis, ac antispas-

Passio hysterica, cum motibus convulsivis, ac epilepticis juncta.

modicis malum oppugnabam. Quibus factum est, ut omnes siluerint præternaturales motus; & quum ex levi diætæ errore viderentur reverti, dato blando laxante, ab eorum eruptione non solum præcavebatur, verum etiam perfectæ restituebatur sanitati.

Epicrisis.

Ad spasmodica, quæ ex uteri vitio proveniunt, pathemata concitanda non opus semper est, ut materia corrupta & vitata, utero inhærens proxime & immediate id efficiat; sed crebrius id a causis externis fit, scilicet ab intenso frigore, quod partes inferiores, præcipue vero lumbarem regionem tangit & afficit. Hac enim ratione in scæminis sanguine copioso & impuro scatentibus, is a partibus exterioribus ad interiores impetuosè compulsus pro harum differentia varias spasticas mover, imo convulsivas afflictiones. In præsentī casu ex congestione ad pectus facta vehementis & convulsiva tussis orta est; cum postea humor lædens sedem suam mutavit, & ad nervos præcordiales, item ventriculū ejusque nervos & per consensum ad ipsum caput translatus fuit, ac passionēs, quæ hic in hysterica apparuerunt, produxit. In ejusmodi affectibus optimum est, curationem ab externis & internis, quæ spasticas nervosarum partium stricturas blande relaxant, auspicari, & postea temperatis carminativis, diaphoreticis & antispasticis curam absolvere, & ad recidivam avertendam menstrua excretionem in ordinem redigere, quod optime per commodam diætā, per motum & medicamenta, quæ non modo sordes ex primis viis, sed & ex ipso utero expurgandi facultate instructa sunt. Inter quæ utique pilulæ polychrestæ balsamicæ, quæ nostro tempore in usu sunt, maxime si cum antispasmodicis & salinis detergentibus pulveribus earum virtus secundetur, principem sibi locum vindicant.

OBSERVATIO II.

Adolescens nobilis, sedecim annorum, staturæ proceræ, & habitus corporis robusti, atque carnosī, sanguine & succis præter naturam modū turgens, de gravi circa inguina, ubi vasa spermatica descendunt, dolore pronuper conquerebatur, & quod præter voluntatem ad membri erectionem, variisque ad venerem in animo obversantibus desideriis sollicitaretur. Haud ita multo post in febrilem quandam incidit insultum, per aliquot dies infestantem, quo remittente post aliquot septimanas, eadem circa inguina passus est molesta incommoda; sed jam longe alia superveniebant accidentia, hysterici plane non dissimilia: nam horribiles spasmi a pubis regione ad dorsum, ad præcordia, ad septum transversum, ad cor, ad fauces, imo ad ipsum cerebrum adscendentes, præcedente cordis palpitatione, strangulationem faucium, spirandi angustiam, animi deliquium, soporem, accedentibus etiam artuum convulsivis tractionibus concitabant, qui paroxysmus singulis fere mensibus repetebat. Hic, quod erat perquam notatu dignum, immāni semper ciborum urgebatur appetentiā; alvus autem adstrictior erat ita, ut fortiora etiam eluderet purgantia. Præter hæc vasa mirum turgebant sanguine; pulsus, qui sub accessione valde erat inæqualis, & depressus, post eam magnus, & concitatus observabatur. Variis usus est & medicis, & medicamentis antispasmodicis, antepilepticis, loteriis quoque fontibus, sed parum inde percepit utilitatis: postquam vero ex nostro consilio, singulis fere mensibus, sanguis ex vena secta sex semper uncis fuit imminutus, & loco potus ordinarii aqua fontana usurpata: nitrosis quoque pulveribus paullo largiori portione ad sanguinis orgasmum deprimendum in usum vocatis; tranquillum corporis motum, & ab arduis meditationibus, quibus excellentis ingenii adolescens nimium semper indulsit.

Mell.
hysterica
cum in
juvene.

dulgebat, vacuum servavit mentem; gismo, ac derivato affluxu, conquiescentem integræ sanitati brevi tempore fuit restitutus.

Epicrisis.

Solvit & explicat peculiaris hic casus modofam & intricatam admodum questionem: Quare nimirum viri non similibus, vel iisdem symptomatibus affligantur hysterici, qualia in foeminis observantur, eo quod simili modo, & sanguis, & liquor seminalis in partibus generationi dicatis, nimirum vasis spermaticis, testibus, capsulis quoque seminalibus stagnare, ibique vitari ac corrumpi possit? Namque non deesse ejusmodi exempla, licet non tam frequentia adolescentum, qui circa, vel etiam post annos pubertatis, ejusdem generis symptomata spastica, & convulsiva cum dolore pressorio, & lancinante circa ilia, & in pubis regione, nec non languorem totius corporis, extremorum refrigerationem, subsequente mox ingenti præcordiorum angustia, cordis palpitatione, faucium strangulatione, difficilique ad suffocationem usque spiratione patiuntur, inter alia præsens docet casus. Nec me fugiant plura exempla non modo adolescentum, sed etiam virorum extra conjugium viventium, qui ex nimia castitate in eadem, quæ hysterico affectui propria & essentialia esse solent, pathemata inciderunt: quid? quod nonnullos quoque in convulsiones artuum, inque syncopem prolapfos esse, aliquoties observavi. Si in tam atrocium symptomatum originem inquiramus, varia se offerunt momenta, quæ clare commonstrant, ea a nulla alia causa, quam a copiosiori sanguinis ad vasa spermatica & testes affluxu, has partes vasculosas & nervosas nimium distendente ac distrahente suborta fuisse. Et eandem in nostro agrotante causam significant dolores ac tormina circa inguina primum conspicua; atque tum ad alias corporis nervosas partes propagata. Quare etiam sedato per accommodata subsidia humorum or-

Hoff. Syst. Tom. VI.

OBSERVATIO III.

Honestæ, venustæque virgo, annorum octodecim, tenerioris quidem constitutionis, sed acutioris ingenii, animique mobilioris, in vicina urbe degens, postquam formoso etiam juveni, qui frequentius eam agrotantem invisebat, desponsata fuit, valetudinis, quæ antea satis firma erat, status plane est immutatus. Ab eo enim tempore variis gravibusque affligebatur passionibus. Namque dolores mox in dorso, mox in abdomine valde torquentes, mox artus tum tremore agitantes experiebatur: virium aderat ingens collapsus, ciborum adpetentia penitus languiebat; alvus constricta erat, tenesmus tamen, & mingendi desiderium urgebant. Accedebant per vices animi deliquia, cum faucium strangulatione, & semper fere conquerebatur de phlogosi, extremorum frigore, ac horripilatione, ac subsequente calore præternaturali. Anxietates præcordiorum constrictivæ, quas agerrima comitabatur spiratio, nunquam fere non aderant: pulsus ferebatur varius, nunc celer, & debilis, nunc plane exiguus, & inæqualis; urina plerumque instar aquæ limpida, interdum pauca, cum rubro sedimento mingebatur: somno sæpius plane carebat, & si quidquam cibi, vel medicaminum adsumebat, augebatur circa præcordia anxius ac pressorius dolor. Mensium fluxus erat parcius, serosus, acris; & circa hoc tempus cuncta exacerbantur symptomata. Consulti medici in dignoscendo morbo valde hæsitabant; quidam enim febrem quotidianam, alii hæsticam, quia ingens corporis præsto erat contabescencia, alii summam imbecillitatem ventriculi, & imi ventris accusabant flatulentias. Hinc varii generis remedia, stomachica, carminativa, nervina, emmenagoga, laxantia, martialia data fuerunt, ac vena quoque in pede aliquoties secata.

Passio
hysteri-
ca ex
occula-
to amo-
re.

F 3

Cun-

Cuncta vero tantum aberat, ut levamen inferrent; ut potius symptomata exacerbarent. Postquam igitur ægrotaper tres fere menses hoc diro malo infestata, ego quoque accitus fui; exploravi protinus genuinam morbi causam, & consilium dedi, ut a medicamentis se prorsus abstineret; ac pro potu ordinario lacte asinino, cum æquali acidularum Selteranarum pondere mixto uteretur. Deinceps alvum clysteribus emollientibus, qui ex decocto florum sambuci, chamomilla, herba majorana, melissa, ac semine cymini, addita semper olei lumbricorum ac liorum alborum larga quantitate erant parati, subducendam curavi. Tum quoque imperavi, ut licet imbecillis, corpus per vecturam sub temperato ac sereno cœlo sæpius ac blande moveret; & per tempus aliquod ab omni colloquio & consortio cum sponso caveret. Tandem commendavi copulam conjugalem, qua facta sensim, paulatimque vires recuperabat, sine peculiari remedium ope. Concepit etiam, & anno elapso peperit infantem: at in ipso puerperio pathemata hysterica cum faucium strangulatione experiebatur: sed nostro tandem auxilio, ac consilio restituta, jam laudabili fruitur sanitate.

Epicrisis.

Haud exiguus ejusmodi casus in an-
nosciori mea praxi adnotavi, quod vir
gines vœnusta, & antea vegeta a nulla
alia causâ, quam a vehementia amo-
ris occultati, in miserimum ægrotan-
distatum fuerint delapsæ; omnibus &
animi, & corporis functionibus inde
pestumdatis. Ubi frustra, quin inter-
dum non sine noxa exhibitis omnibus
medicamentis pharmaceuticis, opti-
mum & efficacissimum remedium fuit
in conjugio, non tamen omnis conve-
nientibus dieteticis. Tantam vim &
potentiam habent animi passiones diu-
tius inhaerentes, universam motuum
œconomiam, & naturales functiones

perturbandi? Hinc inter philosophos
PLATO de amore præsertim affirmat:
*Non solum, inquit, in animum im-
petum facit amor; verum & in corpus
sæpenumero tyrannidem exercet vigiliis,
curis, macie, dolore, tabitudine, &
mille aliis affectibus, lethalem noxam
inferentibus, corpus vexat.*

OBSERVATIO IV.

Fœmina, quadraginta annorum, tex-
turaque tenerioris, ante quinque annos
febre quartana corripitur sæpius reci-
dente, & tandem copioso corticis chi-
næ usu profigata. Ab eo tempore men-
strua excretio sensim cœpit imminui; &
quum præterea ad affectus animi valde
inclinaret, parum biberet, cibisque in-
sumatis, induratis, concoctuque diffi-
cilibus maxime delectaretur: varios in-
cidit hystericos, spasmodicosque affe-
ctus, qui circa menstruam potissimum
periodum graviter insisterant. Tum
enim sentit in abdomine gravissimas
spasmodicas contractiones, cum alvo
adstrictissima, faucium affligitur stran-
gulatione, & spiratione ad suffocatio-
nem usque intercepta, pedes sunt gelu
frigidiores, cor palpitat, interdum cir-
ca ventriculi ac septi transversi regio-
nem, tam acuti sæviunt dolores, ut di-
giti quoque attractu exacerbentur. Sæ-
penumero sub tali paroxysmo, dextrum
capitis latus, oculusque hemieranico
dolore, ac intolerabili frigoris sensu af-
ficiuntur, cum seri salissimè ex oculo
fluxu. Quandoque in paroxysmo cun-
cta vomitu reddit, & a clysteribus do-
lorum majorem percipit exacerbatio-
nem. Ceterum remittente paroxysmo
sana est, ac bene appetit.

Epicrisis.

Meretur hic affectus nomen hysteri-
co-spasmodici, utut levioris; quem ab
hypochondriaco alienum esse, vel ex
eo patet momento, quod ægra extra
paroxysmos, qui circa menstruam in-
vadunt periodum, sana videatur, nec
hu-

Passio
hysteri-
ca ex
mensi-
bus im-
minuit.

habeat, de quo conqueratur. Originem traxit a sanguinis mensuræ circuitu, per vasa uterina impedito; quo factum est, ut partes ac fibræ uteri nervæ obdissent nimium vasa, ad spasmodicas proritatas fuerint stricturas; quæ ad nervosas alias regiones, præfertim quæ a pari vago quosdam accipiunt ramulos, propagatæ, præcordiorum, ventriculiq; dolorem, impeditam spirationem, strangulationem, tormenta hemicranica, aliaque pepererunt symptomata. Ad inducendam autem humorum in utero stagnationem, præter inordinatum victum, quam plurimum contribuit febris quartana, cortice chinæ præposere tractata: unde etiam viscida ac scorbutica humorum dyscrasia, quæ semper quartanæ febris mater est, magis fuit adaucta; uti inter alia ex feri acrioris ex oculo effluxu patet. In curatione mali igitur, præter ordinatam rectam vivendi rationem, remittente paulisper paroxysmo, clysmata pure oleosa ano sunt injecta; atque linimenta nervina regioni umbilicali adplicata; quæ etiam cum communi quidem, sed minime contemnendo remedio, scilicet avena tosta, sacculo calidiori inclusa alternari possunt. Extra paroxysmum ea fuit medendi intentio, ut mitigatis per liquorem anodyno-mineralem spasmodis, menses debitis venæsectionibus, blandis ac balsamicis laxantibus, ac balneis in ordinem reducerentur; quibus etiam perfectam restitimus sanitatem.

OBSERVATIO V.

Convulsiones hysterice. Flagitavit aliquando meum auxilium virgo quædam, pubertatis annos vix egressa, cui fluor mensium irregularis erat, & quæ ideo per binas circiter septimanas convulsivos patiebatur motus. Hi ipsam quotidie per frequentissima intervalla invadebant, atque dolore lumborum, & abdominis, umbilici retractione, alvo adstricta, tremore, distensione artuum, spirandique difficultate se prodebant, maximeque caput

occupabant, ita quidem, ut oculi in omnes plagas circumrotarentur, eaque vix concipi poterat, celeritate, ac vehementia: caput ad latera deorsum traheretur; ejusque arteriæ validissimo pulsu admotam ferirent manum. Neque vero concidebat; sed sub mali invasionem sellæ insidens, in medio paroxysmo surgebat, & tum incredibili celeritate in gyrum movebatur: quod etiam fiebat, si inter ambulandum convellebatur. Ipsa accessionem præsentiebat; ac sub illa perfecta loquendi facultate pollebat; nec de ullis capitis conquesta doloribus; finito paroxysmo hilaris, & optime habebat. Remedia tollendo huic malo satis idonea, quæ propinabantur, parum profuerunt; præter commendatos clysteres demulcentes, & linimenta nervina, temperatiora, spinæ dorsali inuncta, quæ levamen præstiterunt. Verum mutatione cœli, & peregrinatione in alia loca, inito quoque alio victu, & adsumto loco cerevisiæ aquæ simplicis potu, insueta & atrocia hæc symptomata sensim, sensimque conquieverunt, & penitus tandem expirarunt.

Epicrisis.

Id non semel, sed creberrimis vicibus animadverti, morbos nervosi generis, seu, ut alii loqui amant, spirituum, qui horrendis symptomatibus stupari solent, omnia fere respuere ex fonte pharmaceutico petita medicamenta: eo, quod vitium non tam in mole materiæ, sed potius anomalis motibus, eorumque assuetudine consistat. Tunc enim optimum præsidium est, nullo uti remedio: sed præcipuum sanationis punctum in mutatione ætatis, aeris, vitæ generis, victusque consistere, fide experientię compertissimum est. Et certe elementa provido & circumspecto usu plus efficiunt, quam medicamenta activæ indolis. Hoc præclarum præceptum admodum sibi commendatum habeant medici juniores. Namque rarissima profecto sunt ea, quæ nervos, si

lasi, & a naturali tono dejecti fuerunt, blanda, & temperata vi solantur: quin potius plurimarum medicinarum natura ita est comparata, ut vel nimium irritando, vel iusto magis sedando laedant. Deinceps id quoque in persanandis generis nervosi morbis est observandum, quod non omnibus ægris eadem auxilia convenient; neque, quod semel profecit, id alio tempore juvet. Siquidem non ubique & omni tempore eadem est nervosarum partium dispositio, ac constitutio. Hinc naturæ ægotantium probe sunt discernendæ.

OBSERVATIO VI.

Hysterica convulsiones, ex utero & primæ viæ vi-
sio.

Triginta circiter annorum fœmina, quæ abortiendo concrementum polyposum utero excernebat, elapso hinc anni spatio, sub ipso mensium fluore poma, ac lacticia comederat, & præterea corpus insigniter refrigeraverat. Quare incidit repente in convulsivos motus, quibus in terram prolapsæ caput præsertim, atque pedes mirifice torquebantur, manibus liberis; commordebant dentes, ac vehementer clamitabat. Talis paroxysmus subinde circa menstruas recurrebat periodos, neque ullas habebat notas prænuncias: post illud urgebant languores universi corporis, gravativus capitis sensus, crebræ vertigines, & alvi obstructions. Tum vero utero cœpit gerere, & sub to gestationis tempore a malo convulsivo hysterico immunis vixit, felicemque tandem habuit partum. Lochia primum rite succedebant, sed die decima immuta fundebant serum sanguinolentum; alvus etiam per sex a puerperio dies officio non fungebatur. Hinc sensim redibant tensiones capitis, vertigines, flatulentia, ac imi ventris tormina, somni ac adpetentiæ defectus, ac tandem accedebant pristini motus convulsivi, sinistrum maxime latus occupantes, sub quibus fluor uterinus sanguine denuo tinctus adparebat. In curatione hujus affectus clysteres car-

minativi, & oleosi, nec non pilulæ temperatæ balsamicæ, cum refracta dosi castorei, & croci mixtæ, fons Selteranus pro potu ac denique internus Carolinarum, & externus aquarum Tœplicesium usus, præstantissimæ fuerunt efficaciz.

Epicrisis.

Nulli morbi tam graviter totum partium nervosarum systema præter naturam afficiunt, nullique universi corporis functiones tam subito ac vehementer lædunt, quam qui ex uterilabe prognascuntur; quæ ut plurimum per infelicem abortum, & malum in puerperio regimen contrahitur. Horum certum indicium præbet, simulque male affectum uterum, & destructam per ejus vasa sanguinis circulationem significat sæpenumero concrementi membranacei, sic dicti polyposi, sive molarum exclusio: unde diuturnas & atroces nasci ægritudines manifestum est. Quicumque igitur in persanandis mulierum morbis præ aliis excellere volunt medici; ad fontem horum malorum respiciant, & curationem eo dirigant, necesse est. Neque ego certius & efficacius auxilium, quam in exquisito vitæ regimine, ac circumspecto ac convenienti fontium tam calidorum, quam frigidorum usu, inveni unquam, maxime, quando temperate balsamicis, uterumque roborantibus & laxantibus curam prosequamur.

OBSERVATIO VII.

Fœmina, vigesimum primum ætatis agens annum, constitutionis tenerioris, ac biliosæ, binis abhinc annis ex iracundia incidit epilepsiam. Elapso anno contraxit matrimonium, & haud ita pridem peperit infantem: sub quo partu enormis cruoris uterini copia effluxit, sed datis improvide adstringentibus cohibitus est fluo. Nihil tamen minus post duas hebdomadas re-didit fluxus menstruus; sed cum denao

Passio hysterica ex lochiis suppressis.

vehementi perecelleretur terrore, mox percepit miros circa lumbos cruciatus, & acutissimos dolores, perpetuum ad alvum & urinam stimulum; urina succedebat cum magno ardore, insigni- que difficultate, deponebatque arenulas. Solicitabat insuper perpetua vomendi cupiditas; dolores mox circa umbilicum torquebant, huncque violenter retrahebant, mox inguina obfidebant, cum pertinacissima sphincteris vesicæ constrictione, & acutissimis quoque in mammis doloribus. Hisce atrocissimis tormentis per binas ferme adflegebatur hebdomades, adpetitu, somnoque pereuntibus: quin etiam epilepticæ superveniebant agitationes, & in paroxysmis deliria loquebatur. Crebro fluxit quoque materia alba acerrima instar puris ex utero. Adhibita sunt varia remedium genera, clysteres oleosi, emollientes; unguenta nervina, ac anodyna, pilulæ balsamicæ &c. sed malum exacerbare videbantur. Tum propinabantur & pulvis ex nitro purificato, camphora, & pulvere Marchionis confectus, & Elixirium, quod habebat essentiam croci, myrrhæ, tincturam tartari, & extractum castorei. Unde urina deponebat sedimentum, & menses aterrimi, foetidique cœperunt fluere. Tum continuatis his remediis, ommissa tantummodo camphora, conjunctoque infuso veronicæ, cruor uterinus, naturali similis, floridiorque ferri cœpit, & ægra intra paucum tempus perfecte convaluit.

Epicrisis.

Videbatur primum hæc affectio medico cuidam calculosa; sed revera non fuit, nisi hysterica, ex lochiis improvido adstringentium usu suppressis originem trahens, & calculum mentiens. Quum enim in hysterica passione nervi uterini, qui cum nervosa vesicæ, maximeque sphincteris fabrica, insignem sovent consensum, spasmodice contrahantur; non mirum est, si

illæ stricturæ ad vicinas partes, præsertim vesicæ sphincterem transferunt, crebramque mingendi cupiditatem, & urinæ retentionem prodixerunt. Quamdiu vero hi spasmi partes inferiores occuparunt, humor ille, ut ita loquar, corruptus, qui stagnando in uteri cavitatem irruit, excerni haud potuit; hinc nec silerunt symptomata. Verum postquam spasmi relaxati, & ope myrrhæ, crocique menstruus fluor promotus fuit, hinc materia foetida effluxit, non fieri potuit, quin remiserint omnes passionēs.

OBSERVATIO VIII.

Est hic loci affectus quidam, certis familiis peculiaris; qui subiecta, in pubertatis potissimum annis constituta, magis foemini sexus, & habitus spongiosioris, succorumque pleni invadit; atque variis incassum adhibitis remediis, tandem post aliquot annos sponte remittit. Adoritur sequenti ratione: sentiunt inter morbi initia, sensum fornicationis in manibus vel pedibus; sequitur pandiculatio, oscitatio; dolor fixus, gravisque circa lumborum vertebrae; mox agitationes, ac volutationes manuum per gyrum, sursum ac deorsum continuæ sunt, & involuntariæ: præcordiorum summa urget anxietas, spiratio citatissima, angustissima, cum suffocationis metu, palpebræ ab uno latere ad alterum trahuntur, oculi vertuntur in gyrum &c. Sed admodum variant hæc symptomata; nunc alvus suo fungitur officio, nunc pertinaciter clausa est; nunc urina fluit, nunc retinetur, cum vehementi circa inguina dolore. Interdum collum ab uno latere ad alterum perpetuo volvitur; interdum crudelissima infestant tormina intestinorum, cum cardialgia, vomitibusque vehementioribus: mox femora ad anum contrahuntur, cor violenter palpitatur; accedit singultus; mox totum corpus attollitur, spina incurvatur; mox oculis apertis, membris rigidis, nullus est sensus.

Passio hysterica sive modica vaga, certæ familiæ peculiaris.

sensus, nulla excitatio &c. Hæc est paroxysmorum descriptio, qui modo sæpius, modo rarius revertuntur: extra quos bene habent, bene adpetunt, dormiuntque. In scæminis menses plerumque recto succedunt ordine, & debita quantitate; quando utero gerunt, morbus quiescit; sub partu vero sæpius revertitur. Nullis curatur remediis, sed mitigatur lumbricalibus & castoreis: tandem vero victus, loci, & maxime ætatis mutatione certissime debellatur.

Epicrisis.

Rarus & prodigiosus, hic affectus, speciatim quidem in numerum morborum, sic dictorum spasmodico-vagorum, quos Cap. III. pertractavimus, referri meretur: verum ego, cum jam per quadraginta annos functioni Professoriæ præfui, sæpiusque, si quædam ex hac non incelebri familia, hoc malo fuerunt cruciata, in consilium accitus sum; omnibus morbi momentis probe exploratis animadverti, obnoxia ei passioni subjecta, sive scæminæ, sive mares fuerint, ad libidinem, reique venereæ adpetentiam valde proclivia, & insuper animi inconstantis, mobilioris, ad tristitiam pariter ac nimium gaudium valde disposita fuisse. Hinc vero videtur simillimum, causam hujus affectionis, quæ commode hysterici adnumerari potest, in uteri vitio collocandam esse plerumque. Adest enim primum hæreditaria ad hos irregulares motus proclivitas; accedunt præterea pubertatis anni, in quibus major, maxime concurrente libidine, ad partes generationi dicatas & seminales sit affluxus; qui denegato exitu, quomodo hystericas spasmodicasque totius generis agitationes excitare valeat, superius sub causis mali hysterici ostensum est. Meretur hæc hysterica passio vocari hæreditaria, ac gentilitia; quæ, quum hæreditarium quid subit, omnino discrepat ab ea, quam individua singula patiuntur. Cæterum

periculo fere vacat, & uti jam dictum est, ætatis mutatione, vel nonnunquam etiam conjugio, sponte expirat.

OBSERVATIO IX.

Virgo annorum octodecim, iracunda, tenerior, diæta utens irregulari, maxime lacticiis & acetariis, refrigerationi sæpius ob curas domesticas exposita, & ideo fumo carbonum vivorum, in clauso conclavi frequentius supersedere solita, incidit in mensium suppressionem. Versus tempus illius fluoris patiebatur atroces motus hystericos, cum horrendis lumborum doloribus, crudelibus imi ventris ac capitis tormentis, alvo adstricta, duriori, pedumque refrigeratione. In consilium vocatus medicus ad ciendos menses præscripsit pellentia, nempe essentiam myrrhæ, & croci, spiritui salis ammoniaci nuptam, & pulverem baccharum lauri. Inde evenit, ut misera præter opinionem in atroces epilepticas motitationes inciderit, sub quibus artus non corrugabantur, sed ita potius rigidi expandebantur, ut flecti haud potuerint. Incisa protinus in pede vena, mitigabantur quidem hæc symptomata; at paroxysmus neutiquam in totum desinebat, sed quotidie circa meridiem invadebat, adeo ut præviis extremorum frigore, anxietate, dorsi dolore, cordisque palpitatio- ne, totum rigesceret collum, vel etiam hinc inde agigaretur; caput & brachia cum insigni rigiditate expanderentur, spuma os occuparet, ac omnis abesset sensatio. In curatione hujus mali venam in pede incidi jussimus; tumque datis pilulis blande balsamicis, quæ facultate menses ciendi, ac debiles imi ventris partes roborandi pollent, pediluvia ac infusus ex emollientibus paratos ordinavimus, iisque felici cum successu vias uterinas relaxavimus, ac obstructionem referavimus. Tandem subjuncto interno, recto tamen aquarum Carolinarum usu, agram pristina restitimus sanitati.

Motus
hysteri-
co-epi-
leptici
ex men-
su sup-
pressio-
ne.

Epicrisis.

Malum hoc hysterico-spasmodicum primo, & deinde incauta curatione exacerbatum, & in epilepticas commutatum, motiones, uterini fluxus cohibitioni deberi, extra omne positum est dubium. Ad hanc vero mensium obstructionem non modo vitium in diætâ, sed maxime externa nimis frigidi aeris ad uterum & partes abdominis admissio quam plurimum contribuit. Sicut enim perversa diætâ sanguinem & humores valde lentos, crassos, & excretionibus minus aptos peperit: ita frigus vasa ac glandulas nimis constringendi, & angustandi, insignem exseruit potentiam. Non minus ex incongruorum eduliorum justo largiori usu, cruditates in primis viis, maxime intestino duodeno stagnantes sunt procreatae, quæ in causa fuerunt, quod paroxysmus circa meridianum tempus invaserit. Debetur quoque aliqualis animadversio, noxiosissimo carbonum usui; quorum vapor narcoticus partium nervosarum tonum, & elaterem insigniter pessum dedit. Hinc cum accessit inconveniens curatio, qua medicus, ante venæsectionis administrationem, viarumque obstructarum refectionem, calidioribus menses ciere conatus est; non fieri potuit, quin humores magis magisque exagitati, partes nervosas, jam debilitatas vehementer distenderint, affecerint, atque tandem ad spasmodicas & epilepticas concussiones proritaverint.

OBSERVATIO X.

Fœmina triginta annorum, temperamentum sanguineo-melancholici, hysterice passionibus in puerperio, & extra illud sæpius obnoxia, tertium gravida, gestationis tempore nec venæsectionem admisit, nec exquisitè servavit præcepta diætetica. Primis post partum diebus non bene purgata est utero: sed de dolore lumborum, tor-

minibus ventris, alvo adstricta, & somno per aliquot noctes inquieto conquerebatur. A Practico, quem in consilium vocavit, validiores essentia ad pellenda lochia fuerunt data, & ad alvum aperiendam uncia dimidia salis amari Sedlicensis in aqua simplici soluta est oblata. Inde auctis torminibus, nec facta per alvum, nec per uterum excretionem, converso sanguinis versus superiora motu deliravit, & accedentibus convulsionibus extincta est.

Epicrisis.

Ubi natura valde sensibilis, ad motus spasmodicos hystericos, vel hypochondriacos est proclivis, ad excretionem, si illæ deficiunt, promovendas, summa moderatione opus est, ne per nimium stimulantia, vel purgantia & commoventia id moliamur. Quod monitum semper & ubique in puerperis servandum est, lochiis non rite fluentibus. Nam non modo purgantia fortiora, sed & salina paullo majori dosi data ac digestiva natura tunc minima ferre potest. Multo verò magis a drasticis purgantibus sibi cavere debent puerperæ, quæ a partu laborioso viribus fuerunt exhaustæ, ne illa ad promovenda lochia prioribus sumantur diebus. Tristis ejusmodi casus paucis abhinc diebus in nostro contigit soburbio, ubi fœmina partu valde fatigata, ad ciendum lochiorum fluxum tertia die, loco pilularum polychrestarum, quas sumere volebat, pilulas, contra obstructionem dictas ex errore numero viginti capiebat, quæ ex æquali parte aloes rosatæ, & extracti panchymagogi Crollii, adjecta limatura martis parantur, & ordinario pondere trium vel quatuor granorum exhibentur. Ab hoc autem pharmaco, sub ingentibus imi ventris torminibus, extremorum frigore, summa corporis jacturatione, atque fluxus uterini plenaria suppressione, mammarumque lacte antea turgentium contractione, præter crebros vomitus, intra tres dies, plus quam cen-

centies alvum deposuit, & septimo tandem die expiravit. Quæ remedia ad mitigandas, vel compescendas has truculentas passiones adhibita fuerint, mihi incognitum est. Interim ex fatali hoc casu, medicorum juniores addiscere possunt, quam blandis, & temperatis medicamentis puerperæ, primis præsertim diebus, quando per partum laboriosum, & motuum vehementiam vires deperditæ sunt, tractari debeant. Sed iustissime quaeritur, quoniam convenienti præsidio, si tam perniciose data sit medicina, sagax medicus summo periculo mature possit succurrere? Responsio patebit ex sequenti observatione, quam cum ante viginti annos in aula Berolinensi degerem, me annotasse, hac occasione memini. Erat nempe Comes duodecim circiter annorum, cui ex tinea capitis laboranti præscripsi pilulas sex dosibus sumendas, quæ drachmam unam extracti panchymagogi Crollii, & drachmam quoque mercurii dulcis, ac trochiscorum Alhandal grana sex habebant. Hæ cum omnes in una scatula ex pharmacopolio essent allatæ, Comes, remoto eo, qui moribus studiisque illius præerat, eas cunctas sua sponte una vice devorabat. Ille accedes obstupuit, & cito hora vespertina nona ad domum meam venit, atque lacrymabundus meam opem imploravit: quia de tota ejus fortuna actum fuisset, si id resciverint parentes illustrissimi. Ego accedens, cum talis casus in praxi mihi nunquam obtigerit, prævia deliberatione constitui, ut aliquot lactis mensuras curaret apportandas. Sumsit etiam Comes lac tepidum larga quantitate: quo facto circa noctem, quæ insomnis erat, quædam tormina expertus est. Mane per vices quatuor sedes habuit copiosissimas, cum imi ventris cruciatus, & excreto simul lumbrico satis lato; tumque nihil mali amplius passus, perfecte convaleuit. Ita vero argumentatus eram: si copia lactis assumpti spasmos, quos venenum arsenici inducit, mitigare, & mortem

avertere potest; quidni etiam idem remedium, ad infringendam vim purgantium acriorum, & mitigandos spasmos atrocissimos posset inservire?

OBSERVATIO XI.

Fœmina generosa, triginta & sex annorum, temperamenti sanguineo-melancholici, habitus corporis nec adeo macilenti, nec nimium pinguis, sed medii, tempus, quo utero gestabat, maximam partem vita desidii sine motu transegit, & plus justo etiam somno indulgit. Post partum satis facilem & felicem, ingentem sanguinis per aliquot dies ex utero profudit copiam, & hinc adeo debilitata fuit, ut sine metu lipothymix corpus atque caput haud diu in recto situ tenere potuerit. Poterat quoque conclave calidius optime tolerare: nam ab aura paullo frigidiori ad corpus adspirante mox inhorrescebat; hinc potum quoque temperate calidum hauriebat. Septimo & sequentibus diebus, ingens viscidus, impuri, sanguinei que feri copia effluebat: nono die inopinato terrore ex levi tamen occasione afficiebatur. Inde partes extremæ statim algebant, fluxus uteri sistebatur, & genitalia frigida, aridaque evadebant. Accedebat ingens circa præcordia oppressio, & anxietas, cum omnium collapsu virium, corporisque frigiditas ac tanto sudore, ut ipsa, & omnes adstantes mortem metuerent. Accitus ego dedi liquorem meum anodyno-mineralem, cum tertia parte essentia castorei, ac liquoris bezoardici Bussii mixtum, atque tertia quavis hora ad guttas triginta, cum aqua mellisæ & cardui benedicti sumendum, haussis desuper aliquot infusi calidioris Thee vasculis. Sequebatur sudor calidus, meliusque habere cepit. Sed cum per quatuor dies alvus non fuerit aperta, neque clysterem admittere voluerit; tentata est per suppositorium alvina excretio; & cum paullo diutius ad alvum deponendam frustra stimulata, extra lectum

Atum commoraretur, subito mentis deliquit ad suffocationem usque incidebat. Tandem admissio clystere carminativo & oleoso, datisque postridie pilulis balsamicis, reddidit per alvum insignem stercoris, humorumque putridorum copiam; & denique restituito uteri fluore, perfecte consanuit.

Epicrisis.

Ad pathologiam non minus, quam therapiam hystericæ passionis melius cognoscendam, scire expedit; spasmodicas ejusmodi ex utero passiones, vel a nimia sanguinis, humorumque exsuperantia, quam HIPPOCRATES nomine repletionis notat; vel eorundem inopia, quam verbo inanitionis designat, & cujus indolis præsens est casus, suboriri. Corpus enim sanguine, viribusque exhaustum, non modo a frigore externo, verum etiam a metu vel terrore facillime, & graviter afficitur: quibus causis excretiones sistuntur, & motus spasmodici ad interiora convertuntur; nec prius cessant, quam donec naturæ energia, & artis subsidio excretiones, revocatis motibus, restituantur. Ego non semel, sed sæpius post graves, præsertim ab abortu hæmorrhagias, superveniente terrore, vel inopportuna refrigeratione, non modo syncopes, sed & oppressionem pectoris, spirandi angustiam cum extremorum frigore, imo, quando non mature satis convenienti medicina obviam itum est, ipsas convulsivas ac epilepticas agitationes ex cepisse adnotavi. Quo casu nec venæsectiones, nec antispasmodica, nitrofa, anodyna, aut vaporosa, vel nimis calida quicquam proficiunt; sed omnis curatio lenioribus analepticis, temperantibus, spasmos mitigantibus, & iis, quæ excretiones blande procurant, absolvitur felicissime; cavendo, ne fortioribus medicinis collapsæ jam vires prorsus pessumdentur.

OBSERVATIO XII.

Illustrissima vidua, triginta annorum, habitus corporis succulenti, & sanguinei, in puerperio suo ab hystericis symptomatibus non fuit immunis. Mortuo marito, lautæ diætæ indulgit, nimis saltationibus sæpius commovit corpus, illudque etiam intempestiva refrigeratione, dum frequentius nudo podice gramini in hortis insideret, exposuit, neque minus horæos fructus, & acetaria in deliciis habuit, iisque corporis vires, ac ventriculi robur ita destruxit, ut subinde de præcordiorum anxietatibus, spiratione difficili, dorsi dolore, alvoque adstrictiori fuerit conquesta. Præterea loco sanguinis uterini circatemperamentum, interdum extra illud, magis serum effluxit viscidum. Et quum aliquando, ab intensiori ventris refrigeratione, hic fluor etiam sistebatur, apparuit circa inguina tumor durus, dolore pressorio stipatus, latitudinem quatuor digitorum, & longitudinem spithamæ occupans. Atque hunc sequebantur gravissima symptomata. Namque ex improvviso concidebat in terram, omni motu, sensu, ac ratione privata: facies erat inflata, ac valde rubicunda, mammae mirum intumescebant, fundebatque sudorem, rubro lintea imbuentem colore. Pulsus ferebatur plenus, & magnus, venter turgescibat flatibus, & pedes algescebant. Celebrata sectione venæ mox ad se rediit; atque hunc paroxysmum abhinc intra unius mensis spatium, plusquam quinquaginta vicibus, modo mitiorem, modo graviolem, absque tamen notabili virium jactura, patiebatur; cujus vehementia non nisi sanguinis missione sublevari ac mitigari potuit. Ego tandem vocatus, explorata totius morbi historia, & ægrotantis natura, eam a nimis venæsectionibus, præsertim in superioribus partibus abstinere jussi; frequentiore autem pediluviorum tepidorum usum

Passio
hysterica ex
suppresso fluore
re albo.

usum commendavi. Et quoniam alvi erat adstrictioris, clysteribus oleosis, ac carminativis alvum subinde ducendam curavi. Interne quoque crebro, tamen moderate dedi pulveres nitroso-absorbentes cinnabarinos, pilulasque nostras polychrestas, interdum cum grano castorei, interdum quoque cum tertia parte extracti panthymagogi Crollii permixtas. Tumori porro inguinali vesicam decocto emolliente cum lacte repletam adplicari jussi, & imperavi, ut advocata obstetrix in tumorem inguinis, & statum genitalium paullo curatius inquireret. Illa satis perita tumorem illum a fluore albo cohibito ortum fuisse suspicabatur: quare curationem per clysterem uterinum, aliquoties admixtum, instituendam esse judicavi; quo ex sero lactis, cum floribus chamomillæ, & semine cymini cocto, & infuso ingens mucis, glutinis instar copia fuit educta cum levamine momentaneo. Pro potu sumxit fontem Selteranum soterium, cum parviori vini portione; & sic paulatim melius habere coepit, atque tandem maritata plenarie convaluit.

Epicrisis.

Non semel, sed sæpius in paroxysmo hysterico graviore, ubi omnis motus & sensus sublatus videtur, in valde plethoricis, pulsum adnotavi magnum; ut ideo affectus magis ad apoplexiæ levioris, quam syncopes speciem referri mereatur. Quo in casu sanguinis missio præsentaneam quidem fert opem; sed cavendum probe, ne illam nimis crebro iterando, vires frangamus, malumque reddamus pertinacius. Docemur præterea ex hac morbi historia, quale incommodum, & quæ periculosa symptomata, floris albi suppressio prognerare valeat; præsertim si latentes veneri accedant igniculi; quibus extinguendis conjugio non præstantius est subsidium. Simile malum ori-

tur in virginibus; cum cachexia; colore vultus plumbeo, lassitudine, febre lenta, & anxietatibus junctum, a suppressione veneris; ubi ex morali liquor genitalis vappescens ac corruptus, succos vitales in mixtura & motu suo varie turbat, & alterat. His suadendum optimo jure conjugium est; utpote cujus beneficio liquor seminalis excernitur; & motus humorum a spiritu genituræ virilis novum veluti robur adipiscitur, ideoque ipsis etiam partibus solidis novus vigor, novusque color restituitur.

Plura de malo hysterico exempla reperire licet in *Consult. ac Respons. medic. Sect. III. casu XLIII.* & *sequentibus* & *Sect. IV. casu XLII.*

CAPUT VI.

DE

AFFECTU SPASMODICO FLA-
TULENTO, SEU HYPO-
CHONDRIACO.

THESES PATHOLOGICÆ.

S. I.

NON ultimum inter morbos generis nervosi spasmodicos vindicat sibi locum passio sic dicta hypochondriaca; quæ quum sub mucronata cartilagine, ac costis spuriis, in hypochondriorum regione potissimum suam exerceat tyrannidem, nomen suum ex græca traxit origine. Est illa, si realem spectemus ideam, affectus primarum viarum, nominatim ventriculi, ac intestinorum spasmodico-flatulentus, ab inverso ac perverso illorum motu peristaltico natales suos mutuans; per consensum vero totum nervosarum partium systema in irregulares motus conjiciens & totam œconomiam functionum perturbans.

Definitio mali hypochondriaci.

§. II.

Historia
mali
hypo-
chondriaci.

Hujus aggressuri historiam, præmonendum duximus, quod nulla corporis pars sit, nulla functio, quæ in hoc longissimo morbo non lædatur, ac præter naturam habeat; & symptomata tam gravia, tamque plurima sint, ut vix cuncta recenseri queant: adeo, ut quemadmodum febris inter passiones acutas præ aliis universalis dici potest morbus, ita noster hypochondriacus affectus hoc nomen inter chronicos iustissime mereatur. Ut autem ordine procedamus, & initia pariter ac incrementa polymorphi hujus mali explicemus, ab imi ventris cavitate, quæ omnium primo illius tyrannidi subjacet, ordiendum est. Sic itaque in primis morbi principiis graves sentiuntur ventriculi ac intestinorum tensiones, ac inflationes flatulentæ, præsertim sub costis spuriis in hypochondriorum, maxime sinistri regione; in qua nonnunquam tumor satis durus conspicitur. Speciatim quod attinet ventriculum, ac oesophagum; exserunt se nausea, ciborum fastidium, adpetitus vagus, mox plane prostratus, mox avidior; ingesta male conficiuntur, cruditates acidæ, viscidæque prognerantur; dolor ventriculi pressorius, & gravativus, maxime partum excipiens, spasmodica constrictione gulæ, frequens muci limpidi ex ore rejectio, deglutitionis impedimentum, gravis cardialgia, ardor stomachi, ructus acidissimi, vomendi conatus, ac ipsi vomitus, quibus redditur saburra tam acris, ut inde stupefactos dentes, ac corrosa linteamina observaverint auctores. Annotavi etiam vomitus in hypochondriacis pure febriles, *diff. mea de remed. benign. abusu* §. Conf. M. N. C. Dec. 1. anno III. obs. 253. Porro in volumine intestinorum, & quidem tenuium, percipiuntur graves circa umbilicum dolores, & cruciatus, torsiones, lancinationes, borborygmi, murmura; crassiorum quoque adfigunt graviora tormina; alvi mox est profluvium, mox & quidem

pertinacissima adstrictio, cum flatuum retentione, qui vel per superiora, vel inferiora eructati, reliquas paullulum levant passiones, at mox copiosissimo proventu regenerantur. Contra vero frequentes sapius urgent desidendi conatus, & non raro tubercula, ac cæcæ hæmorrhoides anum obsident, quin & ipse fluor sanguineus, symptomatice aliquando succedit. Mictio in quibusdam est difficilis, dolorifica, urina redditur tenuis, diluta, alba, largo nonnunquam sedimento, eoque arenario imbuta: quid? quod conspirans in renum regione dolor calculum sæpenumero mentiatur.

§. III.

Neque vero solum abdomen diris symptomatibus discruciat passio hypochondriaca; verum etiam alias in consensum trahit regiones. Sic occurrunt in pectore insignes angustię, constrictiones, vehementes spirandi difficultates, cum oppletionem pectoris nonnunquam junctæ, cordis tremor ac palpitatio. Ingravescens malo caput etiam infestatur; in cuius partibus exterioribus, cephalalgia, hemicrania, varii dolores tractorii cum rigiditate, & immobilitate juncti, atque sic dictus clavus sentiuntur, in interioribus vertigo, aurium tinnitus, cum auditu difficili se exserit, oculi tristi Scotomia obnubilantur, visio nonnullis fit duplicata, oculi dolent cum siccitate, dolor linguam sapius in certo spatio occupat ardens & valde molestus, & saliva fluit uberrime, ut id eo sputatores dicantur hypochondriaci. Tandem animales quoque labascunt functiones; animus vel nulla, vel saltem levissima causa incitatus, ad perversas commotiones, inquietudines, angores, terrorem, tristitiam, iram, metum, dissidentiam abripitur, ad vanas inclinat imagines, perversamque phantasiam; perit vis memoria; ratio labascit; somnus est turbulentus, difficilis, terribilamentis plenus. Denique sunt quædam symptomata, quæ totum corpus spectant, illud

Conti-
nua
morbi
histo-
ria.

illud enim crebris phlogosis, aut copiosis sudoribus perfunditur, vires prosternuntur, languet totum corpus, & ad omnes torpidum est labores; sensim contabescit; artus dolore contusorio, sæpius lancinatorio distorquentur; ac omnes denique se- & excretiones, præsertim sanguineæ pervertuntur. Et quis potest omnia ac singula eorum symptomatum recensere; quæ quot adoriuntur individua, tot fere diversas ludunt tragedias.

§. IV.

Historia Conspirant cum hac recensita morbi morbi a historia, vetustissimorum medicorum veteribus descripta. monumenta; ex quibus GALENUS *Lib. I. de locis affectis pag. 278. edit.* Græcæ Basileensis adducit fragmentum, ex DIOCLIS libro, qui meminit morbi hypochondriaci, flatulenti, & melancholici, a ventriculo suboriri. Nec indigna est descriptio, quam refert, ut hic breviter suppeditetur: Nam ægro, inquit, ubi cibum assumit, præcipue coctu difficilem, & ardores excitare aptum, eveniunt sputationes humidæ, copiosæ, ructus acidi, inflationes, præcordia æstuant, fluctuationem percipiunt, non illico, sed quando eruptiones cohibent. Aliquando etiam ventris vehementes dolores percipiuntur, qui in nonnullis supra diaphragma excurrunt, & concoctis quidem cibis mitescunt: quam primum vero cibum resumunt, eodem modo adfligunt; quin sæpe etiam jejunis, & post coenam molesti existunt. Quod si evomant, cruda, & pituitam subamaram, calidam, acidamve rejiciunt, usque adeo, ut & dentes inde stupore afficiantur. Et quia frigida opem adferunt, internarum partium æstu morbum foveri judicat.

§. V.

Quædam momenta circa historiam morbi Dum adhuc circa morbi hypochondriaci historiam sumus occupati; monenda sunt quædam momenta, scitu perquam necessaria. Quemadmodum scilicet malum hocce suos habet gradus, qui in suppeditanda prognosi majorem accendunt lucem: ita etiam ex-

acerbationes involvit, & satis graves format paroxysmos. Quoniam enim nunquam recte habeant hypochondriaci; attamen hyemali ac autumnali, quin quacunque frigidiore temperate longe vehementiorem symptomatum suorum patiuntur atrociam; contra vero eo, quo calidior ac æstivus est aer, tempore magis vegetiores deprehenduntur. In fœminis porro, hoc malo infestatis, major illius vehementia observatur circa illud tempus, quo menses debent fluere, qui plerumque quodam laborant vitio. Nec silentio prætermittenda; sed notatu digna est observatio, quod hypochondriaci rarissime febribus continuis, epidemicis, contagiosis, quin ipsa peste afficiantur, & a multis aliis morbis grassantibus immunes maneat. Ratio in eo videtur esse posita, quod in ipsorum primis viis, multæ ordinario cruditates acido-viscidæ hæreant: quæ contagiorum, quorum ratio in summa tenuitate partium sulphurearum consistit, efficaciam resistunt, & has partes enervant quasi, atque figunt. Unde etiam fit, quod senes, ac homines melancholici ab ejusmodi morbis acutis, immo contagiosis rarius afficiantur.

§. VI.

Quod attinet subjecta nostri mali; Subjeda malum hypochondriaci. deprehendimus, illud maxime insensum esse ætati juvenili, ac virili, a vigesimo circiter ad quinquagesimum annum: quo superato, naturam suam mutat, & in arthritidem, podagram, gonagram; malum ischiadicum, calculum renum, cachexiam, scorbutum, morbum nigrum, obstructions viscerum, hæcticam &c. aliosque fonticos morbos transit. Obnoxii porro huic affectui sunt, qui habitum corporis spongiosum, mollem, laxum, & vasa exiliora obtinuerunt, præ iis, qui corporis strictioris sunt. Non minus eos adoriuntur, qui vel natura languidiores existunt, aut jure hæreditario quandam dispositionem foveant; vel qui perverso vivendi genere, aut per-

longos morbos, insignem virum ac roboris naturalis sibi met contraxerunt imbecillitatem. Præsertim infestantur hac adfectione, qui vitæ sedentariæ sunt addicti, litterarum studii nimium indulgent, assidueque vacant meditationibus & lucubrationibus: unde morbus est litteratis familiarissimus, & veluti proprius. Ex eodem denique fundamento, nec sequior sexus ab eo immunis observatur; sed tantum non majori, quam nobilior frequentia ab illo adficitur; licet harum passionum hypochondriacæ perperam cum malo hylerico confundantur, & sub hujus titulo significentur.

§. VII.

Sed accedamus ad indagandam mali hypochondriaci sedem; in qua determinanda veteres non minus, quam recentiorum quidam errarunt. Veteres, cum viderunt, sub costis sporiis lateris sinistri, ubi lienis situs est, sæpius percipi tumorem tensum inflatum, in hoc quoque viscere sedem mali hypochondriaci collocarunt: qualem causam defenderunt RHODIUS atque HEURNIUS. Verum ut taceam, lienis viscus per structuræ suæ rationem, ad recipiendum tam acutum, & lancinatorium sensum, qualis est in hypochondriacis, valde ineptum existere; docet etiam experientia, & cadaverum sectio, in hypochondriacis sæpius nullum post mortem inveniri lienis vitium. Hac in re consentientes habemus SYLVIIUM *diff. de usu lie. nis*, HOFFERUM *in Hercule medico Lib. 3. cap. 3.* HOCHSTEDE-
RUM *Dec. V. p. 502. & 588.* Neque vero negandum est, quin nonnunquam lienis infarctus subesse possit: a quo tamen nec dolorem acutum, nec ipsam morbi sedem derivare licet.

§. VIII.

Quidam recentiorum veram ac universalem passionis nostræ statulentæ sedem in vena portæ, ejusque ramificationibus constituunt; atque putant, stagnantem in hisce vasis sanguinem, unicam ac genuinam cunctorum sym-

ptomatum esse causam, quæ semper in viris excretionem hæmorrhoidalem, in foeminis menstruam respicerent; atque hac natura, vel arte procurata, penitus cessarent. Verum enim vero, quamvis non negandum sit, sed infertius quoque allegatum invenietur, quod irregularis harum excretionum successus, & hinc enata cruoris resurgatio, in his præsertim ramis, qui intra tunicas intestinorum valde nerveas sparguntur, sæpius causam passionis hypochondriacæ mediatam constituat: attamen sciendum est primum, hanc non solam, nec unicam undique esse causam; deinde morbi ac symptomatum sedem minime in ea querendam esse. Haud enim raro nulla in hypochondriacis adest ad fluxum hæmorrhoidalem dispositio: & sæpius cruor per venas sedales copiosissime profunditur, absque insequente mali levamine; uti attestantur observationes a RHODIO *Centur. II. obs. 93.* CLAUDINO *Consil. 89.* & MONTANO *Consil. 246. &c.* allegatæ.

§. IX.

Ut igitur nostram de sede morbi hypochondriaci sententiam aperiamus, hanc in canale illo alimentari, membranaceo, ac valde nervoso, qui ventriculum, ac intestinorum volumen constituit, collocandam esse censemus. Tubus hic ex quatuor potissimum tunicis constat, intima villosa, villis papillarum instar erectis, ac perviis prædita, altera nervea, tertia musculo-
validiori, ex fibris partim longitudinalibus, iisque paucioribus, partim annularibus contexta, atque vasa sanguinea copiosissima continente, & externa membranacea. Hæc tunicas tres intercedunt contextus cellulosi; una inter villosam, & nerveam; altera inter hanc & musculosam; & ultima inter hanc & membranaceam, nomine tunicæ cellulose Ruyschii insignitam. Vi tunicæ musculosæ, ejusque fibrarum carnearum annularium, recensitæ partes motu gaudent vermiculari quodam, qui vocatur peristalticus, &

G

in

Sedes
mali
hypo-
chon-
driaci
non est
in lienæ.

Sedes
mali
hypo-
chon-
driaci
non est
in vena
portæ.

Sedes
passio-
nis hy-
pochon-
driacæ.

in alternante earum placida tamen constrictione, ac relaxatione, a parte superiori ad inferiorem tendente consistit. In huius motus vigore naturali, ac integritate magna profecto vis ad sanitatem conservandam latet: huius enim beneficio ciborum digestio rite conficitur, secretio bilis ac pancreatici succi adjuvatur, chyli præparatio promovetur, ejusque laudabilis, ac generosi propulsio in vasa lactea facilitatur, unde reliqui machinæ nostræ succi benigni fiunt, atque spirituosii. Contra eodem hocce intestinorum motu, cruditates, & inertes sordes, non minus ac flatulenti, aerei vapores, qui ex cibis digestis, ac laudabili succo privatis, relinquuntur, per canalem alimentarem propelluntur, ac per anum eliminantur. Idem porro earum partium tonus, si recte, ac secundum naturam se habet, adjuvat, faciliatque sanguinis liberum & æquabilem circuitum; atque sic præcipuum constituit medium, quo functiones, quas natura intestinorum canali assignavit, rite possunt administrari.

§. X.

Causa
proxima mali
hypo-
chondriaci.

His præmissis facilius jam erit, causam morbi nostri proximam, & symptomatum rationem explicare. Illam equidem in dicti motus peristaltici, quo ventriculus, & intestina gaudent, præternaturali constitutione, & quidem tali ponimus; ubi ille partim, ac in uno loco dejectus, atque destructus, partim, & in alio loco intensior, atque passim inversus i. e. ab inferioribus ad superiora tendens existit. Tales enim, & resolutio, & distentio spasmodica, simul præsentis in intestinis, sed diversis locis se invicem excipientes, genuinam mali hypochondriaci essentiam constituunt: & ad explicanda cuncta symptomata clarissimum præbent fundamentum. Confirmant hancce sententiam præter ipsam experientiam, doctissimorum virorum testimonia, quos inter ORTLOBIUM, ETTMULLERUM, NEDHAMILLIUM, WEDELIUM, & CONRIN-

GIUM differt. de morbo hypoch. §. XI. allegasse sufficiat. Tentemus igitur, an ex hac causa sævissimarum molestiarum, quarum luxurians in hypochondriacis est progenies, rationalem suppeditare queamus æthiologiam.

§. XI.

Proximum ergo vitiatum ac labefactum motus peristaltici consecrarium est digestio turbata, chylicatio læsa, sordiumque excrementitiarum excretio impedita. Hinc remanent in canale intestinorum, atque præsertim plicis & flexoris eorundem sese insinuant acidæ, viscidæque cruditates: & status generantur copiosissimi. Quid inde? Sordes illæ mora diuturniori a naturali textura desectunt, & acrimoniam quandam contrahunt, qua nerveam intestinorum tunicam vellicant, & ad spasmodicas stricturas proritant. Stringitur itaque tubus ille in nonnullis locis arctissime, ut nec status transmittat. Ergo hi fluctuant in ea canalis parte, quæ a spasmis vacua est, eamque distendunt mirifice: & sic primum apparet ratio murmurum, borborygmore, ac molestissimarum inflationum. Porro status, inferius exire nescii, posito a spasmis obice, ad superiora magis compelluntur, & tum præsertim occupant colon, & in ejus flexuris, quarum est plenissimum, incarcerantur. Namque sciendum est, quod intestinum colon, præsertim, ubi sub colitis spuris in utroque hypochondrio flexuras format, & cum sacco renum adiposo cohæret, media sui parte longe sit angustius: ibidem vero, maxime in sinistro latere a flatibus frequentissime, & violenter infarcitur, ac in tumorem elevatur, acutissime dolentem, quem falso lienis vitio tribuunt. Continuantibus spasmis, accedente ioverfa peristaltici, & invalescente malo, halituosii illi vapores in ipsam penetrant ventriculi cavitatem, quam ultra modum distendunt, & anxiam inflationem sensibus conspicuam inducunt. Expansus præter naturam ventriculus remoratur liberum septi transversii motum, atque de-

Ratio
symptoma-
tum
flatu-
lentiarum.

Ratio
symptoma-
tum
flatu-
lentiarum.

scen-

scensum: unde fit angusta difficilisque spiratio. Et quod pessimum est, stringuntur sæpius vel sinistrum, vel utraque ventriculi orificia; atque sic in ejus cavitate vapores velut in carcere inclusi tenentur, pariuntque ineffabiles præcordiorum anxietates, & dolores cardialgicos; qui, ubi remittunt constrictiones, & eructantur halitus, insigniter mitigantur.

§. XII.

Ratio
aliorum
symptomatum.

Et hæc est tristis tragœdia, quam flatus, ob destructum ventriculi, ac intestinorum motum peristalticum, copiosius generati pariter ac exitu suo destituti ludunt, & quæ a Græcis per τὴν ἀδύνατον ποσὶν exprimitur. Videndum jam est, quæ mala pariant, cruditates, quæ ex cibis assumtis, atque in ventriculo fermentatis, deficiente vegeta peristalsi, intra ventriculum, intestinum maxime duodenum, ac in plieis coli relinquuntur. Hæ videlicet, ob diuturniorem moram, accedente præsertim in intestino duodeno, bilis ac succi pancreatici copia, corrumpuntur, acescunt, & pessimam inducunt acrimoniam. Inde vellicando causam subministrant spasms, doloribus tensivis, lancinatoriis, torminosis, ac rodentibus, qui ventriculi maxime regionem, & reliquum ventrem, circa umbilicum graviter adstringunt; atque subinde perpetuum flatuum generationi præbent fomitem. Ex hisce porro fordibus, appetitus avidior, nausea, cardialgia, vomendi conatus, ræctus, & vomitus acidissimi suam trahunt originem: atque, cum sub quavis digestionem in vehementiorem motum fermentativum rapiuntur, ratio patet, cur hypochondriaci, sumtis potissimum epulis, pessime habeant. Et denique, cum ob tam continuum intestinorum stimulum, eorum spasmi, cum flatulentis distensionibus reciprocantes suboriantur: luculenter patet, cur alvina excretio in hypochondriacis sit tardior, quin sæpius, tam pertinax adstrictio, ut nec tenuiores halitus, multo minus fœces transire queant.

§. XIII.

Adhuc restant ea incommoda recensenda, quæ in sanguinis motum, ex vitiato motu peristaltico redundant. Quemadmodum enim ex hoc naturaliter se habente, liber humorum ac æquabilis per intestina circuitus conservatur: ita hoc e contrario destructo ac labefactato, circulatio quoque redditur tardior, ac inæqualis. Namque in uno intestinorum loco est spasmus, qui constringit comprimitque simul vasa sanguifera: in altero loco flatus latera tunicarum distendunt, expandunt, & ita quoque graviter premunt adjacentia vascula. Eo vero magis retardatur sanguinis per venam hæmorrhoidalem regressus; cum illa situ prædita sit perpendiculari. Hinc passim suboriuntur humorum stagnationes in tunicis intestinorum; quæ sicuti ex allegata ratione symptomata flatulenti mali esse possunt; ita etiam ejusdem sæpenumero mediatam causam præbere solent; quemadmodum ex infra dicendis clarius adparebit. Inprimis frequentissimum est, ut cruor circa exitum intestini recti cumuletur, & in tubercula, quæ cæcas dicunt hæmorrhoides elevetur, quin sæpius vi perumpat, & in fluxum hæmorrhoidalem, qui tum est symptomaticus, desinat. Ex dicta non minus humorum stagnatione originem suam petunt, excretionum sanguinearum per uterum æque ac venas sedales suppressiones, quæ, malo invalescente, nunquam non fiunt: immo ex eodem fundamento derivare licet rationem excretionum cruentarum, atque nigrarum, per mictum, vomitum & alvum; quas præter naturam in hypochondriacis, malo valde inveterato, contingere, fide dignæ attestantur observationes. De tali excretionem per vomitum, vide RIOLANUM, *anthropolog. Lib. 2. cap. 2.* ADRIANUM SPIGELIUM *Anatom. Lib. 6. cap. 5. per alvum. conf. SOLENANDRUM consil. 7. sect. 2. pag. 122.* & urinam hypochondriaci, intensa rubedine tinctam ipse vidi.

Symptomata ex vitiata peristalsi, in sanguine cursum retardante.

§. XIV.

Ratio
symp-
tomatum
spasmo-
dicorum.

Hæc in ipso intestinorum canale sunt; ex quo, malo invalescente, gravissima symptomata, per totum corpus propagantur, omnesque turbant functiones. Fit hoc mediante consensu, quem omnes universi corporis nervi, nervosæque partes invicem obtinent; & cujus causa spasmi intestinorum, ad alias quoque propagantur remotiores regiones. Ubi vero strictura nervorum est spastica; ibi quoque circulus humorum fit inæqualis: hinc adparet ratio, cur in passione hypochondriaci inveterata in toto corpore fiant spasmodicæ stricturæ, & tardior humorum circulatio. Sic primum in ipso abdomine, partes intestinis vicinæ constringuntur: ob vesicam, ejusque sphincterem male affectum, minguntur urinæ tenues, dilutæ, aquosæ: ob membranas nerveas, renes involventes graviter convulsas, suboriuntur dolores calculi mentientes: spasmi ad pectus devoluti ingentis illius constrictiones, cordis tremores, palpitationes inducunt; ad caput delati, varii generis dolores machinantur; & per corpus denique externum propagati, causæ sunt, extremorum frigoris, crebra- rumque horripilationum.

§. XV.

Origo
mali
hypochon-
driaci.
1. J. Sæpe
hæc.

2. J. Hy-
pochon-
driaci.

Quum itaque in malo hypochondriaco generatur chylus crassus, ac impurus; spasmi per totum corpus grassantur, ac circulatio humorum fit inæqualis, & denique salutares, quæ per alvum, cutim, ac urinam sunt excretiones impediuntur: non fieri potest, quin successive scorbutica humorum increseat dyscrasia, atque sic fiat malum hypochondriaco scorbuticum. Quod si porro sanguineæ excretiones, quæ in sexu sequiori per uterum sunt, sufflamantur, & ideo humores sanguinei vel feminales circa uterum, atque partes generationi inservientes stagnant, accedente præsertim libidinoso temperamento: tunc facillime cum hypochondriacis passionibus compli-

cantur motus hysterici, & malum fit hypochondriaco-hystericum. Si denique crassi viscidique humores, viscosorum, qui imi ventris partes occupant, ad superiores partes, atque caput majori copia compelluntur, & in cenebri valis difficiliter progrediuntur: destruuntur etiam animales functiones, languescunt sensationes, vis memoriæ, ingeniique læditur, insignis est ad mororem, diffidentiam, atque lacrymas proclivitas; vanæ surgunt imagines, ac inanes ideæ: atque sic lentis tandem passibus appropinquat melancholia-hypochondriaca.

§. XVI.

His ample satis, atque copiose, prout rei necessitas postulavit, deductis, deveniendum jam erit ad recensionem earum causarum, quæ mali hypochondriaci mediatae audiunt. Ex illis præcipua, & satis frequens se nobis offert, sanguinis, humorumque vitalium stagnatio, intra tunicas intestinorum nerveas & musculosas, quæ sæpissime debetur eorundem tardiori per hepar circulationi. Hepar est viscus maxime vasculosum, & plures fovet venas, quam quidem arterias: illarum binæ sunt, cava nimirum & portæ vena; & quem fugit, quod posterior, a qua totum intestinorum volumen, ventriculus, mesenterium, lien, pancreas, quin & uterus, nisi omnes, tamen permultos venosos ramos mutuuntur, inverso quasi naturæ ordine, sanguinem ex his cunctis imi ventris visceribus refluxum accipiat, eumque officio arteriæ functura, pulsu tamen ac validiori impulsu destituta, intra hepar vehat, ac effundat? Hinc ratio patet, cur etiam in sanissimo statu, sanguinis per dictum hepatis viscus circulatio, longe sit tardior, ac difficilior, quam ejusdem per reliqua universi corporis viscera progressus. Quæ cum ita sint, non difficile erit cognitu, quare in statu præternaturali, humorum per hepar cursus primum omnium impediatur, atque retardetur. Quo retardato, ac difficiliori,

3. J. Me-
lancho-
lia hy-
pochon-
driaci.

Causæ
mali
hypochon-
driaci
mediatæ.

neceſſe eſt, ut vi legum hydraulicarum, crûor regurgitet ad illa denuo viſcera, ex quibus antea ad hepar iter ſuum direxit. Id circo magis diſtendit vaſa diſtarum partium; maxime vero meſaraica, & inteſtinorum, quorum molles tunicae non adeo fortem poſſident reſiſtentiam: & tali ratione ex impeditori ſanguinis per hepar circuitu, ejuſdem ſtagnatio in inteſtiniſ ſuboritur, quæ tollit ſolidarum, fluidarumque partium æquilíbrium, & tanquam mediata cauſa, deſtruit robur ac totum motus perſiſtatici naturalem; cujuſ deſtructi luxurians progenies ſit paſſio hypochondriaca.

§. XVII.

Hoc eſt fundamentum, ex quo ratio depromi poterit, cur ex malo hypochondriaco, in alias morborum ſpecies tandem tranſmutato, peremptorum cadavera ea oſtendant phænomena, quæ partim ex vitiato humorum per abdomen circulo enata ſunt, partim hunc magis vitiarunt. Sic GUARINONUS *conſ.* 484. venas meſenterici obſtruſtas, & adeo dilatatas in hypochondriaco poſt mortem reperit, ut ſpeciem inteſtinorum præ ſe tulerint. LUDOVICUS MERCATUS *Tom. III. Lib. I. Cap. 17.* vaſa meſaraica admodum varicoſa invenit. BRUNNERUS *Conſil. 7.* ingentem ſanguinis viſcidi ſaburram in venis meſaraicis deprehendit. Porro RHODIUS *Cent. 2. obſ. 76.* colon adnotavit ſcirrhoſum; WELSCHIUS *diſp. de malo hypochondriaco* obſervavit colon totum a flatibus diſtensum, ſub inſertione vero in inteſtinum rectum adeo contractum, ut coaluiſſe videretur. BLASIUS in *Comment. in Veſlingium p. 67.* memoriz prodidit, quibuldam lienis viſcus in immenſam elevatum fuiſſe magnitudinem. Pancreas obſtruſtum fuiſſe, ipſe quandam in viro celebri, ex hypochondriaca paſſione deſuncto vidi; HIGHMORUS *diſquiſ. anatom. pag. 47.* nec non HARDERUS *obſ. 59. p. 242.* illud ſcirrhoſum ac ulceratum obſervavit; ut alia auctorum monu-

Hoff. *Syſt. Tom. VI.*

menta ſilentio prætermittam.

§. XVIII.

Inter cauſas vero remotiores, quæ ad tardioſiorem ſanguinis per hepar progreſſum, & hinc ſubortam ejuſdem intra imi ventris viſcera, & maxime inteſtina ſtagnationem, quam plurimum contribuunt, principem locum obtinent, excretionum ſanguinearum, quæ in ſcæmis per uterum, in viris per venas hæmorrhoidales, tanquam venæ portæ, intercedente ramo ſplenico, ſobolem, contingunt, imminutiones atque ſuppreſſiones. Sic enim ex obſervatione conſtat, viros in juventute largum e naribus cruorem fundere ſolitos, ſi poſt hæc ætate proveſtiori hæmorrhoidalem patiuntur excretionem, quæ tantum non ſemper hæreditariam ſupponit diſpoſitionem, & ad facilitandum ſanguinis per abdomen & hepar circuitum, multum adfert momentum; ex hujus irregulari ſucceſſu, aut plane ſuppreſſione, quacunque de cauſa facta, malum incidere ſtatulentum. Namque cruor abundans, cujuſ moles per hanc excretionem ſalutari plane conſilio imminuta fuerat, hac cohibita, copioſius in abdomine cumulatur, hinc, ob diſtam §. præc. rationem, ægrius per hepar circulatur, adeoque ad inteſtina regurgitans nox ioſiſſimam ſubit ſtagnationem. Eodem modo res ſe habet cum uterina in ſexu ſequiori purgatione; quæ ſi imminuta, vel ſuppreſſa fuerit, crûor accumulatur in arteria meſaraica, exitum affectat per hæmorrhoides, & hoc denegato, regurgitat ad inteſtina, cuſumque humorum per abdomen ſua reddit difficiliorem. Atque adeo in ſequiori ſexu generatur ſæpius malum hypochondriacum, quod facillime cum hæſterico complicatur, ſi ſimul ſanguinis circa ipſum uterum contigerit ſtagnatio. In hiſce caſibus, revocatæ excretionem, ſi tempeſtively fiat, certiffimam mali hypochondriaci pollicentur ſanationem.

§. XIX.

Verum quam plurimæ adhuc dantur cauſæ, quæ motum inteſtinorum

Cauſæ remotiores ſunt excretionum ſanguinearum ſuppreſſiones.

Hæreditaria diſpoſitio.

pervertere, sicque passionem hypochondriaco-flatulentam ingenerare valent. Inter eas præcipua debetur animadversio hæreditariæ dispositioni, quæ consilii in ea partium nervosarum, maxime intestinorum, per nativitatem propagata constitutione debiliore, qua illa ad suscipiendos motus irregulares existunt facillima: ad quam etiam venarum exilitas, ac laxus spongiosusque habitus, quo pollent hypochondriaci, referri merentur. Hæc proclivitas, parentum vitio ad liberos protracta, primum plerumque, sicoti plurimorum morborum, ita præsertim passionum hypochondriacarum, atque fluoris quoque hæmorrhoidalis, præbet fundamentum. Sic parentes hypochondriaci tales generant liberos, atque mater, quæ gestationis tempore, hystericeis motibus cruciata fuit, aut gravioribus animi pathematibus indulsit, parit infantes, qui ætate provectiores ex levissima causa, in flatulentas ac hypochondriacas delabuntur passionem.

§. XX.

*Aeris
frigida
constitutio.*

Neque vero paucæ sunt earum rerum, quas non naturales dicunt, quæ ad generandum malum hypochondriacum aptæ existunt. Ipse aer, frigidus maxime, insignem hoc in casu obtinet potentiam; dum externam corporis superficiem constringendo, humores majori copia ad interiora agit; qui, quo magis cumulantur, eo facilius stagnationem subeunt. Humida aeris temperies vi pollet fibrarum motricium tensionem relaxandi; ex quo hanc ob causam, omnes morbi, qui ex atonia fiunt, & generantur, & incrementa capiunt. Nocet præsertim frigus intestinorum canali, si vel abdomini liberalius admittatur, vel pedibus; quorum intimiorem cum intestinis consensum, illud inter alia docet momentum, quo teneriores, si nudis pedibus stratis, pavimentisque incedunt frigidioribus, mox tormina intestinorum, atque flatulentias patiuntur: quemadmodum FORESTUS *Lib. X. obs. X.* de fratre suo refert. Hinc

ratio patet, cur hypochondriaci æstate longe melius habeant, quam hyeme; nec non cur in regionibus, quæ ad septentrionem vergunt, multo frequentius sit malum, quam in iis, quæ sub cælo sereno ac temperiori sitæ sunt.

§. XXI.

Præter aerem, victus quoque crassior, malo hypochondriaco causam præbet antecedentem. Cibi crudiores, acidi, flatulenti, legumina, horæi fructus, lacticia, acetaria, panificia, præsertim recentia, & adhuc calidiora generant chylum crassum, impurum, relinquunt in primis viis multas sordes, atque motum intestinorum peristalticum insigniter pervertunt; præsertim si vita ab omni corporis exercitatione vacua accesserit. Nocent imprimis cibi, aut minus recte masticati, aut ventriculo, a vix superato morbo, vel alia causa valde debili, iusto avidius ingurgitati. Ex hoc fundamento BLANCARDUS *P. 2. prax. cap. 61.* morbum hunc Frisii, ob piscorum, lacticiniorum & acetariorum abulum pronunciat familiarem, & SIMON PAULI *in quadripart. Botan. pag. 537.* recenset casum de foemina a pane, quem adhuc calentem, & vix e fornace extractum comederat, hypochondriaca. Potus duplici ratione malum illud flatulentum inducere valet; vel si largius ad crapulam usque assumatur, vel si frigidior calenti corpori ingurgitetur. Posteriori casu præsentissimum est malum; in priori diuturniori demum exercitio, tanquam dignum heluonibus flagellum contrahitur. Peccat quoque potus, si adsumatur parvus, aut nimis, isque aquosus, aut spissior, crassus ac sæculentus.

§. XXII.

Frequentissime resultat malum hypochondriacum ex vita otio immerisa, quæ unicam sapius nascentis morbi causam constituit. Quemadmodum enim frequens corporis exercitatio non modo solidarum partium, musculorumque robur ac motum valde promovet, verum etiam humores reddit flu-

Vita sedentaria.

xiores: ita ex hujus intermissione languent vires, prosterntur fibrarum elater, ac humores non vegete circumacti, redduntur spissi. Hæc vivendi ratio eo fit opportunior ad inducendum nostrum morbum, si accedant nimia ac immoderata meditationes, luctationes, atque vigilia, studiorum causa diutius protrahat. Quodvis horum momentorum insignem obtinet potentiam ad infringendum partium solidarum elaterem; maxime cum iis indulgentes, curvo, inflexoque corpore libris quasi incumbere solent; ac inter epulas veluti cum cibis litteras devorare volunt. In hac causa situm est præcipuum fundamentum, quod sceminat otio, & parco potui indulgentes, quodque viri, chartis impalescentes, ac inter libros sepulti, plerumque cruciuntur hypochondriacis pathematibus, & hæc constituent morbum litteratorum.

§. XXIII.

Nec negligenda sunt animi pathemata; ex quibus diuturnus moeror, solitudines præcipuam in generando morbo statulento hypochondriaco vim obtinent. Quanta enim ipsorum sit potentia, in destruendo partium solidarum robore, ac præsertim digestionem pervertenda, quotidiana docet experientia. Ex auctorum medicorum observationibus, huc spectant binæ admodum notabiles; quarum unam HORSTIUS *Lib. IV. pag. 194.* allegat, de viro, quem diuturnus moeror ob obitum filiorum fregerat, hypochondriaco, quin tandem melancholico facto; alteram recenset PECHLI-NUS *obs. 3. l. p. 71.* de sartore, ex adversa fortuna adeo contristato, ut immanes statulentas incideret affectiones. Inprimis hoc loco commemoranda est exitialis efficacia, quam venerarum cogitationum uberior proventus, & inde natales mutuans immodicum, maxime præmaturum venteris exercitium, in debilitando intestinorum ac ventriculi robore exserunt: unde subortum morbum hypochondriacum sæpius vidi.

§. XXIV.

Frequentissime non minus hoc morbo conflantur, qui ex prægressis morbis, præsertim si incongruis medicamentibus, veluti adstringentibus, opiatibus, narcoticis, improvide fuerint tractati, aut quæ ex difficili partu, male transacto puerperio imbecilla retinere corpora: in hisce enim valde languidus est ventriculi, ac intestinorum tonus, qui ab errore diæterico, aut animi affectu graviori facillime prorsus destruitur. Tali ratione sæpius mihi adnotare licuit, homines colicis torminosis, diarrhœa, dysenteria correptos, & non remota materiali causa, crassius adstringentibus tractatos, sensim in molestissimas statulentas ac hypochondriacas incidisse affectiones. Idem malum a gonorrhœa, fluoreque albo, præmature ac pestifero illo magisterio ac saccharo saturni cohibitis subortum, plus simplici vice adnotavi; talemque casum CONSULT. ac RESPONDIS MEIS MEDIC. *Tom. II. Sess. III. cas. 99.* inferui. Et quid est frequentius, quam ex febrium intermittentium inopportuna suppressione, aut improvido corticis Peruviani in ipsis, maxime si subjecta spissis humoribus prædita, vitæ sedentariæ addicta, spasmi que primarum viarum obnoxia fuerint, usu, hypochondriacam generari passionem; quam ex febre quartana subortam recenset HORSTIUS *Lib. 10. obs. 28. pag. 189.* & ego ex tertiana natam haud raro vidi. Nec denique infrequens est, foeminas ex difficili partu, ac male administrato puerperio evadere hypochondriacas. Et, ut uno verbo dicam, quicumque morbi, quæcunque curationes, & quæcunque causæ, motum ventriculi ac intestinorum peristalticum lædere valent, ac destruere, inter causas mali hypochondriaci summo jure collocari merentur; ex quibus adhuc commemoranda sunt purgantia, ac fortiora emetica, repetito propinata, præsertim albetica, & improvidus, nimiusque pilularum, quæ aloem fovent, usus; quibus humores ad animum

Præ-
gressi
notati.

Animi
pathemata.

invitantur, exituque ob deficientem dispositionem denegato ibidem stagnant.

§. XXV.

Mali Superest, ut paucis mali nostri **hypo-** flatulenti, differentiam ab aliis quibusdam morbis, ne cum iis confundatur, atque tum prognosin subnectamus. Quodnam discrimen hoc, & morbum hystericum intercedat, prior Capite satis monstratum est. Sed diximus supra, in nostro malo inversum simul esse motum intestinorum peristalticum: quæ inversio, cum adhuc quorundam morborum causa sit, videndum utique, quæ hos intercedat differentia. Sic inversum deprehendimus motum peristalticum in vomitu, & passione iliaca: sed in vomitu hæc inversio incipit a pyloro, aut forsan intestino duodeno, & per ventriculum, atque gulam ad fauces usque propagatur; in iliaca vero passione vehementissimo spasmus, quin convulsione motus universi canalis intestinalis ac ventriculi, a Sphinctere ani usque ad orificium oesophagi invertitur, cum subsequente demum vomitu stercoreo. Verum res aliter se habet in malo hypochondriaco: namque inversio motus illius vermicularis non nisi certa intestinorum loca occupat, & spatia relinquit libera, quæ sedem præbent flatulentis vaporibus. Hinc adparet ratio murmurum, ac borborygmore, satis magno strepitu in abdomine circum actorum; atque flatuum per omnes abdominis oras, sursum, deorsumque, & ad latera ruentium, matutino potissimum tempore, vel etiam post graves mentis defatigationes, nullo insequente ventris crepitu, vel alvi dejectione sævientium. Scilicet mox certis in locis inclusi veluti, ac incarcerati sunt hi vapores, mox accedentibus spasmis summo impetu ad alia devolvuntur, & hinc tantum sonitum, rugitumque edunt.

§. XXVI.

Discrepat porro passio nostra a Coli-

ca, & hæc sapissime illi supervenit. Namque sicuti illa est morbus longissimus, qui servata interdum accuratissima diæta invadit; ita colica brevior & magis transitoria est affectio, quæ ex vitio alimentorum plerumque provenit, & acutissimis intestinorum torminibus, ac pertinaci alvi constipatione sese exerit, atque hac soluta protinus quiescit; dum in flatulento malo longe plura ac graviora juncta sunt symptomata. Hoc porro probe distinguere meretur a nephritide calculosa; licet enim sæpenumero dolores calculum mentientes habeat comites; tamen nulla calculorum excretio sequitur; & si forsan in urina cernatur sabulum, hoc demum post diuturnam moram, tanquam scorbuticæ dyscrasiæ soboles, ad maturæ fundum secedit. Contra vero nephritis calculosa urinam ostendit, mox post mictionem arenulas continentem, & ex calculorum excretionem cognoscitur. Nec denique simplex quædam flatulentia, quæ ex alimentis, coctu minus facilibus cito generatur, & sumto carminativo sanatur, pro hypochondriaco statim habenda est malo: licet hujus prima rudimenta significare possit.

§. XXVII.

Devolvimur tandem ad suppeditandam nostri mali prognosin. Hoc vero recens, ac sibi relictum plus fere molestiarum, quam repentini exitii habet: at inveteratum difficillimam admittit curationem, & accedente præsertim mala medicatione, aut perverso regimine, in graviora transit symptomata, viscerum obstructions, scirrhus, cachexiam, hydropem, hæticam, & per metastasin in asthma convulsivum, maniam ac melancholiam immedicabilem, polypos lethales &c. quale notabile exemplum recenset ZACHARIAS Lib. III. c. 15. Quod si sustentetur a suppressis mensibus, vel hæmorrhoidibus; his mature vel natura, vel provida arte revocatis, sapissime funditus tollitur. Sed magna opus est circumspexione, ne fluxum hæ-

3) A nephritide calculosa.

4) A flatulentia simili.

Prognosis.

3) A Colica.

morrhoidalem, qui sub ipso morbo, etiam diuturniori symptomatice fit, pro critico ac salutarī habeamus: illo enim malum plane non levatur, cum ab hoc magnum redundare soleat emolumentum.

THESES THERAPEUTICÆ.

§. I.

Indica-
prodes-
curatio-
tis.

Curatio mali hypochondriaci recentioris, uti facilior est, ita paucis absolvitur: ubi vero illud altas jam egit radices, adeo ut humorum motus per totum corpus sit perversus ac irregularis, & solidæ nervosæque partes a tono suo prorsus fere dejectæ existant; non modo ipsæ hæc causæ sanationem admittunt difficiilem, eamque requirunt diuturnam ac constantem; verum etiam ipsa ægrotorum, Pharmacomania laborantium constitutio eam reddit intricatiorem. Namque hi ob tardiorē sanguinis crassi per caput circuitum, inclinant ad continuum metum atque diffidentiam, ideoque summum periculum, quin ipsam mortem semper anxii verentur, atque propterea inconstantes, mutabiles, ac impatientes multos consulunt medicos, variasque assidue appetunt medicinas, quarum farragine in deteriorem magis deficiunt statum. Medicus igitur aggressurus hanc medicationem, moneat primum, ut æger sit constans, patientisque, atque tum sequentes indicationes exsequi studeat; nimirum 1) ut amurcam flatulentam evacuet, sordesque primarum viarum acres, viscidas, biliosas, malo continuum pabulum suppeditantes, corrigat, temperet, ac sensum eliminet. 2) Spasmi consopitis, inversum ventriculi ac intestinorum motum peristalticum, in naturalem reducat ordinem, eundemque languidiorem confortet, ut recta fiat ciborum concoctio, ac chylus, reliquique humores generentur laudabiles ac spirituosī. 3) Stagnantes succos discutiat, circulum sanguinis, uti per abdo-

men, ita etiam per universum corpus reddat æqualem, succosque, facilitatis per urinam ac cutim excretionibus, ab omni acrimonia depuret; 4) ac denique totum partium nervosarum systema corroboret.

§. II.

Priori scopo; maxime in paroxysmis hypochondriacis, aut ubi symptomata præter suetudinem sunt exacerbata, uti quidem post fortiores animi affectus, errores diætericos, vel hyemali ac autumnali tempestate contingere solet, faciendum est satis. Tum vero nullum est, quod in motu intestinorum inverso ad inferiora derivando, spasmi sedandis, atque flatibus, sordibusque eliminandis præfatiorem, certiorē, ac efficaciorē virtutē præstet remedium, quam clysteres. Hi possunt concinnari ex herbis emollientibus, decocto avenæ, florū chamæmeli, summitatum millefolii, oleisque amygdalarum dulcium, anethi, chamomillæ, lini &c. additis speciebus carminativis ac discutientibus, semine anethi, carvi, inque primis cymini. Ab eorum infusione curam protinus ordiri, eosque, cum spasmi intestinorum irritum sæpe numero reddant effectum, aliquoties iterare juvabit; eo magis, si stercora indurata fuerint: quo etiam casu interne oleum amygdalarum dulcium, aut jusculum avenaceum large potare expediet. Nec negligenda sunt alvum demulcentia, ac blande laxantia, oretenus exhibenda: quæ inter omnibus palmam præcipiunt infusa, ex manna, rhabarbaro, cremore tartari, addito roborandi fine, oleo de cedro concinnata. Ios RHODIUS Cent. 2. obs. 2. mali hypochondriaci curationem dato sæpius rhabarbaro feliciter successisse refert. Præsentaneam quoque ac singularem opem ferunt Salia media theriacum, ut Epsomense, Sedlicense &c. Carolinum, si nonnunquam ad drachmam vel ultra cum absorbente, rhabarbaro, corticibus aurantiorum, nitro maritata ex aqua pura copiosiora propinentur. Prostant porro insigniter

Priori
scopo
maxime
in paro-
xysmis
facili-
tate
clyste-
re, &
laxan-
tia.

pass.

passula rhabarbarina, poma borsdorf-
fienfia, aut cocta, aut si tulerit ven-
tricus, cruda, ac pruna laxativa,
quæ in cassum adhibitis variis purgan-
tibus, ægrotos, aliquoties liquata al-
vo sublevasse, confirmat THONE-
RUS *obs. pag. 163.* Nec incongruæ de-
nique sunt pilulæ blandæ balsamicæ, e.
g. pilulæ Solenandri, Cratonis, aloë-
phanginæ, marocostinæ, tartareæ
Schroederi, vel Becherianæ, Strahli-
anæ, aut nostræ: interposito pulvere
aperitivo, vel si acida saburra præsto
est, soli cancerorum lapides, vel ma-
gnesia alba, alvum ducere solent. His
quoque remediis extra paroxysmum,
alvi lubricitas conservanda, sordium-
que generatio præpediendæ est, si per
vices, & mox quovis octavo, mox
quovis decimo quarto die, prout rei
necessitas exigit, exhibeantur.

S. III.

Quæ
erudita
tes tem-
perant
& tras-
mos fe-
dant.

Soluta alvo, ea sit curationis inten-
tio, ut sordes acidas, biliolæque, quæ
in primis viis, præsertim duodeno ho-
spitantur, corrigamus & attempere-
mus. Hoc scopo potimur beneficio pul-
verum absorbentium, præcipitantium,
antispasmodicorum, simul leniter car-
minativorum; qui spasmos quoque de-
mulcent, ac roborando intestina, fla-
tus potenter evacuant. Tales ex lapi-
dibus cancerorum, matre perlarum,
pulvere Marchionis, nitro purificato,
succino præparato, cinnabari, tartaro
vitriolato, arcano duplicato, tantillo-
que castorei &c. parari, & in aquis an-
tispaſmodicis, præsertim ea, quæ ex
floribus chamomillæ cum cerevisia tri-
ticea destillatur, propinari possunt.
Longe vero efficacior eorundem erit
virtus, si cum ipsis viginti circiter gut-
tulæ liquoris nostri anodynæ mineralis
exhibeantur. Præterea huc quoque fa-
ciunt, & sordes impuras, quæ in mas-
sa sanguinea obversantur, per diapho-
resin e corpore proferunt infusa Thei-
formia, matutino tempore in lecto
sorbillanda. Usitatissima, ex quibus
illa componuntur, ingredientia sunt
herbæ melissa, veronicæ, betonicæ,

agrimonia, scordii, cardui benedicti,
summitates millefolii, flores bellidis,
chamomillæ vulgaris, semen fœniculi,
anisum stellatum &c.

S. IV.

Ut porro ventriculus corroboretur,
ejusque vis digestiva restitatur, in u-
sum vocari possunt essentia balsamica,
ac leniter carminativa. Cavendum ve-
ro, ne nimis sint spirituosa, ac humo-
res in organos vehementiores rapiant,
uti ab aquis vitæ, essentiaque stoma-
chicis, quæ vulgo adhiberi solent, cer-
to est metuendum. Securioris effectus
existunt essentia corticum aurantium
bene præparata, tinctura tartari, spi-
ritus nitri dulcis, vel Elixiria ex her-
bis, ac radicibus balsamicis, cum men-
struo lixivioso parata, quale est illud,
quod in Notis ad Poterium descripsi, &
meum viscerale stomachicum; cujus
præclara in affectibus flatulentis & hy-
pochondriacis virtus a longo se jam
commendavit tempore: sed notari me-
retur, horum usum debere esse diutur-
num. Non minimam denique utilita-
tem in ipsis paroxysmis hypochondria-
cis exferunt pediluvia temperiora;
quæ humorum circulo ad externas cor-
poris partes invitando, relaxandisque
imæ ventris spasms egregie velifican-
tur. Hæc parari possunt ex sola aqua
fluviali, cum furfuribus triticeis, flo-
ribusque chamæmeli; nec sint nimis
ferventia, sed temperate calida; qui-
bus pedes paullo profundius immitti
debent.

S. V.

His rite usurpatis, procul omni du-
bio cessabit ac imminuetur paroxysmo-
rum vehementia. Quum autem, illi fa-
cile revertantur, extra illos studendum
est, ut juxta tertiam indicationem
causæ tollantur, stagnationes humo-
rum discutiantur, viscerum obstructio-
nes referentur, humorumque circuitus
per totum corpus reddatur æqualis. Hoc
homine felici curationi viam quasi ster-
nunt, eamque egregie secundant, san-
guinis missiones per convenientes ve-
næsectiones administrandæ. Eas raro

Quæ
vim ven-
triculi
digesti-
vam res-
taurât.

Tertia
indica-
tionis
servi-
vens
chronos.

in superioribus corporis partibus insti-
tuere decet, ne tali ratione, morum
humorum, qui per se obstricturas imi
ventris ad superiora vergit, magis allu-
ciamus eo. Aptissima est venarum in
pede incisio, ex qua pro humorum quan-
titate, plus vel minus cruoris detrahi
oportet. Commodissime vero sanguis
mittitur, vernali ac autumnali tem-
pore circa æquinoctia; vel etiam ne-
cessitate exigente, circa solstitia, ubi
solemniores sunt humorum commotion-
es. Eo felicius erit eorum effectus, si
breui ante alvus blande ducatur, ac ad-
hibitis pediluvii, humores ad inferio-
ra deriventur. Præterea, si adsit dispo-
sitis ad hæmorrhoidalem fluxum, ejus-
que suppressio malum fovet, singulo
mense aliquot hircines sub debita cau-
tione ano sunt admovenda: quo et-
iam casu, pilulæ blande balsamica per
aliquot successive dies cum pulvere
antispasmodico nitroso propinare ex-
pediet.

§. VI.

Præ-
stissi-
mo hoc
scopo
præ-
stidum
in aquis
minera-
libus si-
um est.

Non vero ad referendas viscerum ob-
structiones, acidos ac impuros humo-
res attemperandos, excretiones per al-
vum, urinam & cutim, quin etiam
sanguineas suppressas promovendas,
& sanguinis circulum per totum cor-
pus æqualem reddendum, ex toto re-
mediorum tam pharmaceuticorum,
quam dieteticorum apparatus, cer-
tius, præstantius, ac universalius est
subsidiū, quam quod ex prudenti
aquarum mineralium usu recipere, be-
nigna permisit natura. Circa earum
potationem notari meretur, ne sit ni-
mia, nec nimis diu protrahatur; quo-
niam tali ratione tonum ventriculi ac
intestinorum magis labefaciunt, ac de-
struunt. Corpus quoque probe est præ-
parandum, adeo, ut primarum via-
rum sordes removeantur, humorum
que nimia moles imminuatur: siqui-
dem ipsi quoque potationi interponen-
da sunt blanda laxantia, & conjun-
da corporis moderata exercitatio. In-
ter ipsas porro hæc aquas selectus in-
stitui debet. Fœminis enim, & qui

corporis sunt laxi ac spongiosi, & spa-
tis immaniter divexantur, magis pro-
derunt thermæ, inque his præsertim
Carolina, aut saltem, si ariserint
acidulæ, illæ debent esse calefactæ.
Contra vero sanguineo-phlegmaticis
ac torpidioribus magis prosunt acida-
læ Schwalbacenses, Egrana, Pyr-
montana, & subjectis strictioribus,
agilioribus, cholericsque proficua po-
tius sunt acidulæ Selterana, Spa-
dana, Teustadienses ac Wildugen-
ses.

§. VII.

Præterea summum auxilium a recta
vivendi ratione expectari debet: quæ
si negligatur, omnis reliqua curatio ir-
rita erit, atque frustranea. Ex iis aer
primum seligendus est purior, ac tem-
peratior; evitando frigidum, humi-
dum nebulosumque, & minime in tali
loco dormiendo: neque tamen propte-
rea, metuendo aeris injurias, corpus
penitus ab ejus liberioris usu prohiben-
dum est, ne justo fiat sensibilius, & ex
quavis mutatione tempestatis, eaque
levissima graviter lædatur. Præprimis
autem omne frigus, maxime boreale,
præsertim a ventriculo, lumbis, ac
pedibus sedulo arcendum est; utpote a
quod dictis partibus liberalius admissio,
protinus inflatio ventriculi, dolor
dorsi circa lumbarem regionem, &
intestinorum tormina recrudescunt.
Porro ciborum sit rectus ac medicus
usus; ex illis enim, primis officinis,
a saburra, acris, biliosa repletis, nu-
trientia quoque sunt nocentissima; quo-
niam juxta HIPPOCRATIS effatum,
Sect. 2. aph. X. impura corpora, quo ma-
gis nutriveris, eo magis læseris. Ce-
terum ab omnibus acidis, salitis, fla-
tulentis, oleribus, panificis, pomis,
similagineis, calidioribus, aromatiza-
tis &c. probe abstinendum; nec gulæ
nimium, maxime in cœna indulgen-
dum erit. Namque temperantia ab
illecebris victus summum est morbo-
rum chronicorum remedium; quem
admodum rectissime veteres medico-
rum docuerunt, & CAROLUS
PISO

Videat
ratio.

PISO tract. de morbis a serosa colluvie pag. 241. præclare docet.

§. VIII.

Conve-
nient
potus.

Magna præsertim efficacia in recto potus genere sita est. Onerat ventriculus, eique infensa est omnis fere cerevisia; omnesque potus spirituosus, ac calidiores deprehenduntur noxiosissimi. Vinum verus generosum Rhenanum, vel Burgundiacum bonæ notæ cum aqua dilatum, paucissima quantitate sub epulis concedatur, ad roborandum stomachum; reliquo vero tempore in vicem potus ordinarii seligi debent aut acidula Selterana vino nuptæ: aut hoc nomine præstantissimi usus sunt decocta, frigide potanda; quæ ex radice Scorzoneræ, cichorei, chinæ, salsaparillæ, rasura cornu cervi, vel eboris, radice glycyrrhizæ, herba tardui benedicti &c. parantur: quibus cortices citri, vel aurantiorum addi debent. Subjectis sanguineo cholericis, si tulerit ventriculus, confertiosa aqua pura simplex, quæ sanguinis organum egregie quoque deprimat.

§. IX.

Motus
corporeis.

Omnia remedium genera in allevando malo hypochondriaco, longissime superat motus corporis; qui nonquam a reliqua curatione excludendus est. Hoc enim sanguinis & humorum circulus, atque cum eo transpiratio saluberrima, & universum se & excretionum negotium promovetur, humores redduntur fluxiores, eorumque transitus per hepar insigniter facilitatur; ventriculi & intestinorum motus cum digestionem egregie adjuvatur. Instituere autem illum oportet moderate, atque tum præcipue, ubi digestio absoluta, ac ventriculus a cibis vacuus est, vel equitatione, vel unctione in rheda, vel obambulatione. Ceterum animi pathemata, non minus, ac multiplex remedium farrago, canepes & angue vitari debent. Et in hac commendata victus ratione, si alvi similibertas conservetur, ac statæ repetantur venæsectiones, non modo curandi rectissima via, verum etiam

felicissima methodus præservatoria sita est.

§. X.

Verum mitigatis sic mali hypochondriaci symptomatibus, remotis causis, liberisque omnium excretionum viis, ad præcavendas recidivas, roboratio & primarum viarum, & totius nervosissimi systematis adgredienda est. Tum vero, præter continuatum Elixirii supra memorati balsamici visceralis usum, & observatam rectam victus rationem, locum habent, & præstantissima sunt martialia: quæ stringendo leniter debilitatas fibras, pristinum robur illis restitunt. Hæc optime in forma liquida offeruntur, uti est tinctura martis tartarizata Zvveifferei, Ludovici; vel etiam limatura vel crocus martis in pulveribus commode exhibetur, qualis parari potest ex sæcula radice ari, lapidibus cancrorum, succino, cinabari, arcano duplicato, & croco martis aperitivo, additis olei ligni sassafras aliquot guttulis. Non minus insignem utilitatem præstabit cortex cactarillæ & chinæ, inter pulveres, mox recensitos; potest etiam alius ex radice pimpinellæ, ari, cort. cactarill. auranti, succino, maceis, semine cymini, sale ablynthii, parari, qui blanda balsamica virtute roborat ventriculum & intestina, digestionem adjuvat, & crudiatum impedit proventum. Nec denique parum emolumenti sperare licet a balneis externis martialibus, veluti sunt Lauchstadiensia, Freyenvvaldensia, ac Tœplicesia, potationi Carolinatum subjungenda, quippe quæ totum corpus mirifice confortant.

§. XI.

Nec denique silentio sunt præmittenda externa remedia, quæ in molestis inflationibus intestinorum magnam vim præstant. Hæc inter multiplici edoctus experientia commendare possem emplastrum saponatum Barbette camphoratum, aut antispleneticum Hieronymi ab Aquapendente, ad hypochondria adplicatum. Non minus præclarum operæ faciet pretium, bal-

Roborantia
exple
quarta
indica-
tionem.

Externa
remedia.

Externa
remedia.

samam

sanum meum vitæ, cum binis aque Hungaricæ partibus commixtum; quod bis quotidie, mane pariter ac vespere ventriculo & hypochondriis est inungendum.

Cautelæ, & monita practica.

§. I.

Cur morbus hypochondriacus fere sit immediabilis.

Nullus est morbus, qui majorem ægrotanti pariter ac medenti figit erucem, quam quidem noster hypochondriaco-stultulentus; sitque sæpe numero utriusque culpa, ut ipsius curatio vel diutissima sit, vel plane reddatur frustranea. Ægri enim varietate medicorum pariter ac medicaminum delectantur, ut opus haud raro sit, eos commonere de MONTANI effato, quo dicit: *Fuge medicos & medicamenta, facileque convalesces*. Deinceps Medicorum quoque pauci sunt, qui hujus delicatioris morbi genium probe compertum habeant; & ideo quicquid continent pharmacopolia congerunt, ac ægro propinant damno vix reparabili. Profecto ex fonte pharmaceutico paucissima sunt, quæ levamen nostro morbo afferunt; & fortiora, generosa, atque quæ dicunt heroica, plane veneni instar se gerunt.

§. II.

Vomitoria sua nota.

Ex horum numero primum se offerunt vomitoria; quibus nonnunquam ægri, vel sibi met solis sapientes, vel sæpius medicorum suavis, sibi met consulere volunt, maxime, si ingentibus præcordiorum anxietatibus, ventriculi inflationibus, nauseis molestissimis, vomendi conatibus, obfuscatione ac constrictione hypochondriorum tanta, ut veluti fune compressa, vel pondere quodam infarsa videantur, atque eruptionibus atrociter conflantur. Neque negandum est, quin in tali rerum statu ex leni emetico, aliquod suorum symptomatum levamen persentiscant. At vellem, ut a fortioribus stimulantibus prorsus abstinere; solamen enim, quod adferunt, brevissimum est,

& post se trahunt graviora symptomata. Interim non penitus prohibere licet lenissima vomitoria, ex radice ipæcacuanhæ ac lapidibus cancrorum remittente: nec reformidandi sunt illi vomitus, qui hypochondriacis sæpe numero sub initio potationis spasmus data, thermarum Carolinarum eveniunt; continuato enim potu, & evacuato ex fundo duodeni mucos sponte cessant, & aquarum operatio melior succedit.

§. III.

Quum porro Medico nihil magis curæ cordique esse debeat, quam ut alvum conservet lubricum; caveat, ne acriorum fortiorumque purgantium, scammoniatorum, jalappinorum &c. usu oleum camino addat. Illa enim intestina ad graves immanesque proritant spasmos, humores valde commovent, & relinquunt majorem atoniam, ac contumaciorem adstrictionem. Teneriores, ac sensibiliores nec salia media magna dosi tolerant; iisque magis conferunt alimentata lubricantia, clysteres, mannata ac rhabarbarina. Nec pilulæ illæ polychrestæ, balsamicæ, quæ aloem fovent, omnibus subjectis, nec nimis crebro usu conveniunt; maxime ubi non adest naturalis ad fluxum hæmorrhoidalem dispositio, nec imminuta humorum abundantia; stimulant enim ad intestinum rectum, vanosque conatus, & pertinaciorem stagnationem æque ac siccitatem causantur. Contra ubi suppressus hæmorrhoidum vel mensium fluor malum fovet, præstantissimus usus, si singulo mense per aliquot successive dies exhibeantur: nec alienum erit, illis, si humorum organum excitare videantur, pulverem nitroso-præcipitantem admiscere. In quibusdam, quorum primæ viæ assidue fovent cruditates acidæ, sæpe numero soli cancrorum lapides, aut conchæ præparatæ, alvum movent egregie: dum nimirum cum acido ventriculi coeunt, sal constitunt medium amaricans, quod leni stimulo intestina ad rejectionem sordium exci-

Cautela circa purgantia ac laxantia.

rat: saltem meliori cum fructu, quam ipsa magnesia, adhibentur; quæ absente aciditate, vellicat ventriculum & intestina.

§. IV.

Circa
mannam
&
clysteria.

Quidam occurrunt hypochondriacorum, quibus mannata remedia movent & adaugent flatulentiam; aut etiam vomendi conatus, nauseam, ac vomitus concitant. Tali in casu ab iis abstinere decet, & vel rhabarbarinis, vel clysteribus succurrendum. Nec paucæ inter feminas præsertim reperiuntur, quibus clysteres molestias creant: tum vero illos cum larga oleorum quantitate, componere juvat, & aliquoties iterare, conjunctis oretenus iis, quæ cuicunque pro constitutionis varietate proficua videntur.

§. V.

Circa
venæsec-
tionem.

Venæsectio prudenter administrata, sicuti præstantissimi in hypochondriaca passione usus est: ita hac ipsa nihil deprehenditur perniciosius, ubi inopportuno tempore locoque instituitur. Falsum enim est, ac inconueniens, illam nimis crebro ob suppositam undique sanguinis spissitudinem celebrare velle. Sic quidam, qui nimiam virium jasturam patiuntur, ex justo copiosiori sanguinis missione, in maiorem incidunt debilitatem. Contra quorum vasa sanguine turgent, aut ubi plane sanguineæ excretiones suppressæ sunt; iis omnino largiores profunt venæsectiones; neque vero, quod probe observari meretur, nisi certis casibus in brachiis institui debent. Eo præsertim tempore ab omni refrigeratione, ac victu crassiori cavere expediet; & mentis tranquillitati sedulo studere; ne scilicet ab aere frigidiori salutaris cohibeat perspiratio, aut victu crassiori cruditates in primis viis generentur.

§. VI.

Circa
hirudi-
nes.

Magna quoque in admovendis hirudinibus opus est cautione; ubi enim nulla existit ad hæmorrhoidalem excretionem proclivitas, aut illa fiat symptomatica, tantum abest, ut illam appositis hirudinibus promovere liceat,

ut potius motum humorum in iis locis derivare ac revellere oporteat. Verum si cruenta per anum evacuatio præsto fuerit, & cohibita exitum affectet, & dolores in osse sacro, ac intestino recto urgeant; aut ubi colica torminosa hæmorrhoidalis adfligit; saluberrimus sanguifugarus usus. Sæpius autem necesse est, ut præmittatur universalis humorum per venæsectionem inanitio: nec vana est opera, si loca hæmorrhoidalia fotibus demulceantur, atque tum eo, quo natura eruptionem hæmorrhoidalem molitur, tempore selectæ hirudines adponantur.

§. VII.

Circa motum corporis, ut desideratam præstet opem, notandum est, quod sub aere leno, ac amico institui debeat, ne ab externo frigore plus damni contrahamus, quam ab exercitatione emolumenti speramus. Neque sit impetuofus, sed moderatus, per gradus continuatus, ad lenem usque corporis incalcescentiam: & probe dispiciendum, ut tum moles humorum sit imminuta, ac alvus aperta, ne sanguis nimium exæstuet. Nunquam fiat statim a pastu: id quod imprimis de equitatione ac vectatione tenendum est: quoniam his succussionibus flatulentæ exacerbantur molestiæ. Commodissimum tempus est vel matutinum, haustus antea aliquot infusi calidioris vasculis, vel vespertinum, si digestio fuerit absoluta.

§. VIII.

De potu nihil absolute certi determinari potest: sed quilibet explorare debet, qualis sibi sit proficuum. Quidam ex cerevisia leviori, secundaria optime habent; neque ideo ab ejus usu prohibendi sunt. Nonnullis aqua pura frigida, vel sola, vel cum cinnamomo decocta ingentem præstat utilitatem: hinc nec dissuadenda est. Ubi concurrat scorbutica humorum diathesis, reopurgatis primis regionibus, non modo serum lactis, si tolerit ventriculus, insigniter confert, verum etiam ipsum

Circa
corpo-
ris mo-
tum.

Circa
potum.

las.

Iac cum acidulis Selteranis commixtum loco curæ adhiberi potest. De acidulis adhuc notandum probe est, quod in iis, qui spasms vehementioribus agitantur, aut cardialgia gravilaborant, minime potari debeant frigida; quoniam frigus nervis est valde infensum. Præstat tali in casu vel thermis, vel acidulis tepesactis uti. Inter vina denique cuncta acida, veluti Rhenanum ac Mosellanum recentia aciditatem ventriculi augment: contra vero moderatus veteris Rhenani, aut Burgandiaci, quod bonæ notæ est, aqua diluti usus concedit potest.

§. IX.

Quia nunquam fere non corrupta phantasia huic sævo morbi generi conjungitur, & non parum ejus contumaciam auget; prospiciendum est, ut omnis præcindatur occasio, quæ animum turbare queat. Principem hac ratione locum obtinent animi pathemata; quæ nisi temperentur, omnem reliquam curationem reddent frustraneam. Deinceps suadendum est confortium amœnum, & quacunq; fieri possit ratione, recreandus est animus. Quare etiam triplici modo hypochondriacos solantur itinera ad thermas potissimum, aut acidulas instituta; dum nimirum exercitationi corporis, mutationi aeris, gratisque consortiis occasionem præbent, & ipsa sui virtute corporis vitiis opitulatur. E contrario dissuadendæ admodum sunt lucubrationes, ac meditationes nimix, quæ præprimis sub pastu, & brevi ab eo fiunt; quoniam certe experientia constat, digestionem ciborum a mentis diuturnis fatigationibus maxime perferri. Litteratis vero, qui penitus a mentis laboribus sibi temperare, vi muneris haud possunt, præter motum corporis, ad præpediendam statuum ac cruditarum generationem, non præstantius ulla medicina fert auxilium, quam elixirum nostrum balsamicum, in Notis ad Poterium pag. 186. descriptum vel temperatum nostrum viscerale.

§. X.

Quando Melancholia passioni hypochondriacæ supervenerit, ita ut furibundi etiam immineant impetus, quod non raro evenit: tunc non præsentius, neque certius auxilium est, quam balnea temperate calida, ex aqua dulci paranda. Quemadmodum enim horum affectuum melancholico-maniacorum fundamentum, in corporis exterioris ac inferioris spasmodica constrictione, humorumque impetuosiore ad caput raptu potissimum, situm est: ita in spasms relaxandis & æquali humorum circulo restituendo, nihil superat vim dictorum balnearum. Conjungere etiam juvabit potum acidularum, & sanguinis missionem tam e pedibus, quam subinde ex naribus instituire.

§. XI.

Magnæ famæ, laudisque in morbis hypochondriacis sunt martialia remedia: quæ vero sicuti jussu adhibita magnam utilitatem inferunt; ita nulla temporis, ac reliquarum circumstantiarum ratione habita, noxam pariunt certissimam. Quod, si enim spasmodorum adhuc urgeat ferocia, viscerum præstosus obstructio, alvi segnities, humorum abundantia, primarumque viarum cruditates restent; abstinendum ab eorum immoderato usu; quoniam tunc facilis est in cachexiam transitus. Verum quando remiserunt spasmi, moles sanguinis imminuta fuit, tunc excretiones liberiores efficiendo, singularem pollicentur efficaciam; sed cum sufficienti liquidorum diluentium copia offerri, simulque corporis exercitatio imperari debet. Quibus deest occasio acidulis utendi; iis proderunt juscula, ex radicibus aperientibus cum tinctura martis Zvveifferei, vel cydoniata, vel pomata commixta, jussu dosi & crebro usurpata.

Cautela circa martialia.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

Pessio
hypo-
chon-
driaca
ex sup-
pressa
febre
tertian-
na.

VIr sex & triginta annorum, annuo abhinc tempore incidit in febrem tertianam, quæ usu corticis chinæ sublata quidem, sed decimo quarto die reversa, quinquies hanc scenam lussit, ita, ut semper dicto die recideret, semperque dicto remedio supprimeretur. Tum excepit dolor dextri hypochondrii circa costas spurias, ad sinistrum quoque latus excurrens; nec remittebat post varia remedia, etiam martialia ipsi propinata. Accedebant potius cordis palpitatio, spirandi difficultas, inclinatio ad vomitum, maxime post iram, a qua semper pessime habebat; jungebantur porro æstus, vertigo, gravitas in capite, visus obscuratio, præsertim in dextro oculo, qui quasi humore lento obsessus conspicitur, & obversantes cernit imagines. Præterea nares sanguinem quandoque stillant; dolor vehemens cum frigoris sensu, lumbos, spinamque dorsalem vexat; flatulentis plenum abdomen, quarum excretio malo infert egregium levamen: non minus artus, pedes manusque vagis tormentis distrahuntur; saliva est viscosa, ac salsa; & urina, quæ remittente paroxysmo turbida mingitur cum sedimento, sub ejus vehementia fertur alba, tenuis, & clara. Meæ tandem curæ se commisit æger; cui dedi pilulas meas balsamicas, bis quavis septimana sumendas: & sub epulis propinavi essentiam corticum aurantiorum, cum elixirio nostro viscerali mixtum, ad quinquaginta guttas capiendum. Mane potari jussi infusum theiforme ex summitatibus millefolii, floribus chamæmeli, aniso stellato, corticibus aurantiorum, & ligno sassafras confectum; vespere circa somni tempus ordinavi pediluvia, & crebrum corporis per equitationes motum. Paroxysmo invalescente exhibui pulve-

rem nitroso-temperantem: hisque medicinis effectum est, ut æger præsentissimum solamen inveniret.

Epicrisis.

Egregia sunt, quæ ex hac morbi historia in usum medicum trahi possunt, momenta: 1) Febres intermittentes, etiam tertianæ male tractatæ, & inopportune per adstringentia, corticemque Peruvianum suppressæ, post se trahunt malum hypochondriacum, spasmodico-flatulentum. In hisce febribus enim, ob sentinam quandam acrem, acidam, biliosam, in duodeno hærentem, jam præsto sunt irregulares partium nervosarum, maxime ventriculi ac intestinorum motiones. Quando vero, non remota, quæ peccat materia, adstringentes propinantur medicinæ: augentur spasmi, noxia saburra, altius ac firmius in viscera, ac plicas intestinorum impingitur: humorum circulus fit irregularis, hique stagnantes flatulento spasmodicum inducunt malum.

2) Data improvide sub morbi initio, nec liberis excretionum viis, nec eliminata adhuc primarum viarum saburra, martialia, adauxerunt magis partium inferiorum & abdominis spasmos. Hinc seci vitales, majori copia ad partes superiores, pectus atque caput compulsi, irritando nervosum genus, cordis palpitationes, anxietatem, spirandique difficultatem, in capite vertiginem, capitis dolorem, obnubilationem oculorum, ac cruoris e naribus stillicidium produxerunt.

3) Spasmi hypochondriaci, si fuerint recentes, convenienti medicina funditus, brevique tempore expugnari possunt: si nimirum alvum moliamur, status discutiamus, æqualem humorum circulum, & salutare excretionem promoveamus, ac robur intestinorum, nervosque generis confortemus. Contra vero si hæc mala, temporis vetustate, in habitum transierint; difficili-
omni-

omnino ac diuturniori opus est medicatione, quæ vix alia via ac decenti aquarum mineralium tam interno quam externo per balnea usu obtineri poterit.

OBSERVATIO II.

Passio
hypochondriaca
cum gravi
tremore.

Generosus vir, annorum triginta, temperaturæ sanguineæ, habitusque corporis spongiosi, in aula multis corporis animique fatigationibus aduersus, animi hilarioris, & ad melancholiam nunquam vergentis, & hætenus sanitate illibata gavisus, incidit aliquando in gravem terrorem; dum scilicet sub venatione, repente ex equo lapsus, vehementique in nucha ac scapulis dolore affectus, sibi persuadebat, exitialem capiti vel cervici illatam esse læsionem. At postquam ad se rediit, seque ab omni labe immunem sensit; venando continuavit sub aere frigidiore, atque redux, vino calidiori Rhenano copiosius indulgit. Ab eo tempore male habere cœpit, & his potissimum angebatur molestiis: languor totum corpus occupat; alvus pertinaciter obstructa, & abdomen continuis flatibus, ructibusque plenum est, vexant vertigo, dolor capitis gravativus, somnus inquietus, anxiusque turbatus insonniis; animus perpetuo angore afficitur; insignis præcordiorum urget anxietas; mane plerumque, post nauseam, ex ore eructatur lymphæ acidissima, dentes stupefaciens; & urina mingitur mox clara, mox saturata. Adhibuit multos medicos, insignemque remediorum hausit farraginem; sumisit purgantia, martialia sicca pariter ac liquida, quin thermas quoque potavit & acidulas: neque tamen minus in dies exacerbantur symptomata, & ultra annum jam inhæserunt. Tandem nostram imploravit opem; & cum ipsum nimia humorum mole abundare viderem, primum venam in pede curavi secandam; tum crebra commendavi pediluvia; mane potandum dedi infusum aliquod theiforme; & sub epulis essentiam corticum aurantiorum, & vesperi pulverem præci-

Hoff. Syst. Tom. VI.

pitantem. Non minus bis quavis hebdomade propinavi pilulas balsamicas; & omnem aliorum remediorum usum interdixi; quibus factum est, ut ad pristinam rediret sanitatem.

Epicrisis.

Discimus ex hoc casu, quod homines rectissime valentes, sanguinei ac valde hilaris temperamenti, sine ulla præcedente viscerum labe aut obstructione, aut sanguinis excretionē suppressa, ex solo vehementi terrore, & gravioribus diætæ erroribus, in malum hypochondriaco flatulentum repente possint incidere. Nota mihi sunt plura ejusmodi exempla, ubi homines ex sanis vegetisque protinus facti fuerunt hypochondriaci; ob nullam aliam causam, quam si post sumpta fortiora purgantia frigidum potum hauserunt, animi affectibus indulserunt, aut vino facti frigidum aeri corpus commiserunt; aut ab hoc crapulis se polluerunt. Horum enim momentorum, maxime si plura simul complicantur, tanta est efficacia, ut unita vi nervorum genus, & maxime delicatissimas ventriculi ac intestinorum tunicas, insigniter lædere, earumque robur destruere valeant. Talis affectus meretur dici idiopathicus; ubi morbus, salvis humoribus pariter ac visceribus, protinus a vitio canalibus alimentaris incipit; qui congruis medicamentis sub initio facile expugnari, & in prima veluti herba suffocari potuisset. At postquam invaluit, atque labe ad solidas & fluidas partes propagata fuit: quorsum purgantia, martialia, intempestive data, aquæ minerales, non habita alvi, plethoræque ratione adhibita; aliaque remedia plurimum contulerunt: temporis utique beneficio opus fuit, ut blandis subsidiis atrocis huic malo succurrere potuerimus.

OBSERVATIO III.

Vir nobilis, duos ac triginta annos natus, temperamenti sanguineo

Hypochondriaca

H

phleg.

passio
a diar-
rhœa
opiatâ
suppres-
sa.

phlegmatici, carnis spongiosæ, ac laxioris, tenerrime, & sub delicato. vivendi genere educatus, alvi expeditionis, omniumque expertus morborum, elapso abhinc anno, per aliquot hebdomades strenuis interfuit computationibus, multumque vini acidi Franconici ingurgitavit. Hinc alvi corripitur profluvio, quod dati a Medico pulveres opiatâ, quorum viginti quatuor, quavis hora unum capiendo, sumserat, mitigarunt quidem, non vero penitus supprefferunt. Incidit potius in molestias hypochondriacas; quæ ingentibus præcordiorum anxietatibus, pathematibus imi ventris spasmodicis, & flatulentis, horborygmis, inflationibus, mala digestionem, virium languore, somno inquieto, animique perturbationibus, interdum deliris sese exerebant. Consulti sunt plures medici, qui omnes hypochondriacam passionem accusantes, mox martialibus, & calidioribus stomachicis; mox volatilibus ac aromaticis illam oppugnarunt. Sed irrita erat omnis opera; continuabat alvi fluxus, horrendis stipatus doloribus, & dejectiones paucò muco, anum corroden- te permixtæ, quinquies, vel pluries quotidie urgebant, conjunctis ructibus acidissimis, & fere corrosivis. Infestabant insuper tormina intestinorum flatulenta, explosis per anum halitibus paulisper allevata: & hæc scena per binos ludebatur annos. Secata fuit in pede vena; datæ pilulæ Becherianæ, cum salibus aperitivis, & absorbentibus; potæ quoque acidulæ Schwalbacenses: sed malum eludebat cuncta, nisi quod a novissime dictis acidulis, aliquale, at non diu durans levamen perceperit. Sumebat potius majora incrementa; vigeat quidem adperitus, sed cibi indigenti egeruntur; atque mane pariter ac peracta concoctione post insignem anxietatem, phlogosin, & extremorum refrigerationem, eructatur lymphæ, instar aquæ fortis corrosiva: oris est assidua siccitas, bibendique desiderium; & notabile est, quod interdum circa vespèram, ubi externa

frigent, calor & sudor in dorso observetur. Ceterum scire licet, quod ab usu martialium pessime habuerit; tantam enim exinde spirandi incidit difficultatem, cum extremorum frigore, ut sæpius suffocari videretur. Postquam tandem nostræ tradiderat curæ, ano, ob insignem qui adparebat ibidem tumorem, hirudines applicari jussimus; tum sub epulis dedimus Elixir nostrum viscerale; peracta digestionem sumentum suavisimum pulverem præcipitantem, cum cortice cascarillæ, ossibusque lepiæ confectum. Propinavimus insuper infusum theiforme, mane sorbendum; decoctumque conveniens pro potu ordinario; & alternis diebus pilulas antispasmodicas, ex extractis florum millefolii, chamomillæ, sagapeno, opopanax, myrrha, croco, castoreo paratas exhibuimus. Horum usus, adjunctis recta victus ratione, fontiumque Schwalbacensium potatione, cum per aliquod tempus insisteret æger, divina favente gratia insigne mali hujus allevamentum est expertus.

Epicrisis.

Hoc morbi genus, quod est hypochondriacum cum lienteria mixtum, destructum ventriculi ac intestinorum tonum, pro vera ac proxima agnoscit causâ. Destructio autem illa primas origines traxit a nimia vini Franconici acidi potatione; & subinde per copiosa ac improvide data opiatâ majora sumisit incrementa. Omnia vero hæc non obsticissent, quo minus convenienti medicatione malum adhuc recens facillime debellari potuisset: at quum varia, atque incongrua passim remedia, maxime martialia, nimia quantitate fuerint usurpata, non potuit omnino æger cum morbo in gratiam redire. In cura, quum nimium debilitatus esset, nullam venæsectionem instituendam curavi; at, ut humores ob summam intestinorum ataniam in iis stagnantes imminuerem, & tubercula hæmorrhoidalæ, quæ fiebant

bant symptomaticæ, discuterem, iussi sanguifugas adponi; atque tum præcipuam medendi curationem, ad robur intestinis ac nervoso generi restituendum direxi. Docet quoque hæc morbi historia, quod ex sola motus peristaltici intestinalis per causas externas facta destructione hoc malum fieri possit; cum multi nostri temporis sibi persuasum habeant, sanguinem in venis melsaratis & vena portæ spissum stagnantem, & qui non exitum habet per venas hæmorrhoidales, unicam esse hujus affectus causam; sed, quod sæpius animadverti, conatus ad hæmorrhoidalem fluxum & difficilior sanguinis per hepar transitus perversum intestinorum motum peristalticum demum subsequitur.

OBSERVATIO IV.

Hypochondriaca affectio ex febre acuta ter tolerata.

Judæus quinquagenarius, temperamenti melancholici, elapsis jam quatuordecim annis, febre acuta, ter in uno anno recidente, confectus, largissimum ferme disfluxit sudore. Unde non modo omnium virium insignem passus est jacturam; verum inde in magnam ventriculi ac intestinorum incidit debilitatem. Namque ab eo tempore gravia imi ventris tormenta, atroces sub costis spuris in dextro latere dolores, crebram vertiginem, animi defectionem, visus obnubilationem, anxietatem præcordiorum, tremores & palpitationem cordis, alvique segnitiam pati cæpit; quæ accedente obitum filii, gravissimo mero, magis invalescebant symptomata, mentisque angore, ac turbata phantasia stipabantur: atque demum cæcæ jungebantur hæmorrhoides. Contra hæc mala descendebat in balnea frigida; sed quum ex his contumaci afficeretur singultu; ad usum acidularum Schwalbacensium confugiebat; ut reliqua, quibus usus est, medicamina silentio prætermittam. Quæ cuncta, quoniam haud respondebant votis, meam tandem requisivit opem. Omnis ergo cura

fuit, ut universam sanguinis & humorum massam emendarem, chyloque blandam conciliarem spirituscentiam; atque hanc ob causam tonum ventriculi confortarem. Et huic scopo non inveni præstantius medicamen, quam Elixir meum viscerale balsamicum; sed, quod probe notandum, diutissime adhibitum. Præterea vero exactam dietam, rerumque non naturalium observationem imperavi; & ob acrimoniam primarum viarum lapides canerorum cum aliis præcipitantibus mixtos dedi; alvo propexi pilulis balsamicis, sanguinis molem per venæ sectiones imminui; exercitationem injunxi, & denique thermarum internum pariter ac externum commendavi usum. Quibus cum diu, patienterque uteretur æger, bene valuit.

Epicrisis.

Præsens morbus ex tono ventriculi & intestinorum, totiusque nervosi generis, per febrem acutam, ter recidentem, copiosisq; sudoribus stipatam, destructo, suam traxit originem. Namq; per hanc febrem non modo solida partes nimis debilitatae fuerunt; verum per copiosos sudores fluidior & spirituosa pars sanguinis deperdita, & reliquus cruor spissior redditus fuit. Inde ob languidiorem intestinorem tonum & motum digestio vitiata, alvi excretio turbata, ac sanguinis per hepar circuitus tardior est factus; quæ vitia, quia non tempestive fuerunt oppugnata, majora sensim ceperunt incrementa, & ob inæqualem per universum corpus humorum cursum, spasmi & distractiones ad omnes fere partes nervosas sunt propagatae. In primis hæmorrhoides cæcæ, quæ tandem supervenerunt, non nisi pro symptomaticis, & ex stagnatione sanguinis in extremis vasibus propullulantibus sunt declarandæ; neque adeo ad eas promovendas hirudines convenerunt. Neque etiam mirum est, quod ex balneis ac acidulis frigide, spasmi nondum compositis, nec præparato antea corpore, potius invaluerunt symptomata, & præ-

fercim singultus accessit: omne enim frigus nervis est inferum, & spasmodicas affectiones insigniter urget. Contra, ubi vehementia mali congruis medicinis mitigata, ac corpus probe præparatum, eadem acidulæ, quæ antea nocuerunt, præstantissimum tulerunt levamen. Neque ego, quod bona fide testari possum, in hoc longo & pertinaci malo vel mitigando, vel debellando, vel graviori periculo avertendo, securius & præsentius remedium vel auxilium deprehendi, quam post convenientem aquarum mineralium & balnearum usum in exquisito vitæ regimine, moderata diætâ, motu & exercitatione corporis, & temperatioribus stomachicis, quæ virtutem intestinorum peristalticam placide roborant, status discutunt, & alimentorum dissolutionem promovent.

OBSERVATIO V.

Passio
hypo-
chon-
driaca
duratur
na a vi-
ta seden-
taria.

Vir quadragenarius, melancholicæ constitutionis, ex vita sedentaria, atque continuis & inopportunis lucubrationibus per viginti jam annos contractum patitur malum hypochondriacum: quod ipsum præcordiorum anxietatibus, pectoris & septi transversi compressione, dolore inflativo hypochondrii sinistri, alvi obstructione contumaci, atque insigni mentis angore primum cruciavit. Accessit autem decennium hæmorrhoidalis fluor, & abhinc sæpius adparuit; nullam vero prorsus malo tulit operam; sed illud potius novis symptomatibus, nimirum cordis palpitatione, dolore capitis, cervicisque, & podagricis demum insultibus fuit augmentum. Tempestate horrida existente, flantibusque potissimum ventis septemtrionalibus, cuncta mirum in modum exacerbantur: quando artus extremi, manus atque pedes, succis antea turgidi, horrent, detumescunt, vasaque disparent, certum est indicium, in propinquo esse paroxysmum; quod si vero dictæ partes naturalem colorem ruboremque recuperant, protinus remittunt symptomata. Notatu quoque dignissi-

imum est, quod si dolores artus externos vexant, caput pectusque eorum immunitate gaudeant; at si dolor extrema deferit, majori sævitia pectus caputque afficiuntur. Cæterum adpetitus viget, & sæpius iusto est avidior.

Epicrisis.

Exhibet hæc observatio quædam momenta, quibus peculiaris utique debetur animadversio. 1) Nimirum docemur exinde, fluxum hæmorrhoidalem non semper præservare, vel sublevare passionem hypochondriacam, vel podagricam. Enim vero si hic fluor ante mali invasionem rite successerit, & ab hujus suppressione morbus excitatus fuerit; certior spes est, fore, ut ab ejus revocatione morbus mitigetur ac sæpius tollatur. Quod si vero hæc cruenta evacuatio, in subjectis minus dispositis, ex ipsius diuturni morbi causa, symptomatice concitata fuerit, uti in præsentia casu factum est, spes salutis inde expectanda relinquatur sane angustissima. Interim ex hæmorrhoidibus vel cecis, vel fluentibus, malo hypochondriaco supervenientibus, ea semper sequitur certissima conclusio, quod humorum in intestinis stagnatio nimium increverit.

2) Attendendum quoque, illud est momentum, quod Syndrome symptomatum aucta fuerit ab intemperie aeris & cœli frigida: namque in passione hypochondriaca inveterata tanta adest generis nervosi imbecillitas, ut a quacunque vel levissima externa causa in præternaturales & irregulares conjici possit motus. Sic observamus sæpenumero, a cibo inflante, haustu vini acidi, aere horrido, vel sæpius aura tantummodo frigida, leviori animi motu, vel medicamento nimis activo, protinus recrudescere sopitos hæcenus motus. Quare ea probe tenenda est cautela, ut, si causas materiales removimus, ac motus irregulares sedavimus, summo annitamur studio, quo genus nervorum rursus confortemus.

3) Nec denique illud silentio est præ-

prætereundum, quod, spasmodis ac doloribus exteriores corporis partes occupantibus, interiores ab iis sint immunnes; his vero spasmodis infestatis, exteriores partes vacuitate dolorum gaudeant. Ex hoc phænomeno illud singularis usus in præxi eliciendum est, quod in ejusmodi hypochondriacis spasmodis, artus externos verantibus, canepejus & angue vitanda sint omnia ea, quæ facultate ab exterioribus ad interiora repellendi pollent; cujus generis sunt refrigerantia, ipsum frigus, anodyna, narcotica, saturnina, vel etiam spirituosæ linimenta exterius applicata; nec non interna, quæ stimulant intestina, eorumque tormina inducunt, uti sunt purgantia, emetica, potus frigidus, fructus horæi &c. Contra vero profunt, quæ transpirationem augment, & contractam cutim relaxant, ejusque spiracula patula servant.

OBSERVATIO VI.

Per litteras pronuper opem meam requisivit vir quidam litteratus, consiliarii munere fungens, annorum triginta septem, temperamenti cholericosanguinei, corporis paullo habitioris; qui juvenis sapius, multumque cruoris e naribus fundere suevit, atque ceterum sub laeta diæta, ac intercurrentibus in vini potu excessibus, non obstante insigni plethora, illibata gavisus fuit sanitate. At per sex circiter annos, post prægressum diuturnum inegorem, accedente vita sedentaria, passionibus hypochondriacis adfligi cepit, quarum hæ potissimæ sunt. Urgent per intervalla flatulentæ imi ventris distensiones, tanta ferocitate, ut accedant vertigines, sudores frigidi, & animus ad cuncta negotia reddatur torpidus, & anxius. Sub costis spuriis in sinistro maxime hypochondrio gravativus, mox tensivus sentitur dolor, qui sapius ad femur totumque pedem, cum hujus quadam stupiditate excurrit, & calculi renalis suspicionem movet. Junguntur tinnitus, susurresque aurium;

Hoff. Syst. Tom. VI.

alvus plerumque sicca, & ciborum appetentia mox dejecta, mox avidior; sed a pastu male habet; atque urina mingitur pauca, cum crebro stimulo. Quatuor abhinc annis asthmate quasi convulsivo prehendebatur, in febrem quartanam desinente. Ab hac diu durante, tandem per insignem terrorem ob magnum urbis incendium subortum, liberabatur, & ab eo tempore cuncta symptomata acerbiora sentit. Inprimis status ructusque multam crucem figunt; artus externos sæpenumero spasmodicæ ac fere convulsivæ torquent agitationes, noctesque somno ideis terrificis pleno, sudoribusque copiosis stipato transiguntur. Consuluit varios frustra medicos, quorum hi malum hypochondriacum, illi renem vitium accusarunt. Ego vero commendavi, ut venæsectiones ter quotannis celebrandas curaret; pro potu ordinario decocto convenienti uteretur; a pastu tincturam corticum aurantium fumeret; alvum per pulverem rhabarbarinum servaret apertam; aurium, ac temporum regionem balsamo vitæ inungeret, ac denique thermas Carolinas sub debito regimine adhiberet.

Epictetis.

Viri sanguinei temperamenti, ob nimiam sanguinis abundantiam, si nec convenienti detractioe per sectam venam, nec decenti corporis motu & abstinentia eam minuunt, quam facile a gravi & diuturno mœrore animi in malum hypochondriacum incidunt. Nihil enim est, quod tam subito vim ventriculi & intestinorum digestivam & peristalticam debilitare & deprimere valet, quam gravis in animo conceptus dolor & assidua ejus per profundas cogitationes fatigatio. Canalis vero hujus nervosus, & membranacei atoniam, progressus contentorum languidior, humorum stagnatio, & ex hac propullulantes flatus & borborygmi, presso pede sequuntur; quippe qui vim suam quasi

Vassio
hypo-
chon-
driaca
diutur-
no mœ-
rore or-
ta, &
suppres-
sa per
terrorē
quarta-
na sus-
tenta.

maxime in intestino colo, quod in hypochondriis situm suum habet, ejus tunicas distrahendo, distendendoque ex-
ferunt. Flatus vero in intestinorum flexuris incarcerati cum violenter nervos-
as partes afficiunt, omnino reliquorum
acerbiorum in diffitis partibus sympto-
matum & formalem & materialem,
præcipuam etiam in nostro casu causam
continent. Quare etiam potissima
medendi intentio in eo reposita est, ut
omni modo & cura deperditum intes-
tinorum naturalem & saluberrimum mo-
tum restituamus, & in hunc scopum
omnium remedium tam dietetico-
rum, quam pharmaceuticorum virtu-
tem & operationem dirigamus.

OBSERVATIO VII.

Malum
hypo-
chon-
driacum
hæredi-
tarium,
variis
gaussis
adau-
ctum.

Comes quidam illustrissimus, anno
um quadraginta duorum, habitus cor-
poris spongiosi, ac animi sensibilioris,
hilaris, & temperamenti sanguinei,
juventutis suæ annos, mobili vitæ ge-
nere ac crebris peregrinationibus, sub
illibata quidem sanitate transegit; at
tamen a flatulentis molestiis, utur le-
vissimis, quas per hæreditatem a ma-
tre, iisdem passionibus misere cruciata
acquisivit, nunquam prorsus immunis
vixit. Verum per aliquot annos, cum
vitæ genus sedentarium, crebra excan-
descencia, plerumque suppressa stipa-
tum agere cœpisset, variis flatulentis ac
spasmodicis affectionibus infestatus fuit.
Præsertim elapso circiter anno, & quod
excurrit, de spasms in sinistra colli-
parte, doloribus illius lateris ardenti-
bus, atque stupore paralytodeo, oculo-
rum caligine, molestisque ructibus
conquererebatur. Contra hæc mala tan-
dem iussu medicorum, vena in pede se-
cata est, tam felici successu, ut & oculo-
rum obscuritas, & spasmi colli, sinistri
que lateris stupor remitterent, nisi quod
sub aspero cœlo interdum recurrerent,
& ciborum cupiditas dejecta maneret.
Hanc restauraturus Elixir stomachi-
le adhibuit; sed cum sub hujus usu
cœcæ accederent hæmorrhoides, in-

signiter ardentes, illud omisit, & has
oleo verbalci feliciter expugnavit. Ne-
que tamen minus vehementes ossis sa-
cri dolores, post lapsum in illud os,
exacerbati, cum spasms hypochondriacis,
graviter exercuerunt Comitem
perilluitem. Usus hinc est acidulis
Egranis per octodecim dies; quibus do-
lores hæmorrhoidales quidem sunt de-
debellati; at hypochondriaca passio ab-
hinc majora cepit incrementa. Nam-
que a levi animi & corporis motu,
multo magis sternutatione, pessime
habet, flatum cum sonitu, ac dolore
acutissimo ab uno latere ad aliud de-
volvuntur, & incarcerati summam in-
terunt anxietatem; adeo ut novissime
melancholici quid accedere videatur.
In hoc rerum statu commendavi, ut
ter quotannis vena in pede, vel si cœ-
cæ forsitan adparuerint hæmorrhoides,
in brachio tundatur; dein sub epulis
octoginta Elixirii visceralis guttæ ca-
pantur; vesperi vero ex haustu aquæ
frigidæ liberaliori, vel pulvis præcipi-
tans, nitrosus, rhabarbarinus & de-
tersivus, vel liquor anodynus ad quin-
decim guttas sumatur; & externe hy-
pochondriis emplastrum saponatum
Barbette, bene camphoratum impo-
natur.

Eptetis.

Quando hypochondriaci sanguineæ
constitutionis, doloribus & spasms in
capite & partibus inferioribus afficiun-
tur; causa non tam in catharrali deflu-
xione, vel sero acri stagnante, sed potius
in sanguine per flatum & spasmos imi
ventris illibi congesto, querenda est;
quo casu omnino ea, quæ sanguinem ad
partes inferiores derivant, & copiosio-
rem emittunt, uti est venæ sectio in
pede, plus emolumenti afferunt, quam
alia interna & externa discussione seri-
dicata remedia, sicut præsens nos docet
observatio. Secundo, quando hy-
pochondriaci de dolore pressorio circa
scrobiculum cordis, qui in dorsi os-
que protrahitur, cum inflatione fini-
stri

stri lateris, & summa anxietate oppressoria, frequentibus eructationibus, & conatibus ad vomitum conqueruntur, & per consensum in eodem maxime latere sinistro capitis partes nervosae afficiuntur, ut in præsentī casu, certum indicium est, materialem causam flatuum non solum in ventriculo, sed potissimum in duodeno hære. Quare præcipua medentis intentio esse debet, convenientibus remediis & internis & externis, quæ spasmos sedant, status discutiant, & naturæ robur partibus restituant, succurrere. Quidam medicorum emeticis curam aggrediuntur; sed hæc licet leniora fuerint, si continuentur, non adeo proficua deprehendi. Nam licet materiam mucidam & biliosam educendo, quodammodo levamen afferant: tamen quia motus intestinorum peristalticus, qui deorsum fieri debet, per hæc remedia sursum invitatur, firmior convalescentiæ spes in iis minime quærenda erit.

OBSERVATIO VIII.

Affectio
hypo-
chondriaco-
hysteri-
ca sine
gularia.

Illustris matrona florentissimæ ætatis, per aliquod tempus horrendis passionibus hystericis agitabatur: quæ omnes universi corporis tam internas, quam externas partes tam atrocissimo mox dolore, mox tumore discruciant. Præsertim in pede & femore sinistro, circa os ischion dolorem sentiebat fere intolerabilem. cum motus pedis impotentia. Urgebant non minus horrenda capitis æque ac dorsi tormenta, præcordiorum anxietates, & difficultas spirandi suffocativa, vehementissimi singultus, inquietudines, vigilie, & artuum externorum dirissimi spasmi. Præterea de insigni in sinistro latere circa regionem lienis conquerebatur dolore, & manifesta erat sub costis illius lateris durities, ad vertebra dorsi extensa, & manu percipienda. Non minus infestant uteri & abdominis vehementes inflationes, cum rugitibus, borborygmis, vagisque doloribus: & per pudenda flatus interdum cum

impetu erumpunt, spasmodorum, dolorumque levamen inferentes. Alvi tanta est siccitas, & constrictio, ut eam non sine magna difficultate, & crudelissimis tormentis reddere queat: fœces semper duræ, & conglobatæ instar ovorum excrementorum in podice subsistunt, nec egredi possunt, nisi prius intruso in anum digito exitus pareatur: qui calloso, vel potius membranaceo præternaturali impedimento videtur occludi. Interdum quoque fit, ut simul cum excrementis filamentum quoddam membranaceum, tenue, latitudine lumbrii terrestris, vel pennæ minoris extranum propellatur, cui stercora indurata, veluti vinculo alligata adhærent, quod extra podicem propendens non sine magna vi extrahitur. Redduntur simul cum excrementis rotundæ, quædam particule, substantiæ membranaceæ, duræ, & pellucidæ instar ovorum formicarum. Cuncta, quæ materies medica suppeditat, antihysterica in hoc casu fuerunt, sed in casum adhibita: potius præter rectam vivendi rationem, aquæ minerales, inque iis primum Sedlicenses, tumque Carolinæ molares, spinosum hunc penitus expugnant affectum.

Epicrisis.

Est quidem præsens morbus hystericus, sed cum plane singularibus hypochondriacis symptomatibus conjunctus: in quo tria præsertim momenta, notatu dignissima occurrunt. Primum est, tumor ille durus in sinistro hypochondrio circa splenis regionem: cuius sedes minime in liene, tanquam viscere ad dolores tumoresque ejusmodi plane inepto, residet: sed potius in ea coli portione, quæ circa hanc regionem flexuram patitur, collocanda est. Hoc nimirum intestinum, sicuti in tympanitide fieri solet, a flatibus mirum in modum distensum, subjacentes quoque partes in tumorem ejusmodi attractum elevat. Alterum momentum est flatulentia uterina, quæ in hujus præ-

ternaturali constitutione facile generatur; & afficiendo nervos uterinos, mali hysterici præcipua in nostro casu causa existit. Talis notabilis casus conf. in CONSULT. MED. Tom. II. Sect. 3. Caf. 47. Tertium, cui animadversio debetur, momentum est exclusio concrementi illius filamentosi, membranacei; quod nihil est, nisi mucus intestinorum glutinosus, ob calorem, ac siccitatem eorundem, nimium induratus; quem veteres non ignorarunt intestinorum affectum, & tale concretum sub nomine pituitæ vitæ significarunt; quale etiam notabile exemplum in LIPSII Epistolis occurrit.

OBSERVATIO IX.

Matum
hypo-
chondriacum
ac rebris
puerper-
riis.

Matrona generosa, septem & triginta annorum, victu utens moderate vinoso, nec tamen ratione ciborum, quos valde nutrientes amat, satis accurato, somnum nimis diuturnum capiens, & hinc sanguine succisque, ut ex florido vultus colore adparet, plenissima, crebros partus, eosque singulis ferme annis exclusit. His non modo valde debilitata est; verum etiam gravia a puerperiis semper retinuit incommoda, moxque vomitum cruentum, mox febrem acutam, & elapso abhinc biennio tertianam diuturnam toleravit. Præterea alvi est siccioris, qua nullis paruit medicinis, clysteres enim prorsus nequit ferre, & suppositoria, aqua Sedlicensis lacti nupta, pilulæ balsamicæ, magnesia alba &c. non nisi momentaneum tulerunt semper levamen; mannas vero potiunculas vomitu reddit. Acceperunt sensim hypochondriacæ affectiones: siquidem molestissimi ructus, inflationes ventriculi dolorificæ, præcordiorum compressiones, anxietates, spirandi difficultates, ani tensesmus &c. graviter ipsam extra partus periodum exercent; & jundæ vertigines, molestique aurium tinnitus, prohibent, quo minus corpus nec ambulando, nec curru vehendo exercere queat. Cæterum menses rite &

sufficienti quantitate succedunt; neque etiam minus hæmorrhoides gestationis tempore largiores, extra illud parciore, tamen regulares fluunt. Nec negliguntur artificiales sanguinis missiones; siquidem ipsi gravidæ bis vel ter plerumque tunditur vena; extra graviditatem ter quotannis, detractis semper octo uncis inciditur in pede; quoniam in brachio aperta, majorem post se trahit præcordiorum anxietatem. Postquam igitur contra hæc mala permulta adhibuit medicamina, nullo sequuto levamine; abstinuit a cunctis, & per novissimum semestre non nisi liquore meo anodyno, & Elixirio balsamico usa est, atque ex his bene habuit. Sed cum nondum omne malum debellatum sit, meum desideravit consilium, & ut præsertim alvi lubricitatem procurarem, rogavit. Commendavi ipsi clysteres oleo probe imbutos, pediluvia, item fots ex herbis & floribus emollientibus cum lacte decoctis, ad ima ventris admittendos.

Epitris.

Sicuti viri, ita etiam foeminae, sanguineæ a natura complexionis, per inconveniens vitæ & victus regimen, sanguine & succis turgentes, multis & magnis morbis patent: nam accedente virium ex quacunque causa, in foemina vero per frequentes partus & gravia puerperia dejectione, in pertinales chronicas, cujus generis sunt hypochondriacæ & hystericae, passionis incidunt, quas per sanare non tam facile est, ut vulgo putatur.

II. Quando a constrictissima alvo, nulla fere medicina vincibili, flatus ad intestina tenuia, & maxime ad ventricolum & duodenum ascendentes, distendendo summas in distis etiam partibus molestias efficiunt; certissimæ judicari potest, intestinum rectum vehementissimis spasmis a stagnante ibi & in conterminis partibus sanguine constrictum esse. Quo casu exter-

na unguenta ex axungis, maxime animalium, clysteres quoque oleosi, balnea, pediluvia, fatus, & venasectio in pede instituta praesentissimum allevamentum & auxilium asserre solent.

OBSERVATIO X.

Affectus hypochondriaco-spasmodicus cum fasciini.

Vir annorum viginti octo, patre natus phthysico, juvenis sub laeta ac vinosa diata, illibata, praelevem spirationis angustiam, usus est sanitate. At cum Academicam ingressus vitam, crebris seminis profusionibus, ac nimis meditationibus, neglecto corporis motu, indulisset; male habere coepit, atque praesertim spasmodicis circa pectus strictionibus, ac tussi sicca infestatus fuit. Post haec muneri praefectus ecclesiastico, majus malorum sensit incrementum, & sub levi corporis motu, ipsisque concionibus, tantis subito pectoris compressionibus, ad suffocationem usque, tantisque phlogosis non raro prehensus est, ut a motu pariter ac concionibus abstinere debuerit. Hisce vitiis conjugio consulturus, eodem inito, majora fere incidit; siquidem per intervalla, praeter summum mentis angorem, frequentes accedebant sensuum defectiones, ac lipothymiae; quas tandem applicatione frigidissima nivis debellabat. Sed succedebant strepitus, tinnitusque in capite, murmura in abdomine, colli sub inspiratione, ac potus assumptione constrictiones, ac ferme strangulationes sudoresque; mox frigidi, mox calidi interrim sanguis ex vena missus, floridus atque fluidus adparebat. Medici consulti diversas fovebant sententias; quidam enim morbum pro hypochondriaco-spasmodico, a viscerum obstructione, humorumque dyscrasia suborto habebant; alii vero fascinum accusabant, spasmosque ab immateriali derivabant causa. Adhibuit ergo varia, quibus crebrae phlogoses ac commotiones sanguinis expugnabantur; at reliquis adhuc per quatuor jam annis addi-

gitur symptomatibus, quorum haec est idea. Per intervalla, maxime ventriculo jejuno, ac sub concionibus repente corripitur spasmodicis abdominis, ventriculi ac colli constrictionibus; sub quibus venter atque pectus, veluti fune constricta, ac pondere oppressa, magno impetu ad interiora retrahuntur, angusta fit spiratio, loquelae interceptio; totumque corpus, sudore persusum contremiscit. Praeterea solita sub veneris exercitio deficit titillatio, unde crebrius repetitur; animus interdum redditur tristis, ac inquietus, atque tum invalescunt spasmodica symptomata. Caterum integro gaudet appetitu, & pro potu vinis utitur, quoniam cerevisia faucium constrictionem inferre videtur.

Epicrisis.

Quam perniciofa & functionibus atque vitalibus ac animalibus infesta sint intempestiva & nimia praesertim primis adolescentiae annis veneris exercitia, & quam maxime iis, qui vitae sedentariae, lucubrationibus, & profundioribus meditationibus indulgent, id toto pro dolor! die observamus. Vis enim & robur naturae ac generis nervosi ita debilitatur, ut corpus inde quam facile ex levi data causa ad omnis generis motus morbosos & anomalos proclive reddatur. Quando ejusmodi subiecta morbis acutis afficiuntur, summo nunquam non vitae periculo sunt exposita. Ex chronicis passionibus patiuntur maxime eas, quae ex irritato nimium systemate nervorum proficiuntur; cujus generis sunt epilepsiae, motus convulsivi, spasmodici & arthritici vagi, quorum etiam referri debent spasmi praecordiales strangulantes & suffocatorii, ad quos imprimis concionatores, si hypochondriaco laborant malo, sunt proclives. Hi enim quia cum impetu, vehementi vociferatione sanguinis & humorum motum ad pectus, cor & caput impellunt, non mirum est, quod praeter alius pectoris ad suffo-

focacionem usque compressiones, phlogoses, sensuum defectiones ac lypothymias cum strepitu & tinnitu in capite & auribus, constrictiones faucium suffocatorias cum sudore frigido, modo calido experiantur; sanguine tamen existente satis fluido & florido; qualis per respirationem auctam sub celeriori per pulmonum vasa transitu efficitur. Ego intali casu per longam experientiam non melius & tutius aliquod remedium lacte asinino, convenienti tempore & methodo exhibito, sufficiente motu & analepticiis, balneis quoque aquæ dulcis, decenti ratione admixtis me unquam deprehendisse, certa fide asseverare possum.

OBSERVATIO XI.

Malum
hypo-
chon-
driacū
a sup-
pressio-
ne hæ-
morrhoi-
dalis.

Persona quædam illustris, annorum quadraginta octo, temperamenti sanguinei, corporisque robusti, ac proceri, matre nata hypochondriaca, per multos jam annos quotannis fluxum hæmorrhoidalem patitur. Ob varias autem per aliquod tempus res, quæ ipsi obtigerunt, adversus, hæc excretio sensim imminutio facta, & molesto ani ardore semper stipata fuit. Accessit ergo ante septem annos dolor in pede sinistro podagricus; huncque silentem, & non amplius recrudescentem, excepit arthritis vaga; non minus singulo vere purpuracea efflorescentia, cum catharrali affectione, ardore, ac pruritu cutis, largisque sudoribus totum corpus occupare soluit, sed & sponte sub recta vivendi ratione defecatur. Tandem hoc novissimo anno prodiit hypochondriacum malum, sæviitque symptomatibus atrocissimis. Namque primum insignis est adpetitus prostratio, ut sæpius sub ipso pastu assumpta vomitu reddere teneatur. Adfligunt insuper insignis lassitudo, anxietates præcordiorum, eorumque gravativi ac pressorii sensus, cordis potissimum occupantes scrobiculum, & ad scapulas excurrentes, vertiginosa capitis perturbatio, tinnitus aurium, som-

nus terriculamentis plenus. Abdomen, & hypogastrica præsertim regio valde inflatur, multisque murmuribus afficitur; ventriculos & gula ingentibus stringuntur spasmis, cum aliquali deglutitionis impedimento. Hæc symptomata vespertino tempore exacerbantur; & calore capitis, manuumque præternaturali complicantur. In hoc rerum statu commendavi potationem fontium Egranorum tepescfactorum; usum Elixirii balsamici, pilularumque balsamicarum; nec non pulveris laxantis rhabarbarini. Pro potu ordinario decoctum quoddam; & ad vertiginem, auriumque tinnitum, balsamum vitæ extrinsecus inungendum suasi; nec rectum vitæ regimen, ac corporis motum negligendum, iussi. Abhinc illustri agro post primam pilularum dosin, hæmorrhoides cum insigni levamine fluere cœperunt; ut nullum super sit dubium, quin reliqua curatio recte instituta, malo latura sit suppetias.

Epicrisis.

Morbum hypochondriacum & fluxum hæmorrhoidalem, sive potius dispositionem ad eum, ingentem inter se habere communicationem & conspirationem, certo certius est: ita prorsus, ut utraque affectio sit quam maxime hæreditaria, & hæmorrhoidarii quam facile pathematibus spasmodico-flatulentis, & rursus etiam hypochondriaci irregularibus sanguinis per venas sedis commotionibus afficiantur. Nam non raro deficiens & suppressus hæmorrhoidum fluxus causam affectui hypochondriaco subministrat; non raro etiam homines, qui nunquam a natura proclives ad hunc fluxum fuerunt, spasmi & flatulentis intestinorum propter impeditiorem progressum sanguinis per venas melsaricas & venæ portæ redditum, hæmorrhoidarii fiunt, adeo ut doloribus & spasmis circa os sacrum, hæmorrhoidibusque tam cœcis, quam fluentibus obnoxii reddantur.

De.

Deinceps quoque certa in praxi medica est experientia, & hypochondriacos & hæmorrhoidarios ex facili fieri podagricos, arthriticos, & scorbuticos, atque silente forsitan altero affectu, ut plurimum succedere ac recrudescere alterum. In ejusmodi intricatis & complexis morbis utique optimum reconvalescentiæ signum est, si & artis & naturæ beneficio per sedis venas fluxus, qui & cacochymia & plethoræ optime medetur, procurari & in ordine servari potest.

OBSERVATIO XII.

Vir juvenis, viginti septem annorum, temperamenti sanguineo-melancholici, parentibus melancholicis, & patre plane maniaco natus, animi sensibilius, in prima juventute rachitide laboravit; tumque superatis, cum epilepsia variolis, anno ætatis decimo achoribus capitis infestatus fuit. His remediis mercurialibus, absque recto regimine, sublatis successit tumor totius abdominis, maxime scroti pelucidus, laxantibus sensim sanatus. Quatuordecim annos natus, crebris masturbacionibus, semen provocare cepit, perque aliquot annos continuavit, cum insequente corporis contabescencia. Insimul ad studia nimium incubuit; & postquam semen turpi manu elicere desit, non modo crebris pollucionibus nocturnis vexatur, verum etiam tantas narium hæmorrhagias passus fuit, ut sæpius animo delinqueret. A decimo nono ætatis anno, Academiam ingressus, Baccho operam non raro dedit; mediocriter valuit; donec quinque abhinc annis sub epulis aliquando subito fieret, ut frustum cibi in faucibus obhæsisse videretur. Spongia intrudebatur gula; sed non modo sensus palii pharyngi infixi permanebat; verum etiam uvula prolabebatur; & post multam operam elevata, hoc reliquit incommodum, ut quoties Nicotianam sugat, vel vinum hauriat, protinus faucium ardorem

sentiatur, & vel uvula prolapsum, vel tonsillarum immollescentiam patiatur. Posthac vita genus inuit valde inordinatum; siquidem debebat in loco, multis stagnis, impuroque aere pleno; sæpiusque corpori calenti, ac fortiori motu commoto. aquam frigidam ingurgitavit. Hinc febrem intermittentem incidit, valde irregularem, & mox tertianam, mox quartanam, mox quotidianam: qua tandem, ope electuarii cujusdam sanata, vanis, tristibus, ac meticulosis exerceri cepit cogitationibus. Has expugnaturus, elapso proxime anno, Jenam se contulit; sed ibidem majora incrementa cepit melancholia, cum plenaria appetitus prostratione juncta; ut omnem cum amicis consuetudinem fugere teneretur, gelidique sæpenumero pertunderetur sudoribus. Curæ medici cujusdam se tradidit primum; a quo martialibus tractatus, cum nullum sentiret levamen, & malum, accedente ob mortem matris, morore magis exacerbaretur, acidulas S. lteranas adhibuit, conjunctis venæsectionibus, pediluvii, aliarumque convenientium medicinarum usu. Sed cuncta sunt frustranea; siquidem crebris sollicitatur phlogosis, humorum ad caput congectionibus, fortiori cordis palpitacione; & sub epulis præsertim insigni mentis angore adficitur. In tali rerum statu, consultus ego, primum pro potu ordinario decoctam consuevit, ad alvum ducendam, infusum rhabarbarinum; pro nervis, capiteque confortandis pulverem, ex lapidibus cancerorum, pulverem Marchionis, succino, nitro, oleo cinnamomi, macilque confectum ordinavi; pediluvia quoque, & extrinsecus ad splenis regionem, emplastrum splenicum Aquapendentis commendavi; & præter rectam dietam, longas peregrinationes, aerisque mutationes suasi.

Epicrisis.

Multi occurrunt in hac morbi hist.

Melan-
cholia
hypo-
chon-
driaca
hæredi-
taria.

storia momenta, quæ tanquam causæ remotiores, ad malum hypochondriaco-melancholicum contribuerunt. Primum quidem notandum est, ægrum nostrum jure hæreditario quandam ad melancholiam obtinuisse dispositionem; quæ in tenerioribus ætatis annis in ea potissimam constituit nervolarum partium constitutione, atque debilitate, qua ad subeundos varii generis morbos proclives fuerunt. Hinc enim in prima statim infantia, digestionis, chylicationis, ac nutritionis negotium, minus rite successit; & ideo atrophica corporis consumtio cum rachitide enata fuit. Qua percurata, restitisse tamen videtur sanguinis ac lymphæ potissimum quadam acrimonia; quæ tandem salutaris naturæ consilio, ad cutis superficiem depulsa, sub achorum formam comparuit. Recte quidem data tum fuerunt mercurialia; at cum inconueniens accesserit regimen, non fieri potuit, quin constricta corporis superficie, impura exanthemata retrocesserint, tumoremque corporis œdematosum induxerint.

Deinceps quum tantæ nervosi generis debilitati, & per hæreditatem, & graves morbos acquisitæ, sustentatæque, accesserint crebræ masturbations: non sane mirum, si partes solidæ tantam ad irregulares commotiones proclivitatem obtinuerunt, ut celsantibus voluntariis seminis profusionibus, illud non modo præter voluntatem sub nocturnis ludibriis promanaverit, verum etiam ipse sanguis ad animi usque deliquium e naribus eruperit. Tum magis adhuc fregerunt naturæ, nervosique systematis vires, errores diætetici in Academia commissi; quibus in accepris ferendus est spasmus pharyngis, quo inter epulas, sumto forsitan liberaliori vino, correptus est. Hunc accedente improvida spongiæ in gulam intrusionem excepit tanta atonia partium, in faucibus sitarum, ut ad hunc usque diem, post potum spirituosiores, aut aliud faucium irritamentum, vel uvulæ prolapsus, vel

tonsillarum inflatio subsequantur.

Tandem ex irregulari diætâ ac vitæ regimine in febrem incidit intermittem, admodum irregularem; quæ ope electuarii, forsitan chinati suppressa, primam originem hypochondriaco ac melancholico malo præbuit. Huic subinde majus pondus ac incrementa dedit, partim improvidus martialium usus, partim diuturnus mæror ex obitu matris. In hocce igitur morbi genere, ubi cuncta remedia incassum fuere propinata, præter ordinatam vivendi rationem, potum convenientem & balnea aquæ dulcis, non ullum relinquitur subsidium, quam aeris mutationes ac diuturnæ peregrinationes: quæ nisi votis respondeant, omnis fere opera ac oleum perditum est.

OBSERVATIO XIII.

Matrona triginta annorum, temperamenti sanguineo-phlegmatici, cælapso abhinc anno, cum ob menstrua retenta se gravidam reputaret, ex mariti obitu, vehementi affectu mærore, huic nimium indulgere cœpit, & solitudinem quæsit. Erumpens paullo post cum magnis doloribus uterinus, sed parvus, cruor suspicionem graviditatis discutebat; & illa ab hominum consortio fere remota in prædio vivebat. Ibi ex improvise fiebat, ut, prævia raucedine, & ardore faucium, in his sentiret ingens gelu, quod primum parvum spatium occupabat, sed mox per totum pectus, ad utraque hypochondria excurrebat, tandemque in pressorium, tensoriumque pectoris dolorem desinebat. Sumpto pulvere contra acridinem, largiori quantitate, accedebat tanta spirandi angustia, ut suffocari videretur; & tula in utroque crurum vena, totius corporis horror, pectorisque oppletio jungebatur; noctem transigebat insomnem, altero die non nisi deliramentis prorsus impos, loquebatur. Accedens medicus deprehendebat pul-

Affectus
melan-
choli-
co-ma-
niaco-
hypo-
chondriaci

sum sortem, celerrimumque; urinam intense tinctam, cum sedimento furfuraceo, salibusque scorbuticis; anhelationem gravem, quæ tandem refectione pituitæ tenacissimæ, fere purulentæ solvebatur; sermonem continuum sine ordine movebat, mox flebat, mox ridebat; alvus erat adstrictissima, somnus nullus, ciborum fastidium, scintillabant oculi; artus insigni pollebant robore, continuusque motitationibus agitabantur; & interdum in cruribus adparebant exanthemata, absque calore præternaturali. Hæc symptomata, vespertino tempore vehementiora, alternis potissimum diebus exacerbabantur; nec vesicatoriis, camphoratis, anodynis, aliisque remediis obsecundabant. Notari quoque meretur, epidemicam hoc tempore fuisse catharralem febrem, exanthematibus plerumque complicatam. Consultus ego erebrum usum pulveris temperantis, ex pulvere Marchionis, antimonio diaphoretico, cornu cervi philosophice præparato, succino præparato, nitro depurato, & cinnabari confecti commendavi; & vesperi liquorem anodynum, ex haustu aquæ frigida sumendum suasi. Pro potu ordinavi serum lactis, & ad molendam alvum, mannam, nitro antimoniato nuptam proposui; non minus emulsiones refrigerantes propinari, capitique epithema ex seminis cucurbitarum uncia dimidia, nucleorum persicorum drachmis binis, aquæ florum sambuci, rosarum, tilia, liliorum convallium, papaveris rhæados ana uncis duabus, nitri scrupulis binis, camphoræque in spiritu rosarum solutæ granis tribus, adplicari jussi. Tandem narium hæmorrhagiam, si impetuosior raptus humorum ad caput fuerit, intruso iis stylo, provocandam curavi; ac præter corporis exercitationem, balnea aquæ dulcis ordinavi, & optime habuit.

Epiërisis.

Varia sunt causæ, quæ ad iogenandum hoc dirum contribuerunt malum; prima est menstruorum retentio, quæ forsitan a vita nimis sedentaria originem traxit; & licet sponte revocata sit, parciore tamen fuit; altera debetur diuturno mœrore, ob mariti obitum inducto; & hinc inita vita sedentaria, ab hominum consortio remota: unde imi ventris spasmodicæ stricturæ, humorumque major ad caput raptus, ortum petunt. Debetur insuper animadversio febris catharrhali exanthematicæ, tum temporis grassanti; quæ nostram, spasmodicis motibus obnoxiam, raucedine, fauciumque ardore id testantibus, procul dubio occupare voluit. Gelidus in œsophago sensus, non nisi ex spasmodica illius strictura fortiori, sanguinemque profundius reprimente, natales suos mutatur; quæ per reliquum corpus, maxime pectus protensa, hujus compressiones, spirandique difficultatem induxit. Quin idem spasmodicus motus per inconsultam venæsectionem ad totum corpus propagatus, hujus horrorem excitavit: atque sic aucta partium inferiorum, maxime abdominis strictura, humores spissi pariter ac impuri majori copia ad pectus caputque rapti, illius oppletionem, in hoc vero circulum impeditiorem effecerunt; quo tandem factum est, ut turbatis animalibus functionibus, raptus melancholico-maniacus exceperit.

In tali igitur casu, non aliæ sunt medendi indicationes, quam ut relaxatis corporis exterioris spasmis, humorum effrænes motus consopiantur, & impetus a capite ad exterius & inferius corpus derivetur. Hinc ex internis profunt temperantia, lenis anodyna, potusque aquæ puræ vel feri lactis;

extrinsecus juvant clysteres, ac epithemata capiti adplicanda. Vix vero operæ pretium faciunt hæc medicamina, nisi accesserit balnea aquæ dulcis, quibus relaxatur constrictum corpus, succique ad inferiora derivantur. His felici cum successu, si ex prioribus malum non remittat, sed magis invalescat, jungi potest sanguinis e naribus operæ styli ipsis intrusi facta provocatio; cui quidem interdum universalis humorum per venæsectionem præmitti debet inanitio, at quum illa in nostro casu brevi ante morbi invasionem instaurata fuit; commodè ipsi supersedere potuimus. Nec vero negligendus est corporis motus, quippe qui virtutem reliquarum medicinarum egregie secundat, & tali ratione malum hoc, maxime si fuerit recens, sæpe curatum vidi.

OBSERVATIO XIV.

Passio
hypo-
chondri-
aca
stomachica.

Vir generosus, habitus corporis spongiosus, sanguinis humorumque plenissimus, diu jam passionibus flatulentis, ac hypochondriacis, maxime in sinistro latere, cum doloribus colicis fuit discruciat. Præsertim vero per novissimos aliquot menses, cum e mobili vitæ genere, ad magis sedentarium transisset, autumnali hyemalique tempore, sumtis epulis, hora circiter tertia vel quarta pomeridiana, sensit molestum & pressorium in cordis scrobiculo, dextroque hypochondrio dolorem, ad dorsum usque procurentem, atque cum præcordiorum anxietate, pectorisque oppressione ac coarctatione stipatum; pedes insimul algent, vultus sanguine turgēt, rubetque, pulsus fertur citatior, manusque calent. Sub hoc paroxysmo vexant sæpius conatus vomendi, modo irriti, modo ipsi vomitus, materiam saporis acidissimi, dentes stupefacientem, faucelque arrodentem, licet pariori quantitate eructantes. Levatur malum ructibus copiose explosis, atque sudore, circa vespertinum tempus erumpente pro-

sus solvitur. Eo gravius autem, & frequentius torquet, si æger cibis leguminosis, flatulentis, piscibusque marinis avidius indulserit. Cæterum vires languent, corpus emacrescit, & alvus nunquam sponte suo fungitur officio.

Requisiti medici pugnarunt elixiriis, stomachicis, volatilibus, purgantibus &c. sed frustra, magisque malum exacerbabant. Ego vero, perspecta penitus morbi causa atque sede, pulveres acrimoniam humorum temperantes, leniterque laxantes, ex lapidibus cancrorum, radice ari, croco martis subtilissimo, rhabarbaro, tartaro vitriolato, cinnabari, semineque cymini confectos ordinavi. Præterea, ut abstineret ab omnibus flatulentis, ac leguminosis cibis, atque vini Rhenani potu, cui hæcenus adsueverat, iussi; coena quoque pariori uteretur, corpusque sedulo moveret, imperavi. Tum thermas Carolinas commendavi; quibus aliquoties, sub recto regimine, usurpatis, optime valere cœpit.

Epicrisis.

Hæc affectionis hypochondriacæ species, quæ ab antiquis medicorum ad cardialgiam referri solet; nec raro nostris temporibus, sequioris potissimum sexus personis familiaris deprehenditur, commodè stomachica adpellari potest. Ego quidem illius sedem, in intestino duodeno collocandam esse censeo; cujus tonus atque naturale robur, si fuerit dejectum, facillime in eo stagnat massa alimentorum, in ventriculo minus recte digestorum, & accedente pravo bilioso pariter ac pancreatico succo, acriorem subit fermentationem, vaporumque elevationem. Hi vero nimium inflando, ac distendendo ipsum duodenum, atque super hoc situm plexum magnum mesentericum, item arteriam & venam mesaraicam comprimendo, nec non officia ventriculi, & flexuram, quæ in fine duodeni est, arroddendo, ac claudendo.

dendo, omnium recensitarum mole-
stiarum causam præbent, atque fon-
damentum. Tam ingens vero succo-
rum acidorum, qui observantur in
hypochondriacis, proventus, non nisi
humoribus in ventriculo ac intestino
stagnantibus debetur; qui sæpenum-
ero ad corrosivam accedunt naturam,
testantibus vomitionibus. Vicioso huic
acido in acceptis quoque ferenda est
alvi adstrictio; idemque bilis textu-
ram corrumpens, album generat sæ-
cum alvinarum colorem. Inde porro
petenda est ratio, cur in tali casu
purgantia remedia effectum suo desti-
tuantur; eorum enim vim non ma-
gis quam ab acidis infringi notissimum
est. Ego vero in hisce adfectionibus
ad alvum laxandam nihil præstantius
mannatis passulisque rhabarbarinis,
non omittis motu sufficiente, potu-
que humectante, deprehendi; nec
minorem virtutem exserunt absorben-
tia alcalina, dum acidum absorbent,
cumque illo sal quasi medium amari-
cans constituunt, cujus ope vim la-
xantem obtinent. Præterea thermæ,
maxime Carolinæ, propter copiosam

terram alcalinam, & sal, quod com-
plectuntur, amaricans, omne fere
curationis punctum absolvunt. Et sæ-
pe ad acidum absorbendum, visci-
dum incidendum, alvum laxam red-
dendam, cunctas excretiones promo-
vendas, viscerumque obstructionem
referendam, sagaces ac periti medi-
ci nullam unquam medicinam, hisce
thermis pretiosiores invenerunt, at-
que judicarunt.

Atque has de passione hypochon-
driaca allegasse sufficiat observationes:
plures, qui cognoscere cupit, adeat
RESPONSA, atque CONSULTA-
TIONES nostras medicinales. Sic
inveniet de malo hypochondriaco
exempla in Sect. III. Casus XXIX.
usque ad XXXIII. hypochondria-
co hysterico Casus XXXIV. ad
XXXIX. hypochondriaco spasmodi-
co flatulento Sect. IV. casus CXLIII.
ad CXLVI hypochondriaco scorbu-
tico Sect. IV. casus CLXX. seqq. me-
lancholia hypochondriaca ac hysteri-
ca Sect. III. Casus XL. ad XLII.
casu LII. ad LIV. seqq.

S E C T I O II.

D E

SPASMIS ET CONVULSIONIBUS PARTICU-
LARIBUS; SPECIATIM

DE PALPITATIONE CORDIS, ASTHMA TE SPASMODICO
ET SUFFOCATIVO, TUSSI CONVULSIVA, SINGUL-
TU, SPASMO ET CONVULSIONE OESOPHAGI, VO-
MITU, CHOLERA ET DYSENTERIA, ET DE UTE-
RI CONVULSIONE, ABORTU.

C A P U T I.

D E

PALPITATIONE CORDIS.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

EXpositis iis spasmodico convulsi-
vis affectibus, qui tanquam uni-
versales, totum nervorum genus oc-
cupant, omnesque fere corporis fun-
ctiones prosterunt: transeundum jam
ad illos erit, qui certis tantummodo
partibus inhaerescunt, easque magna
sæpenumero violentia exagitant. Hos
inter atrox malum est cordis palpitatio,
quam vere talem definimus, quod sit
violenta, & perquam molesta musculi
cordis subsultatio, ac convulsio, sive
e naturali sua sede dimotio, ab influxu
liquidi tenuissimi in nervos cardiacos
impetuosiori, & cruore justo majori
copia in dextrum cordis ventriculum
impulso, vel ab acrimonia, aut alia
caussa originem petens.

Defini-
tio pal-
pitatio-
nis cor-
dis.

Differē-
tia ra-
tione
graduū,
& a tre-
more
cordis.

§. II.

Hanc veram esse definitionem, ex
infra dicendis patefcet: jam vero præ-
monere conveniet, eam esse intelli-
gendam de palpitacione cordis vere ta-

li, i. e. quæ morbosa, valde molesta,
& sæpius satis chronica existit, quæ
differt a tremore cordis, atque leviori
illius palpitacione, corporibus etiam
sanis eveniente, citoque transitoria.
Tremor nimirum cordis fit a fluidi ner-
vei in eas nervosas fibras, quæ com-
muni itinere cum vasis, maximeque
arteriis coronariis, externam cordis
ambiunt superficiem, vel celeriori,
vel impeditiori per nonnullos ramos
influxu: hinc LOWERUS de Corde
Cap. II. pag. 91. adnotavit, quod cor
canis, ligato octavi paris nervo, pro-
tinus contremuerit. Inde quoque ra-
tio patet, cur talis tremor, partim
post graviores animi affectus, & servi-
diorem veneris appetentiam continge-
re observetur; partim etiam viribus
amissis accedere soleat, & mox animi
deliquia prænunciet, mox febres mali-
gnas comitetur, mox insignis sangui-
nis profluvium sequatur, mox mori-
bundos vexet. Datur quoque crebrior
cordis palpitatio seu motus, qui occur-
rit in iis, qui celeri cursu, saltacione,
lusu pilæ, aut balneis nimium calidis
corpus exagitarunt; vel effusiori gau-
dio indulserunt, vel fortiori iracundia
exarserunt; nihilque est, nisi celerior,
atque velocior cordis & arteriarum sy-
stole, a commotis nimium, atque ci-
tius per cordis cava circulantibus succis

inducta. Hæc eadem celerior cordis systole, dum a pulsus duritie vacat, se se distinguit a febrili pulsu, qui hujus frequentia cum duritie juncta absolvitur. Distingui porro debet cordis palpitatio ab ea, quæ interdum, maxime in foeminis circa ultimos gestationis menses, in epigastrica abdominis sentitur regione; & nihil est, nisi arteriarum in eo loco sitarum, præcipue cæliacarum, nimia a copioso & in prompto per venas splenicæ regressu præpedito cruore, repletio, validiorque pulsatio, quæ optime sanguinis missione coratur. Tale exemplum prostat in A. N. C. Dec. I. anno VI. p. 261. De his nobis directe non sermo est, sed de ea loquimur specie, quæ ægros non raro sine evidenti, ac externa causa adoritur, & tanta cordis contractione & agitatione perficitur, ut illud etiam naturali sua sede dimoveatur; & vel ad sinistrum magis latus propellatur, vel violenter ad costas, atque sternum allidatur, tantaque vehementia præcordia elevet, ut pulsatio externa tegumenta attollat, & quandoque extra parietes percipi potuerit; testantibus FORESTO *Obs. Lib. XVII. obs. 10.* & CHRISTOPHORO a VEIGA *Lib. III. de art. med. cap. 8.* Quin RIVINUS de Cordis Palpitatione §. 13. memoriæ prodidit, se in agro cordis palpitatione laborante, in eo pectoris loco, ubi admota manus pulsationem percipiebat, maculam rubicundam; in altero callum deprehendisse.

§. III.

In historica hujus affectus descriptione occurrunt quædam momenta, quæ merentur considerationem. Primum quidem valde obnoxia huic malo deprehendimus subiecta, quæ sunt corporis strictioris, temperamentis sanguineo-melancholici, animique sensibilioris, in terrorem maxime proclivia, ætate juniora, quæ sanguine succisque turgent, horum consuetas evacuationes, siue fuerint naturales, siue artificiales, suppressas, vel neglectas patiuntur; maximeque sequioris æ-

Hoff. Syst. Tom. VI.

xus personæ, quibus menstrua non rite succedunt, vel narium hæmorrhagiæ suppressæ sunt. Hinc BAL-LONIUS *Lib. 1. consil. pag. 519.* *Un in juvenibus, inquit, ex ephebis excidentibus, quibus debet esse frequens hæmorrhagia, si ea desit, palpitatio potest contingere; ita etiam virginibus nondum menstruatis accidere potest, recurrende ad partes superiores sanguine.* Ipsa palpitatio levior vel gravior est, & per intervalla plus minus longiora invadit; mox noctu ex improvviso adoritur miseris dormientes, ut subito evigilent; mox interdiu accedit, sumtisque sapius epulis invalescit. Antecedunt interdum graves præcordiorum anxietates; sub ipso paroxysmo velox & anhela fertur spiratio; jungitur interdum tremor cordis, & quod probe notandum, pulsus arteriarum, licet sit intermittens, tamen cordis motui sæpe non respondet, sed languidus fertur ac imminutus, quin testante TIMÆO a GULDENKLEE *Epist. 23. pag. 140.* prorsus non sentitus fuit in carpo. In gravi paroxysmo percipitur magna molestia in præcordiorum regione, ob septum videlicet transversum vi nervi phrenici, circa cordis sinistrum latus siti, & ab ejus palpitante motu agitati male affectum; non minus insignis corporis languor, artuumque tremor remanet.

§. IV.

Quod attinet ad ipsas mali causas & sedem: formalis causa semper est violenta cordis contractio, atque convulsio tanta, ut e sede sua dimoveatur: materialis proxima vero est quædam cruori potissimum in dextro cordis ventriculo stagnatio, & nimia ad eum aggestio, propter quam impetuosior fluidi nervi in nervos cardiacos & fibras cordis fit influxus & earum præternaturales contractio. Quæ ut eo facilius intelligantur, operæ erit pretium, quædam de intimiori cordis structura, huc apprimè facientia, præmittere.

§. V.

Atque primum ex solertissimi JO-

Sedes & causa mali proxima.

Nervorum

I

HAN.

cardia-
co-um
deferi-
ptio.

HANNIS MARIE LANCISII. tr.
de motu cordis, & aneurismatibus al-
legandum duximus, quod contra plu-
rimorum medicorum sententiam, qua
valde exiles, & vix animadversione
dignos cordi tribuunt nervos, hos po-
tius insigniores ac innumeros, cordis
musculis communicari, penitior do-
ceat anatomia. Namque in singulo la-
tere, dextro pariter atque sinistro, quin-
que adnotare licet nervorum paria;
quorum primum, vagum dictum, in
cerebro inter nates, testesque subor-
tum, & in molli hujus lubiantia, in-
ter ramulos carotidem arteriarum
progressum, communem cum vena cava
itinere ad pericardium fertur, & sparsis
ad auriculas, arterialque ramulis, de-
scendit in rete nervosum, inter aortam
ac pulmonalem arteriam, in postica
cordis basi reperiendum. Alterum,
quod intercostale superius vocat, eo-
dem cum priori principio natum, & e-
capite per foramen ossis petrosi emis-
sum, supra aortam descendit arteriam,
inque tres divisum ramos, unum ex-
terno cordi, reliquos duos dicto reti-
culari communicat contextui. Ter-
tium, quod audit vertebrale, adhuc
intra cerebrum prope decimum nervo-
rum par erumpens, cum arteria ver-
tebrali, per osseam viam progreditur,
& circa septimam colli vertebra
egressum, cordi variis insinuat locis,
tandemque in memoratum rete distri-
buitur. Quartum nomine intercosta-
lis inferioris præditum, ex spinali
medulla inter tertiam, quartamque
colli vertebra surgit, & missis qui-
busdam ad auriculas & utraque venas
ramulis, ad formandum sapius allega-
tum plexum concurrat. Quintum de-
nique, quod phrenicum vocat, ex ul-
tima colli, primisque dorsi vertebra
erumpens, nervos dat auriculis ac ven-
triculis, atque eundem perreptat ner-
vorum plexum; ex quo demum innu-
meri rami per totam cordis feruntur
substantiam. Hinc docemur, unde
cordis musculo tanta vis sit, quæ om-
nium totius corporis musculorum ro-

bur longissime superat: curque, uno
nervo ligato, cor quidem tremat, ob
irregularem fluidi tenuissimi per reliqua
nervorum paria influxum; ejus vero
motus non prorsus interceptatur. Præ-
terea notari meretur, recessitorum
nervorum tria esse paria, quæ ganglia
formant; reliqua duo his vacare. His
efficitur regularis, ac naturalis cordis
motus; illis irregularis ac violentior,
animi pathemata excipiens. Inde patet,
cur animi affectibus tanta in alterando
cordis motu sit potentia? Nec ignorari
oportet, cavam venam præ reliquis va-
sis, numerosissimam obtinere nervo-
rum copiam: quoniam illa ad revehen-
dum totius corporis sanguinem magno
opus habet robore.

S. VI.

Adhuc notatu est dignissimum, cor
esse musculum, seu potius congeriem
multorum musculorum. Namque dum
docet Anatomes, illud ex innumeris
fibris, columnisque carnis constructum
esse; eadem quoque penitior manife-
stat, singulam fibræ ex quamplurimis
componi fibrulis; quarum quævis quum
iterum sit congeries fibrillarum mini-
marum, muscoli nomen meretur, ma-
xime cum singula tegatur membrana
tenuissima, ex fibrarum nervearum, ar-
teriarumque contextu apparatus. Hinc
sequitur, cor undique, interne pariter,
ac externe, valde nervosum, valdeque
sensibile esse, & ab omni, quod ipsi
inhæret, ad contractionem posse velli-
cari. Deinceps cor est musculus liber,
a quatuor magnis vasis pendulus. Ergo
a motu naturali majori ad omnes pla-
gas rapi, eque consueta sede dimoveri
potest. Usus cordis est, ut sanguinis
circulum per totum corpus promoveat;
de quo ad nostrum scopum hæc nota-
mus. Sanguis ab omni corporis puncto,
ope venarum primum exiliorum, mox
capaciorum, fertur tandem in venam
cavam, ejusque, quem prope dextram
cordis auriculam format, sinum am-
plum, & ex eo in dictam auriculam,
tanquam cavum intus musculum, sub
ejus dilatatione ingreditur: simulque
chy-

De stru-
ctura,
aque
motu
cordis.

chylus ex subclavia, per descendentem cavam, eandem subintrat auriculam. Hæc igitur humoribus plena, ad sui contractionem sollicitatur, quæ facta, cruorem cogit in dextrum cordis ventriculum, vel prorsus laxatum, vel juxta *Lancisii* mentem, in fine diastoles atque principio systoles constitutum. Ille vero cruoris mole, ob fabricam valde nervosam, stimulatus valde constringitur; pelliturque contentum fluidum, impedito per valvulas tricuspidales ad auriculam regressu, in pulmonalem arteriam, per pulmones undique distributam. Inde liberis undique viis, tendit ad pulmonalem venam, perque hanc iisdem modis, a sinistro cordis thalamo excipitur, & ex eo per aortam arteriam in totum corpus effunditur. Expulso e corde cruore, ejus ventriculi vacui, in situm vere naturalem, qui diastole est, se restituunt; & quamprimum cruore implentur, ob mechanicam necessitatem, rursus contrahuntur. Sic alternat systole, atque diastole tam diu, quam diu vita, quæ integro humorum circulo absolvitur, perdurat.

§. VII.

Ex his patet, ad cordis motum naturalem requiri 1) justam proportionem fluidi movendi, atque solidi, ut scilicet illius ea dumtaxat afferatur quantitas, quæ vi cordis naturali possit superari, 2) fluidorum temperiem, ac mixtionem naturalem, 3) cordis justum robur, & hinc sufficientem fluidi nervei, & arteriosi spirituosum influxum; 4) ductuum vasorumque sanguinem ad cordis vasa vehentium, ac revehentium rectam dispositionem, liberamque ab omni præternaturali causa cavitatem. Quæsimus legitime se habeant, cordis motum variis modis vivant; sed quum nobis de vera ac violenta dumtaxat cordis palpitatione sermo sit; ad eam a reliquis motuum cordis vitiis distinguendam, sciendum est, ad eam perficiendam semper requiri: 1) ut cordis ventriculo dextro infensum quid, quodcumque

fuerit, inhærescat; 2) ut hinc major ac impetuosior fiat fluidi nervei ad nervos cardiacos influxus; & 3) consequenter, naturali major, ac summe violenta musculi cordis subsultatio, atque contractio insequatur, quæ sæpius atque celerrime continuata, non prius cessat, quam donec expulsum fuerit inimicum, ac remotum impedimentum; 4) ut tam violenta agitatione, cor e sede sua, quoniam liberum est, pendulumque, dimoveatur; ac 5) non raro ad sinistram maxime latere protrudatur; quoniam a dextro latere ad sinistram fit impulsus; ut 6) denique humorum per arteriarum valva irregularis sit progressus, quin interdum plane per aliquot minuta cesset; unde in carpo pulsus percipitur plerumque intermittens, debilis, parvus, vel plane nullus, & non raro mentis junguntur deliquia.

§. VIII.

His præmissis, jam inquirendæ erunt causæ palpitationis cordis mediatæ: quo fine præmittendam duximus Sectionum eorum, qui hoc morbo perierunt, historiam. Tacemus polypos, calculos, aliasque res præternaturales; in cordis, vasorumque cavis obvias; de quibus fides sit penes auctores: taceamus quoque aquam, sanguine tinctam, justo majori copia in sacculo pericardii post mortem reperiendam; cujus infra subjungemus explicationem: sed commemorabimus dumtaxat, qualis reperta fuerit cordis constitutio. Sic A. N. C. dec. 2. anno 9. observ. 44. referunt, aperto tali cadavere, con mole maximum adparuisse, dextrum ventriculum dilatatum, ac sanguine nigerrimo repletum, arterias conniventes, venamque cavam ascendentem in tumorem ingentem fuisse elevatam. Idem confirmat WILLIAMS tr. de medicament. oper. Sect. 7. Cap. 3. pag. 103. ubi præter infarctum dextri cordis ventriculi, ac dextræ auriculæ, pulmones quoque atro, stagnante, ac extravasato cruore fuerunt infarcti. J. O. H. COUSIN in

Seçtio
cadaverum,
cordis
palpitatione
extrinsecorum.

Ratio
palpitationis
cordis
mechanica.

Nov. asth. Hist. III. refert, corda ad instar bovis quadrati semet invenisse.

§. IX.

Causæ
mediatæ sunt
polypus
cordis.

Persequuntur igitur causas, quæ ad inducendam cordis palpitationem contribuant, mediatas: eas vel intra, ac circa cor ipsum hære, vel in partibus magis remotis residere deprehendimus. Ex priorum censu occurrunt primum, atque frequentissime polyposa concrementa, fibrosa semper ac membranacea, in cordis potissimum ventriculis, ac auriculis generata, tum in venas protensa, & ex his non raro intra arterias compulsa. Ubi hæc causam præbent cordis palpitationi, has plerumque deprehendimus notas: a motu corporis validiori, a scalarum adscensione, vel ubi sanguis levissime commovetur, protinus cordis palpitatio invalescit; fit ingens circa præcordia anxietas, cum pulsu debili, & inæquali, quandoque etiam plane intermittente; Spiritus ægre trahitur, ut suffocationis non raro sit metus, sæpiusque animi junguntur deliquia: morbus præterea diutius perseverat, nec ullis cedit medicamentis. Tale concrementum, si cordis thalamis inhereat, pro vario, quem format situ, nunc plus, nunc minus sanguinis, per cavam venam advenit admittit; hinc pro majori, mino- rive cruoris copia pulsus quoque nunc fortis, nunc debilis ac obscurus editur. Quando polypus ejusmodi in eo loco, ubi firmiter accrevit, immotus quiescit, nullam observamus palpitationem; quod si vero a loco suo avulsus, libere in cordis ventriculis fluctuet, hinc forte una cum sanguine in vas sanguiferum patulum propellatur, firmiusque in illud adigatur, ita, ut plane occludatur, & hac ratione sanguinis transfluxus impediatur tam diu, donec istud repagulum rursus solvatur: tum non modo pulsus arteriarum plane intermittit, atque silet; verum, obstructis sic vasibus, & continuante perpetuo ad dextrum cordis thalamum affluxu, stagnat cruor in hoc ventricu-

lo, ipsum distendit, atque sic musculum cordis ad vehementissimam sui concussionem, quæ est palpitatio, proritat, non prius celsantem, quam donec iter aliquomodo sanguini liberum restituatur.

§. X.

Hinc in iis, qui cordis palpitatio- ne, a polypo suborta, extinguuntur, cordis potissimum dextrum ventricululum, una cum auricula, atque vena cava, in stupendam a stagnante intus cruore elevatum deprehendimus molem. Notabilis hoc nomine est historia, quam de sectione cordis palpitatio- ne, a polypo enata peremti allegant M. N. C. dec. 2. anno 6. obs. 233. & sic se habet: Totum cor, quantum possibile, in sinistram pectoris cavitatem detrusum jecit, dextra auricula mire expansa, & spatiosa comparente, quippe cujus cavitas ventriculo cordis, ad quem viam pandit, longe amplior existit. Pericardio, cujus membrana iusto crassior fuit, aperto, feri libra ad minimum effluxit. Incisa hinc dextra auricula, fluidus primum promanavit sanguis, portio major coagulata ibidem hæsit; sub quo crus polypi cujusdam delitescibat, qui ex sero viscido, & in massam tenacem congelato constans, mediam dextri ventriculi cavitatem implebat, & auriculam transeundo, in arteriam pulmonicam, ejusque ramos exporrectis pedibus profunde decurrebat; pedes simul varios intra columnas dicti ventriculi carneas inferebat, tenaciter ibidem adhærens. In sinistro ventriculo apparuit polypus latus, & spissus, pluribus pedibus retro columnas carneas enatus, pollicis & latitudine & crassitie; qui ventricululum egressus, per auriculam sinistram in aortam, & carotidem, ejusque ramos multiplicatis pedibus expandebatur &c. De polyporum generatione, cum nostri non est instituti, non agemus pressius: sed id dumtaxat monebimus, quod a sanguine crasso, viscidoque ejusmodi particula in cordis dextro ca-

Polypus
extin-
ctorum
anato-
mes.

vo relinqui, ac in fibrosam tandem texturam coire possint. Hæc facilius penetrabit, qui consideraverit, in dictum cordis thalamum ferri non modo chylum, adhuc crudum, nondumque cum sanguine mixtum; verum etiam sanguinem, reliquo crassiore, pariterque subtiliori ac spirituosiori orbatum; qualis est partim ille, qui a hepate per cavam ascendentem adducitur, partim e capite per cavam descendentem in cordis ventriculum dextrum revehitur. Omnes vero causæ, quæ eruorem copiosius ad præcordia cogunt, de quibus inferius tanquam palpitationis causis agetur, ad polypos generandos contribunt. Horum, quasi hæreditariorum, cor infantis a primis ætatis annis obsidentium, illudque ad crebras palpitationes irritantium, memorabile exemplar recensent ACTA BEROL. Dec. II. Vol. VII. pag. 99.

§. XI.

Homo-
rum
abun-
dantia

Frequens porro morbi nostri causa in ipso partium fluidarum vitio quaerenda est, & primum quidem nititur earundem insigniori, ac vires solidorum superante mole. Quando enim humores nimia peccant abundantia, non fieri potest, quam ut tam vasa, quibus continentur, quam præsertim cordis thalamus, accedente nimirum vel fortiori eorundem commotione, vel majori ad superiora ob spasmos inferiorum raptu, prægrandi, ac modum naturalem excedente copia irruant, illos vehementer distendant, relaxent, atque tum ad contractionem palpitatoriam proritent. In tali casu vultus est floridus, ac rubicundus, vasa cruore turgent, ac pulsus fertur magnus. Hoc vitii genus a tali causa inductum in juvenibus potissimum locum habet sanguineis, qui pueruli largum e naribus fundere suserunt cruorem; & his hæmorrhagiis cessantibus, pectoris compressiones atque molestias sentiunt. Idem quoque non raro accidere observamus illis, qui solemnibus sanguinis detractionibus adfuerit, eas.

Hoff. Syst. Tom. VI.

dem iusto tempore non repetunt, sed neglectui habent. Hinc explicanda sunt exempla eorum, qui certis anni temporibus recurrentem cordis palpitationem sola venæsectione prævertere potuerunt. Tale de cordis palpitatione quotannis recurrente, ac tandem venæsectione præservata, exhibet ZACUTUS LUSITANUS M. P. H. Li. 2. histor. 39. pag. 251. id quod affirmat etiam STALPART VAN DER WIEL obser. rarior. Cent. 1. obs. 46. qui casum ex Galeno allegat, quod quidam juvenis per tres successive annos certo tempore palpitatione cordis vexatus, a venæsectione semper sensit levamen; quarto autem & sequentibus, tempestiva venæsectione se præservavit ab hoc molesto malo.

§. XII.

Longe frequentius est, a sanguinis & feri viscidioris nimia congestione ad cor ejus induci palpitationem. Scindum enim est, spissos ac crassos humores in motu suo circulari primum omnium in hepate perturbari, ob eam, quam Cap. de malo hypochondriaco allegavimus, rationem. Tum vero in imi ventris visceribus, partibusque nerveo-membraneis stagnantes, hæc ad spasmodicas proritant stricturas. Constricto abdomine cruor majori copia ad præcordia cogitur, & ex vena portæ omnium aterimus per venam cavam, in dextrum cordis thalamum pellitur, ea quantitate, ut naturalis systole ipsi propellendæ haud sufficiat. Tam crassus vero ac viscidus sanguis non raro relinquit stagnantem in corde portionem, cui expellendæ palpitans motus, isque sæpe vehementissimus opponitur, & inde quoque primum tantum non semper polyporum ponuntur rudimenta. Hinc ratio reddi poterit, cur hypochondriaci, scorbutici atque cachectici, cordis palpitationem, tanquam gravissimum symptoma non raro experiantur: curque puellæ, ob insignem in ventris compressionem, vestimentis huic scopo adaptatis factam, eodem facillime corripiantur

Sanguinis
cras-
sities.

malum. Non minus hinc clarum fit, quare viri ex hæmorrhoidum suppressione, gravi hoc symptomate affligantur, ac quare virgines cacochymicæ a mensibus incipientibus, haudque regulariter succedentibus; nec non foeminae, tributum lunare solvere desinentes, idem incidant vitium; quo plerumque circa lunæ insigniores mutationes laborant. Hoc in casu, ubi spissi sunt vitales succi, iis qui colica vel flatulenta, vel nephritica discruciantur, familiare symptoma cordis est palpitatio: dum enim & flatus, & spasmus comprimunt distenduntque imi ventris vasa, & hinc cruorem majori copia compellunt ad præcordia; facilis est ratio, inde subortæ cordis palpitatio.

§. XIII.

A materia acris cordi inhærescente.

Est porro non raro palpitatio causata, materia quadam subtili, acris ac caustica; quæ non modo nervis præcordialibus ac cardiacis insidens, spirationem difficilem producit; verum etiam cum humorum massa ad cor ejusque vasa coronaria delata, fibris carnis, nervisque adhærescens, eas graviter vellicando, ad violentos motus disponit concussorios. Sic prostant innumera exempla eorum, qui a scabie retro pulsa, purpura, vel non satis ad cutim progrediente, vel plane retrocedente, aliisque exanthematibus improvide retroactis, aut ulceribus præmature consolidatis, cordis passi sunt palpitatio: quod etiam de materia arthritica, podagricaque intus compulsa statuendum est. Quin notari meretur ille casus, quem de gravi cordis palpitatione, ex foetore pedum suppressio enata refert SIMON PAULI in *quadripart. botan. pag. 215*. Huc & illæ spectant observationes, ubi quidam ex vaporibus tetris, venenatis in hunc diu morbum inciderunt; qualem ex fumo antimoniali in pulmones suscepto abortum adnotavit GODOFREDUS SCHULTZE in *de nat. tinæ. bexoord. Cap. V.*

§. XIV.

Non vero solum a dictis humorum vitii atrox hoc malum inducitur; sed ad illud ingenerandum, sanguinis quoque defectum contribuere, pluribus compertum habemus exemplis. Sic post enormes sanguinis profusiones, si ve per uterum in abortu, aut puerperio, aut menstruis, si ve e pulmonibus per hæmoptysin, si ve ex aliis locis quadam violentia provocatæ fuerint; non modo cordis tremorem, sed veram quoque palpitatioem insequi, experientia comprobatur. Quemadmodum enim ad systolem & diastolem rite perficiendam, liquidi nervi non minus, ac sanguinis arteriosi debitus in cor, & ejus vasa requiritur influxus: ita hoc in dictis casibus imminuto, cordis quoque vigor labefactatur, nec sufficiens sit ejus contractio. Hinc ab irruente sanguine successive grumi & coagula in cordis cavis relinquuntur, quæ tandem cum lata, non modo impediunt regularem sanguinis transitum, lypothymiarum hisce adfectibus plerumque junctarum causam; verum etiam ad eam commotionem ipsum cor proritant, quæ audit palpitatio, sed in hoc casu levior deprehenditur; & simul crebrior.

§. XV.

Inter causas nostri mali omnino præcipuum sibi vindicant locum immoderatiores animi perturbationes, quarum modus agendi varius; quædam ita sunt comparatæ, ut vel humores celerius commoveant, & a partibus interioribus ad corporis superficiem compellant, veluti ira est, atque gaudium; vel eosdem magis ad interiora restringant, contractis exterioribus, quemadmodum de metu, terrore, tristitia &c. observamus. Hac ratione & iracundia, & effusum gaudium, rarissime veram inducent cordis palpitatioem; consentiente præter experientiam GABELCOVERO *observat. Cent. IV. Curat. 84*. Sed potius leviozem illum palpitantem motum excitant, quem §. II. non nisi frequen-

Ex defectu sanguinis.

Ab animi affectibus.

quentiori cordis & arteriarum systole atque diastole absolvi, & a vera palpitatione probe distinguendum esse docuimus. Metus frequentius efficit cordis tremorem; eundem vero causam palpitationis esse posse, testatur BAGLIVUS *prax. medic. Lib. 2. p. 229.* Omnium autem maxime terrorem ad provocandum hoc malum esse potentissimum, quotidiana confirmat experientia. Ratio in eo videtur posita: dum terroris ea vis est, ut contractis externis corporis partibus, succos vitales ad interiora magis compellat; ruunt hi majori copia ad cordis machinam; hancque, ultra naturalis dilatationis sphaeram distensam, ad præternaturalem cogunt resistantiam, quæ gignit palpitationem. Non semel quoque observavi, viros ac juvenes hypochondriacos, & qui debiliore nervorum genere sunt instructi, ex acrioribus meditationibus, prævia extremorum refrigeratione, atque vertigine, in cordis palpitationem incidere; quam etiam fœminæ hystericae ab odore suaveolentium patiuntur.

§. XVI.

Ex causis mali nostri remotioribus huc spectant cibi flatulenti, ab iis præsertim comesti, qui languidam obtinuerunt digestionem, veluti hypochondriaci sunt. Cibi nimirum tales leguminosi, ac oleracei mucosum in ventriculo ac intestinis relinquunt lentorem, ex quo resoluti vapores, non modo intestina distendunt, atque sic liberum sanguinis per abdominis vasa, circulum perturbant; verum maxime ventriculum expandendo, debitum septi transversi descensum, cruorisque per pulmones cursum præpediunt, & illius expeditum per cordis cava remorantur iter. Sic de se ipso testatur MALPIGHIUS in *Epistola ad BORELLUM*, se ab adsumptis leguminibus palpitationes persæpe molestissimas fuisse expertum. Hinc quoque ratio in promptu erit, cur hypochondriaci a pastu potissimum, palpitationem cordis patian-

tur: & quare permulti veterum causam hujus adfectus in flatulentia collocaverint; adeo ut HIPPOCRATES *Lib. II. epid. §. V.* dixerit, quod in omni cordis palpitatione fit flatulentia. Nec negligendæ in classe causarum occasionalium sunt imi ventris, pedum, tibiæque stricture, ac vestium iusto arctior applicatio: quippe quæ humores ad superiora magis compellendo, in dispositis ad producendum malum plurimum contribunt, quemadmodum GABELCOVE-RUS *Cent. III. Curat. 114. pag. 161.* confirmat; & Forestus notabilem allegat casum, ubi quis propter tibiæ arctius ligatas, dum somno meridiano se daret, cordis palpitatione prehenderetur; solutis vero iis, placide ac suavius quievit. Et denique in iis, qui a nimia sanguinis crassitie, vel polyposis concrementis, cordis palpitationi obnoxii sunt, quam plurimum ad eam revocandam contribunt omnes humorum commotiones, siue fiant per fortiora animi pathemata, siue per cibos potusque calidiores, quale exemplum de cibis nimis aromatibus conditis allegant M. N. C. *Dec. I. anno III. obser. 134.* siue denique per vehementiorem corporis motum, qui illis subjectis semper observatur noxius.

§. XVII.

Prius quam relinquamus pathologicam nostri mali considerationem, brevibus adhuc tradendum est, quid de aqua pericardii statuamus. Constat nimirum per plures observationes, quod in iis, qui cordis palpitatione extincti perierunt, aqua in pericardio copiosius collecta adparuerit: id quod variis exemplis confirmant CAROLUS PISO *de morbis a serosa colluvie p. 170.* OLAUS BORICHIUS in *Act. Hassniens. p. 173.* HOL- LERIUS in *Schol. Lib. 1. cap. 39.* TULPIUS *Lib. 4. cap. 20.* FERNE-LIUS *Lib. 5. pathol. c. 12.* Multi dictam pericardii aquam pro causa palpitationis venditarunt; at nos potius cum

Seridua
re par-
titi in-
ferio-
rum.

Cun-
ta, quæ
commo-
vêt hu-
mores.

Causæ
remotæ
sunt ei-
bi flatu-
lenti.

De a-
qua pe-
ricar-
dii.

LOWERO *tr. de Corde Cap. II. pag. 105.* statuimus, quod sit effectus pal-
pitationis. Namque sicuti multis ob-
servationibus compertum habemus,
quod sanguis, si in loco quodam sta-
gnaverit, serosam subtiliorem portio-
nem dimittat, uti in cerebro, intesti-
nis, utero, vesica &c. deprehendi-
mus: ita non minus persuasum ha-
bemus, quod a cruore in thalamis ac
auriculis cordis stagnante, & summa
violentia conquassato, subtilior pars
secedat, & in faciem pericardii ex-
travasetur: unde non hujus modo,
verum etiam pectoris hydropem ge-
nerari, ac supervenire cordis palpi-
tationi observamus.

§. XVIII.

Prægnos. Quod prognosin hujus mali attinet:
insignis est locus, quem GALENUS
lib. de locis affectis habet, dum dicit:
qui in juvenili vel declinante ætate
corripiuntur gravi cordis palpitatione,
raro ad senectutem perveniunt, sed
citius moriuntur. Et AVICENNA
sen. 3. primi l. doct. 5. cap. 1. caven-
dum maximopere, ne morte subita
intercipiatur, qui sic affectus fuerit,
his verbis commovuit: Ille, inquit,
cui tremor cordis assidue contigerit,
de se ipso sit sollicitus, ne subita interci-
piatur morte, quod symptoma hujus-
modi, cum principis partis proprium
sit, in syncopen, & inde in mortem
facile transmutetur; sicut idem au-
tor *sen. 11. tertii tr. Cap. 2.* conce-
ptis verbis affirmavit. Neque profe-
cto parvi habendus ac negligendus est
hic affectus, a quacunque demum sub-
oriatur causa: namque non raro con-
tingit, ut ille, si cor ultra sphaeram
elasticitatis adeo distendatur, ut se con-
stringi nequeat, in lethalem suffoca-
tionem, ac syncopem terminetur. Et
facilis quoque illius in periculosam hæ-
moptysin, phthysin, cachexiam, asth-
ma convulsivum, hydropem pectoris
& anasarcam est transitus. Metuen-
dum maxime de infelici est exitu, si
palpitatio fuerit frequens, si magna,
si cum anhelitu, animi deliquis, &

pulsus inæqualitate contingit. Gene-
ratim & in prognosi rite suppeditanda,
& curatione mali feliciter absolvenda,
adnotare oportet medicum, num cor-
dis palpitatio sit idiopathica, aut, quæ
causam intra ipsum cor, aut saltem
vasa ipsi vicina agnoscit; anne sym-
ptomatica, quæ morbis spasmodicis,
convulsivis, hysteriis, ac hypochon-
driacis tanquam molestum jungitur
sympptoma. Illa curari fere nequit;
hæc sublato primario morbo prorsus
cessat.

C U R A T I O.

§. I.

*Indicationes curatio-
nis.* Curationis affectus nostri convulsivi,
quo hic magis inveteravit, eo
difficilior redditur: namque cordis fi-
bræ, si tam frequenter præter natu-
ram vellicantur, ac distenduntur, tan-
dem adeo debilitantur, ut morbus fiat
habitualis, & a levissima resuscitetur
causa. Quare si in ullo, certe in hoc
morbo, principiis obstare oportet; quo-
niam non nisi nascenti morbo, perfe-
cta curatio, ipsi vero invalescenti, præ-
sertim idiopathico, palliativa dumtaxat
superest medela. Ipsa vero medendi
ratio hæc est. 1) Adniti oportet, ut
nimia commotio partium fibrosarum
& nervearum cordis ac vasorum apte
sopiat. 2) Sanguinis stasis circa cor
& pulmones impediri debet, ejus ad-
fluxum revocando, ac circulum red-
dendo liberiores. 3) Causæ, quæ
malum excitant extra paroxysmum
sunt removendæ.

§. II.

Quod paroxysmos attinet, dispi-
ciendum est rationali Medico, quæ oc-
casionalis causa ad illum inducendum
contribuerit. Si videlicet nimiam hu-
morum ebullitionem subesse cognove-
rit, præstantissima sunt remedia, quæ
temperant illam, simulque vi pollent
præternaturalem partium solidarum
motum compefcendi. Hoc nomine
præclari usus sunt pulveres antispasmo-
dici.

*Quid-
nam id
paroxys-
mo
sit fa-
ciend.*

alici, qui ex lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, nitro depurato, cinnabari, succino, dente hippopotami philosophice preparato, cornu cervi sine igne & tantillo extracti castorei appa- rantur: nec non pulvis noster præcipi- tans vel solus, vel liquori anodyno mi- nerali nuptus, & ex haustu aquæ frigi- dæ, quæ in temperando humorum or- gasmo, excellentem obtinet virtutem, liberaliori sumtus. Ubi flatulentia in- testinorum sustentat malum, alvus ad- stricta, cutis arida, pedesque frigidi sunt: præter dicta interna temperan- tia, externis quoque dimicare conve- nit: & imprimis flatuum per inferiora subductioni, alvinæque excretioni suc- currendum per clysteres oleosos, leni- ter carminativos. Pedes quoque in aquam tepidam immittere oportet: sed ea cautione, ut si iusto frigidiores fuerint, prius pannis calidioribus pro- be fricentur. Quandocunque nimix hæmorrhagiæ præcesserunt, viriumq; insignis prostratio cum crebris animi deliquiis præsto est, temperantibus jun- genda sunt analeptica: veluti mixturæ, quæ ex aquis liliorum convallium, mel- lissæ Turcicæ, cinnamomi sine vino, cerasorum nigrorum, pulvere Mar- chionis, lapidum cancrorum, liquore anodyno, & syrupo quodam analepti- co, v.g. florum quatuor cordial, con- ficiuntur. Et ipsa essentia Ambræ egre- gia virtute & analeptica, & roborante in hoc casu pollet.

§. III.

Neque vero spernendus est externo- rum remediorum usus: ex quorum nu- mero sunt fatus sacculique discutientes, & balsamici, ad præcordia & cordis scrobiculum adplicandi, qui ex rore- marino, mentha, melissa, floribus chamomillæ Romanæ aliisque specie- bus, aqua melissæ vinosa, sive l'eau des carmes irroratis adparari possunt. FORESTUS melissam viridem cum borragine calefactam, & cum aqua rosacea, ac momento aceti admotam laudare satis nequit: cui scopo etiam balsamum nostrum vitæ, præcordiis

inunctum faciet satis. Denique si san- guis abundaverit, & per satis longum tempus ex vena haud detractus fue- rit: nec ex commendatis remediis pa- roxysmus cedere velit: nihil fere su- perest, quam ut vena vel in pede et- iam, si reliquæ permiserint circum- stantiæ, in superioribus corporis par- tibus tundatur, & sufficiens cruoris detrahatur quantitas. Sic enim libe- rantur præcordia a nimia humorum mole: ac æquilibrium inter solidas, fluidasque restituitur partes. Hinc HORSTIUS *Lib. 3. obs. 16.* venæse- ctionem in ipso paroxysmo ad mira- culum profuisse testatur. Quidam fa- cta lateris dextri ad terram inclina- tione, paroxysmos levare ac tollere possunt: quales casus ipse vidi ali- quoties, & unum in A. N. C. *dec. 1. ann. 2.* relatum legi. Neque obscura est ratio: hoc enim incurvato corpo- ris situ, celerior sanguinis per venam cavam descendentem ad cor affluxus paululum intercipitur.

§. IV.

Extra paroxysmos omnis curandi intentio eo est dirigenda, ut causæ malum foventes tollantur, vel sal- tem imminuantur. Quo quidem fine impigre invigilandum est, ut quæ- cunque subit causa, excepta, quæ defectu sanguinis nititur, humorum incrementum studiose præaveatur. Sic enim succurrimus plenitudini, ac spissitudini illorum: sic quoque poly- porum, si præsto fuerint, retarda- mus augmentum. Et sane præstantis- simum, cujus ope hoc fine potiri li- cet, remedium est decenter instituta venæsectio: quæ sicuti in ipso paroxys- mo insignem fert opem, ita quoque extra illum, ad præcavendas novas accessiones, illustrem exserit virtu- tem. Hinc GALENUS *Lib. 5. de lo- cis affectis Cap. 2.* adfirmare non du- bitat, omnes palpitatione cordis la- borantes, venæsectione, & alimentis, ac medicamentis attenuantibus curatos fuisse ac liberatos. Consentiunt hac in re ANTONIUS ab ALTOMARI

De ve-
næse-
ctionis
usus.

Cap.

Exter-
na in
parox-
ysmis
adhi-
benda.

Cap. 45. CAPIVACIUS Lib. 2. Prae-
fic. cap. 8. VICTOR TRINCAVE-
LIUS in Praefat. de compos. medica-
ment. & Cap. de palpitatione cordis.
STALPART VAN DER WIEL obs.
rarior. Cent. 1. obs. 36. ZACUTUS
LUSITANUS M. P. H. Lib. 2. hist.
39. pag. 251. & VERZASHE obs. 90.
Hoc sane remedii genus; uti in illis,
qui ex nimia sanguinis plenitudine, aur
etiam spissitudine cordis palpitatione
laborant, omnium remediorum vim
& superat, & secundat: ita sane uni-
cum fere est subsidium, quo eos, quos
polyposa in corde concrementa vexant,
solari possumus.

Quomo-
do op-
pugne-
tur san-
guinis
spissitu-
do, at-
que po-
lypi.

Præterea pressius ad caussarum abla-
tionem accedendum erit; quo quidem
nomine, si symptomatica fuerit cordis
palpitatio, ad morbum primum in-
medendo respicere oportet. Hic si fue-
rit hypochondriacus, repetenda & in-
usum vocanda sunt, ea, quæ Cap. de
malo hypochondriaco commendavi-
mus. Præsertim vero quædam animad-
versio debetur humorum spissitudini;
quæ sicuti mater est concretionum po-
lyposarum; ita eandem fere cum his
requirit curationem, hac differentia,
ut ea in simplici humorum spissitudine
funditus extirpanda, in polypis vero
non nisi ad graviora pericula præpe-
dienda locum habeat. Utroque autem
casu hic est curationis cardo, ut & ali-
mentis & medicamentis perpetua hu-
morum fluxilitas conservetur: atque
salutarium excretionum successus ad-
juvetur. Quamobrem præscribenda
sunt infusa ac decocta aperientia, at-
tenuantia, ac resolventia; brodia ex
jusculis tenuioribus cum radice cicho-
rei, graminis, herba chære folii &c.
parata. Commendat quoque in tali
cordis palpitatione, quam melancholicam
vocat, serum lactis RHODIUS
Lib. 2. obs. 40. Omnium vero medica-
minum virtutem longissime superant
aquæ minerales, inque primis thermæ
Carolinæ; quippe quæ humores spissos,
coagulatos, viscidosque optime resol-

vunt, attenuant, impuros per excre-
tiones proscribunt, viscerumque in-
farctus feliciter referant. Et novi pro-
fecto quædam subjecta, quæ palpitati-
one cordis vexata, polyposa in corde
fovere videbantur concrementa; & ab-
usu venæsectionis, thermarumque Ca-
rolinarum annuo, se per multos annos
in vita conservarunt.

§. VI.

Quando malum causam & origi-
nem habet a mensum, vel hæmor-
rhoidum retentione, operæ pretium
erit, has excretiones in ordinem revo-
care; id quod medicinis temperanti-
bus, antispasmodicis, diluentibus,
blandis laxantibus, venæsectione, pe-
dikiviis, balneis, aquis thermalibus,
aliisque pro circumstantiarum varieta-
te peragere licebit. Quod si ulcera,
scabies, arthritica materia, aliaque
exanthemata intra corpus depulsa, e-
vacuatis per blanda laxantia, quæ in
primis viis hospitantur, crassis sordi-
bus, studendum est, ut materiam
acrem subtilem in massa sanguinea
oberrantem involvamus, ad exitum
disponamus, atque tum per cutis spira-
cula eliminemus. Quem in finem egre-
giam præstabunt utilitatem absorbentia,
ac diaphoretica fixiora, aut aci-
dula: veluti est mixtura simplex cum
liquore anodyno primum solo, dein-
ceps spiritui bezoardico Bussi, vel cor-
nu cervi succinato nupto maritata.
Hoc etiam sine profutur infusa calida
theiformia, mane intra lectum cum
regimine diaphoretico, eoque tempe-
ratissimo sorbillanda. Ubi denique vi-
tium in ipso corde, ejusque præterna-
turali constitutione, duritie ossæ, ex-
crescentia, abscessu &c. latet: nihil
prorsus valet ars medica. Interim ne
nihil egisse videamur, eadem via,
qua oppugnandos diximus polypos, in-
cedendum erit.

§. VII.

Præstantissima vero methodus, qua
hoc morbi genus præservare licet, in
studiosa causarum occasionalium evi-
tatione atq; rerum non naturalium re-

Curatio
mali a
reliquis
humo-
rum via
iis. or-
ti.

Methodus
præ-
servan-
dus.

Ho usu consistit. Quamobrem ii præsertim, qui polypis onerati videntur, sunt admonendi, ut motum corporis, maxime fortiozem fugiant; ne commotis ex eo humoribus, avellantur forsan fibrosæ illæ concretiones, & libere in vasis fluctuando, celeriozem ac funestum producant eventum: bene id monente GABELCOVERO *loc. cit. Cent. III. curat. 114.* qui etiam suadet, ut vellimenta, præsertim abdomini, femoribus, ac tibiis, maxime compressoria in sexto sequiori, laxiora admoveantur. Hoc non minus, ac alia momenta egregie explicat CRATO, dum *Lib. V. Consil. XII.* dicit: *Adstrictis vestis circa ventrem improbat, bene ventriculus, & pectus munienda sunt, ne ulla frigida aura ad ea penetret. Versari etiam in aura frigidiori, minime tutum est: nocturnus aer vitandus, & inchoante palpitatione subito clyster injiciendus, & manus ac pedes fricandi.* Victum porro non minus ac potum oportet esse tenuem; ac cibi, qui status movent, cane pejus & angue evitentur. Cumprimis vero cavendum ab animi affectibus, maximeque ab ira, atque terroze, ut & a voluptatibus venereis & nimis meditationibus; utpote quæ res ex sua natura hunc affectum in scenam producere valent. Postremo opera danda est, ut excretionez corporis bene respondeant, alvus semper officio suo fungatur, & transpiratio liberior conservetur.

CAUTELÆ.

S. I.

Cautela
circa
opiat.

Commendat auctores quidam opiata in cordis palpitatione remedia, & de iis magna prædicant. Verum cavendum maxime suadeo, ne vaporosa & fortiora narcotica, qualia sunt opiat, præsertim minus correctæ, in hoc affectu contopiendo interne adhibeamus; quippe quæ, & cum primis, si offerantur iis corporibus, quorum vires ab enormioribus

hæmorrhagiis penitus sese prostratæ sunt, potius damnum inferunt, & malum deterius reddunt, tantum abest, ut solamini sint adstrictis. Ecce minis autem hystericeis, in paroxysmis, qui palpitatione cordis stipantur, non sine fructu naribus admoveere licet vaporosa foetida ex castoreo, ala foetida, pennis ustis &c. parata. Contra vero in hisce casibus a suaveolentibus cavendum est: quippe quæ non modo ipsum malum exacerbare, verum etiam protinus revocare valent.

S. II.

Quemadmodum in omnibus spasmodicis affectibus, tam circa venarum in pedibus incisionem, quam pediluvia, perpetuè instar regulæ tenendum est, quod hæc medicamina, si pedes frigidiores fuerint, minime in usum vocanda sunt: quoniam malum sic exacerbatur: ita præsertim hanc cautelam in cordis palpitatione adnotare oportet. Potius frictionibus, ac fomentationibus humorum adfluxus in pedes est invitandus, & tum ejusmodi subsidia applicanda.

Pediluviorum
usus.

S. III.

Quandocunque malum ab humorum per hæmorrhagias deperditorum inopia, & virium jactura originem traxit: analeptica & vires rescipientia, quæ vero minime nimis calida esse debent, ne orgasmum inducant, sunt adhibenda: ex quibus instar omnium esse potest essentia ambre cum liquore anodyno mixta. Succurrendum porro est cibis nutrientibus, lacticiis, emulsivis, quæ sanguinem tuo regenerant: & quo digestio sit vegetior, ea sunt conjungenda subsidia, quæ totum ventriculi roborant, veluti est Elixir nostrum viscerale balsamicum. In malo chronico commendamus etiam aeris & loci mutationem, peregrinationem, jucundumque confortium.

Quæ obferant
in cordis
palpitatione
ab anæmia
inducta.

S. IV.

Emetica, fortiora purgantia, commoventia, volatilia, nimis aromatisata, & aciora, studiose in hoc malo sunt

Circa
emetica,
purgantia
sunt

altaque
seriora.

sunt evitanda: ea enim humores nimis commovent, & ventriculum spasmo afficiunt, quem pressio pede humorum ad præcordia affluxus insequitur. Ob vim commoventem caute etiam cum balneis aquæ dulcis procedendum est; illa enim, si adhibeantur, tepidissima, & paroxysmo remittente ex usu esse debent. Contra blanda diaphoretica, in eo potissimum casu, ubi retropulsa sunt exanthemata, insignem merentur laudem; quippe quæ lenem provocando sudorem, inimicam materiam simul expellunt, ac efflorescentiam ad corporis superficiem revocant.

§. V.

Scit'o
venarum
jugularis.

Quando cordis palpitatio ab inferiori plethora originem traxit, faciesque cruore valde turgida adparet: præstat interdum sanguinem ex tusa vena jugulari externa detrahare. Sed notandum circa talem est operationem, ut tepidiora pediluvia, & ante, & inter eam adhibeantur, ne nimius sit ad superiora sanguinis affluxus. Nonnunquam quoque necessitas postulat, ut præmittatur phlebotomia in pede; & ea in collo posthæc instituitur.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

Palpitatio
cordis a
cessante
narium
hæmor-
rhagia.

Generosa & venusta octodecim annorum virgo, hilari & acuto ingenio prædita, succi & sanguinis plena, lauto vivendi generi adsueta, singulis fere pueritiæ annis sanguinis satis insigne ex naribus profluvium experta est. Quo vero per biennium jam parcius succedente, exinde vel acerbiori capitis dolore, vel cordis vehementi pulsatione, magna cum molestia ad aliquot dies interdum perdurante, haud absque ingenti virium collapsu afficiebatur. Eadem quoque motu paulo validiori & animi & corporis vel repetebat vel ingravescebat, cum pectoris oppressione & spirandi angustia, pulsu subinde intermittente & inæquali con-

jecta. Neque parum hic affectus capiebat incrementi, quando ex male concoctis alimentis dolore ventriculi tenfivo & pressorio cum flatibus & rubibus ore plurimis emissis angebatur. Ceterum vero notatu erat dignissimum, quod parentes in adolescentia similes plane affectus, nimirum & narium hæmorrhagias, & cordis palpitationem fuerant experti. Hi igitur crebrius meam requirebant opem & consilium: equidem nolui multa fausta promittere, eo quod polyposi concrementi quidpiam jam tum præcordiis inhærescere judicabam. Ad levandum tamen malum suavi, ut sanguinem, qui ob copiosum mensum successum nunquam antea a Chirurgo fuerat detractus, ex brachii vena bis vel quater mitteret quotannis; a vino, quo una cum parentibus, qui in regione vinis abundante & cerevisiis carente nati ac educati erant, liberalius inter cibum uti consueverat, imposterum abstinere, & loco potus ordinarii aquam puram simplicem sumeret. Deinceps quoque animi ac corporis quietem commendavi, quibus effectum est, ut mitioribus deinde factis paroxysmis & corpus contabescens & vires collapsæ incrementum ceperint. Denique vero elapsis aliquot annis ingenti mœrore ob parentis obitum perturbata, gravius afflicta & febre tandem superveniente hectica e vivis sublata est.

Epicrisis.

Id non semel, sed sæpius observavi; sanguine ob nativam & hæreditariam corporis dispositionem abundantes, sub primis ætatis annis, quando per nates crebrius sanguinem evacuarunt, hoc subsistente fluxu, cephalalgis, imo cordis palpitationibus valde tentari; ita quidem, ut accedente narium hæmorrhagia, cordis tremor desinatur, ista vero vel imminuta, vel penitus sublata, invalescat. Et sicuti diæta, quæ lucos temperatos copiose ingenerat, eorumque ebullitionem concitat, cau-

sam

sam omnino huius affectui subministrare valet: ita victus tenuis, potus aquarum simplicis loco vini vel cerevisiæ, sanguinis quoque superabundantis per vices repetita missio, non modo si corpus natura dispositum sit ad tale malum, id præservandi, sed etiam si præsens est, mitigandi vel sanandi insigni omnino energia valent; adeo, ut etiam polyposis in gignendis concretionibus, quæ sanguineæ complexionis hominibus valde sunt familiares, & nostrum affectum incurabilem efficiunt, satis valide resistent.

OBSERVATIO II.

Vir generosus viginti & aliquot annorum, patre aulico mere sanguineo, qui canonicè quasi omnes, qui a sanguinis copia nascuntur, morbos a primis pueritiæ annis passus fuerat, natus, gracilioris sed proceri corporis, validis, cum in Academia degeret, corporis exercitiis vacans, postea quoque in aula fortiori pilæ lusui adfectus, cum aliquando per aliquot dies eidem inculceret exercitio, finito isto omnibus fere viribus collapsis in animi deliquium incidebat; subsequente insigni cordi tremore; quo eo tempore a levi corporis vel etiam animi motu sæpius fortiter ad aliquot horas correptus fuit. Ipse vero, uti in aula mos est, nulla habita diætæ & regiminis ratione cum liberalius se ingurgitaret vino, factum est, ut subsequenter annis, præsertim verno & autumnali tempore vires sumendo tam graviter sæpenumero priori tentaretur afflictione, ut præsumma spirandi angustia & præcordiali anxietate ferme semianimis jaceret; extremis algescentibus, & facie acceptore sudore frigido persusis, pulsu languido & inæquali, quandoque etiam intermittente. Ad mitigandos graviores, si forte incidebant paroxysmos, non præsentius inflexione dextri capitis lateris ad terram elevatis cruribus auxilium invenit. Suasi ego potum aquæ frigidæ, crebriores sanguinis e brachio

dextro missiones, a spirituosis abstinentiam, atque ut quieti se daret, & quotannis aquis thermalibus Carolinis, quæ a molendino nomen habent, uteretur. Cui consilio etiam paruit, & rariora inde longèque mitiora expertus est pathemata.

Epicrisis.

I. Sub validissimo ejusmodi & diutius durante exercitio, quia sanguinis ad cor, & omnis generis vasa vehementior est impulsus; fit inde ut crebrius succedente vehementissima ventriculi cordis dextri, imo arteriæ pulmonalis expansione, robur fibrarum cordis & illius arteriæ, una cum systolica vi maxime imminuatur; ita, ut copiosius aggesto, & difficilius progredienti sanguini, qui convulsivas cordis motioni causam præbet, rite propellendo non sit æqualis ac sufficiens.

II. Quod vero ab inflexione capitis ad dextrum latus in terram, morbi vis statim remiserit, id inde factum existimo: quia sub tali situ impetuosior sanguinis ad dextrum cordis ventriculum per venam jugularem affluxus impeditur, ut postea eo melius congestum sanguinem per arterias expellere possit.

III. Sectio venarum jugularium, imo earum, quæ in brachio sunt, in hoc morbo majoris est efficacis, quam ea, quæ aliis locis ventilatur, quippe, quo propius ea sit loco affecto, eo præsentius auxilium ferre observatur. Sed videndum maximopere est, ne confestim & semel, sed repetitis vicibus emittatur sanguis; ne impedito legitimo humorum ad cor affluxu, sublaque simul omni systole animi deliquium accersatur.

IV. Ad generationem vel augmentum polyporum in corde ejusque vasis, qui subito non modo vitæ exitum, sed & funestos & graves morbos, hydropem, asthmata, & id genus alios inferunt, præcavenda, ego simplicia aqua

aquæ potu vel etiam thermis Carolinis, quæ sale abundant alkalino, præstantius vix aliquid inveni; sed opus est, ut mature id consilium exsequamur.

OBSERVATIO III.

Palpi-
tatio
cordis
ex ter-
rore,
cum in-
sequen-
te hy-
dropse
lethali.

Puer duodecim annorum, constitutionis tenerrimæ, ac macilentæ, temperamentis sanguinei, ob grave domus incendium, ingenti percussus terrore, protinus in cordis palpitationem incidebat; quæ per intervalla longo tempore exercebat illum, & a passu maxime invalescebat. Dati a medico pulveres antepileptici cum opiatibus remixti, exacerbabant malum; cui post aliquot septimanas, dolor hypochondrii gravativus, interdum tensivus, respirandique difficultas accedebant. Hinc judicatum fuit, palpitationem ex obstructis hypochondriis fuisse subortam; & ideo anthypochondriacis, aperientibus, martialibus, aliisque, sed frustra pugnatum est remediis. Quare, cum nullum ferre superesse videretur consilium, per anni dimidium omnem medicinarum usum respuit ager: atque tandem mire extenuatus, pedum primo, mox totius abdominis tumore prehendebatur, cum insigni palpitationis levamine; superiora marcescebant, appetitus peribat, ingens vexabat tussis, & hoc immedicabili pressus hydrope, diem obiit supremum.

Epicrisis.

Quod gravis terror cordis palpitationem inducere possit, vel eo tempore docemur, quo periculosa incendia urbis incolæ terrent: tum enim plures palpitante tremore infestatos discurrere videmus; veluti hoc malum eò in casu esset epidemicum. Prout vero subsectorum diversa est constitutio; diversum quoque terror edit effectum, plus minus graviolem. In nostro puero mali vehementiam adauxit opiatorum pulverum usus; quibus sanguis viscidior, & ad subeunda concrementa

opportuniore redditur. Atque cum tali ratione, morbus in principio inconvenienter tractatus, dein plane sibi relictus fuit: non fieri potuit, quin humores hinc inde stagnaverint, eorumque serosa portio extravasata, hydropem generaverit. Tum vero, cum nimia succorum moles extra valvorum alveos extravasata, a corde derivata fuit, ejus motus palpitatorius omnino mitior esse debuit.

OBSERVATIO IV.

Juvenis, annos natus octodecim, temperamenti cholericæ, tenerioris constitutionis, & vivacis ingenii, hausto post vehementem iracundiam copioso potu, eoque frigido, mox ingenti cordis palpitante motu corripitur. Is per integrum vexabat annum, ita ut per intervalla, mox aliquot horarum, mox dierum recrudesceret; & a quavis humorum commotione, vel per vinum calidius, vel fortiolem corporis motum, vel graviorem animi affectum excitata, nec non ab usu ciborum flatulentorum protinus rediret. Interim manebant integræ vires, appetitus avidior, sanguine vultus, totumque corpus turgebat: quare, in calsum datis varii generis antispasmodicis, succinatis, castorinis, pulveribus antepilepticis, pilulis aperitivis, aliisque, tandem sanguis, ex vena in pede tusa, singulis detrahebatur mensibus; quo facto, juvenis ille, a malo suo feliciter fuit liberatus.

Palpi-
tatio
cordis
a nimia
sanguinis
cō-
motio-
ne.

Epicrisis.

Varie in præsentī casu concurrunt causæ; quarum una alteri manus præbuit auxiliatrices. Juvenis nimirum ille ingenti humorum præditus copia, simulque ad eorum stagnationes dispositus fuit. Accessit iracundia, quæ vim possidet exaltandi, & ad habitum corporis compellendi sanguineum; potus vero frigidus eundem in orgasmo constitutum ad interiora validius ras-

picu-

piendi facultate pollet. Quamobrem hujus copia nondum imminuta, in calsum utique data fuerunt cuncta, utut præstantissima remedia. Præstat potius in tali casu, sanguinis molem venæsectionibus, sæpius repetitis, imminuerè; atque tum relaxari fibris, per congrua subsidia, veluti sunt martialia, pristinum instaurare robur.

OBSERVATIO V.

Palpita-
tio cor-
dis a po-
lypo le-
thalis.
Ostodecim annorum adolescens, celeberrimi archiatri filius, constitutionis tenerioris, post corpus pilæ lusu ad calorem, sudoremque commotum, copiosam ingurgitavit cerevisiam; neque vero ullam, præter corporis lassitudinem, inde sensit molestiam. Elapsis duabus septimanis, largius hausit vinum; & insequente nocte protinus insigni capitis dolore, præcordiorum anxietate, vomitu, cordisque palpitatione corripitur. Hanc retinuit per quatuor annos, modo longioribus, modo brevioribus intervallis recurrentem, atque cum gravissimis semper stipatam anxietatibus: notabile tamen fuit, paroxysmos, incurvato corpore, vel reclinato ad dorsum capite, insigniter imminutos ac mitigatos fuisse. Si corpus fortiter commovebat, vinum large bibebat, aut animi quodam affectu exardescibat, vel etiam in sinistro decumbebat latere, repente invadebat paroxysmus, sub quo urina ferebatur tenuis & aquosa. Usurpavit varii generis remedia, sed in cassum; quin martialia malum exacerbarunt, sed frictiones pedum, ac clysmata semper levamen ferebant. Tandem se contulit ad Bremense Gymnasium; ubi victu salso, ac aere marino usus, pejus semper habere cœpit; donec tandem mortuus in lecto repertus fuit. Cadavere aperto, cor miræ fuit magnitudinis; & dexter maxime ventriculus, cum pulmonibus a cruore valde distentus adparuit; sinistrum autem thalamum, & arteriam aortam polyposa oblidebat concretio.

Epicrisis.

Mors in hoc casu clarissime ostendit, polyposam concretionem cordis palpitationi causam dedisse: quæ qua potissimum ratione, ab hauitu potus frigidi, corpori commoto ac calenti ingesto, generetur Obs. II. jam docuimus. Hujus ergo cum prima jam posita fuerunt rudimenta, accedens copiosior vini potatio adauxit humorum circulum, eosque celerius per cordis movit musculum: qui, debilitato naturali robore, ea nimia sanguinis mole oppressus, & ad validam, palpitantemque incitatus fuit resistantiam.

2) Increfcente sensim polypo, non mirum est, si paroxysmus a quovis humorum orgalmo, per iram, terrorem, motum, vinipotum, quin etiam frigus ac martialia, excitatus fuit & adaugetur. Horum enim omnium ea est natura, ut partes externas constringendo, vel sanguinem nimium commovendo, humores majori nisu ad præcordia compellant, quam quidem cor illud repellere potest. Observamus igitur sæpius, quod in hisce paroxysmis extremorum, & inferioris abdominis adsit quædam constrictio: hinc urinæ tum tenues minguntur, & clysteres pariter, ac pedum frictiones, horum spasmus relaxando, solantur miseros.

3) Quando in sinistro latere decubuit, paroxysmus eam ob rationem revocatus fuit, quoniam polypus liber orificio arteriæ magnæ se tum opponebat. Neque dubium est, quin in somno ex hoc situ fuerit suffocatus.

4) Omnis crassus, marinus, humidus ac frigidus aer, subjectis cordis palpitatione laborantibus insensus est: is enim constringendo externum corporis habitum, succos ad interiora magis cogit, & ad eorum spissitudinem ac dylerasiam multum contribuit. Neque vero calidior aer, qui humores nimis rarefaciendi vim possidet, iis con-

ve.

venit: sed serenus, qui nec justo calidior, nec solito frigidior est.

OBSERVATIO VI.

Palpita-
tio cor-
dis a
variis
causis
sustenta-
ta.

Vir generosus, militiæ præfectus, triginta annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, post vehementiorem per aliquot miliaria equitationem, paulo liberalius vino generoso indulgit, veneremque simul exercuit immoderatam. Nox, quæ sequebatur, erat inquietata, & gravi cordis palpitatione interrupta: quæ per aliquot etiam dies graviter, & per intervalla persistebat. Conquestus insuper de viribus prorsus dejectis, & totius corporis debilitate, ex consilio Medici, aquam melissæ spirituosam, quam l'eau des Carmes vocant, paullo majori copia sumit. At malum validius, præsertim noctu circa horam matutinam tertiam, summa cum molestia invadebat, ac per aliquot horas, cum copioso sudore, tantaque anxietate affligebat, ut lectum deserre, & discurrere cogeretur: ceterum alvus non rite respondebat, & hypochondria flatibus distendebantur. Elapso mensis spatio, cum meam quoque flagitaret opem, inquisivi in antea actum vitæ genus: atque sic percepi, ipsum ante decem annos, sputo cruento, cum hypochondriacis passionibus laborasse: nec non cruorem per venas hæmorrhoidales profudisse: atque elapso abhinc anno, suetam neglectui habuisse phlebotomiam. His exploratis, cum insuper plenum deprehenderem pulsus, dedi consilium, ut detracta protinus ex vena in pede tusa, sanguinis larga portione, loco cerevisiæ, aquam puram fontanam, cum quarta vini parte remixtam biberet: & cubitum iturus pulverem Marchionis, cum nitro, ac succino, nostra methodo præparato, ex aqua Melissæ sumeret. Quibus re-
cte adhibitis, egregie habuit.

Epicrisis.

Ad generationem molesti hujus mali, plures utique in hoc casu conspirant cause: nimirum, 1) nimia sanguinis ob vasorum corporis dispositionem, & omissam venæsectionem generata abundantia, 2) vehementior corporis commotio, 3) immoderatio vini ingurgitatio, 4) veneris intemperantia, & 5) remedium analepticorum abusus. Ex hisce vero momentis prudens medicus omnino veras medendi indicationes poterit invenire; quippe, quæ in eo consistunt, ut imminuta sanguinis mole, illius nimia expansio ac turgescencia sistatur. Huic autem scopo obtinendo, nihil sane venæsectione, ac aquæ frigidiæ potu, nec utilius, nec convenientius est. Quanto pretio phlebotomia suo jam tempore habuerit GALENUS in perlanando hoc malo, testatur *Lib.V. de loc. affect. Cap.II.* Etenim *palpitatio cordis*, inquit, *pluribus integra valetudine degentibus, tum adolescentibus, tum adultis, subito sine alio manifesto accidente evenire visa est, atque omnes eos sanguinis detractio juvit: Et hoc accidente plane liberati sunt, qui post sanguinis missionem, tenui victu, similibusque medicamentis usi sunt; quos vero hujusmodi accidens rursus infestavit, eadem cura sanatos vidi.* Quod ad potum aquæ frigidiæ fontanæ simplicis attinet; ego certe eximiam, & plane singularem ad levandum hoc malum, sive a nimia sanguinis exundantia, sive ex nimio illius ac virium defectu obortum fuerit, ab ejusmodi potu, moderatius & crebrius sumto deprehendi; eo quod exstantem nimis sanguinem deprimat, vires dissipatas colligat, fibræque relaxatas roborat.

OBSERVATIO VII.

Dum hæc scribo, requirit meum per litteras judicium, Illustris quidam Transylvaniæ Liber Baro, anno-
rum

Palpita-
tio ia le-

ne a vc-

rum sexaginta trium, temperamentum cholerico-melancholici, continuisque curis ac laboribus implicitus. Hic ante aliquot menses, cererique sanus, ad vicinos iter facturus campos, equo insedit ferociori ac insolentiori; & fortiori molestaque succussatione, corpus ad senectutem vergens, vehementer conquassavit. Descendens equo, protinus in tantam incidit cordis palpitacionem; quæ non manus solum pectori admotas valide feriebat, sed vestimenta quoque violenter vibrabat; virumque illustrem per integram ac dimidiam horam adeo premebat, ut loqui haud potuerit. Vena quarto abhinc die tundeatur: sed nihilominus molesta palpitatio, utur priori levior, per vices recurrebat, & adhuc vexat: junctis animi, qui antea benignior erat, atque hilarior, insigni morositate, continuis vigiliis, & somno, si forsan accederet, multis terculamentis, innumerisque phantasie lulis interrupto.

Epistolis.

Discimus ex hoc casu, quantum detrimenti iis, qui spissis humoribus imbuti, aut polyposis rudimentis præditi sunt, inferat fortior corporis motus. Quemadmodum enim hic, si placidior fuerit, ad resolvendum humorum coagulum, multum confert: ita sane, si fortior ac immoderatio sit, non modo ad generandos polypos contribuit, verum etiam illos sepe numero a firmiori cohesione avellit, & ægros vitæ submittit periculo. Idem occasionalem præbuit causam palpitacioni cordis, qua vir illustris premitur: dum humores crassos, viscidosque, quos ille ob vitam laborum ac ærumnarum plenam, sibi contraxit, nimium commovit, vel rudimenta polyposa, quæ forsan obsederunt cor, avulsit. Oportet sane, ut statim incisa fuisset vena; quoniam tali ratione augmenta morbi præpediri potuissent. Interim commendavi, ut eam adhuc, si sanguis abun-

Hoff. Syst. Tom. VI.

daverit, institui, ac singulis binis mensibus iterari curaret; non minus pediluvii tepidioribus uteretur; & quum in ea regione vino calidiori Hungarico nimis indulgere solent, hoc vitaret, & potius aquam vel solam, vel cum Cinamomo decoctam potaret: quibus non dubito, quin si nondum polypi firmas egerint radices, morbi sanationem, sub convenienti victus observatione, & motus corporis moderatiori exercitatione, simus impetraturi.

OBSERVATIO VIII.

Illustris scemina, triginta annorum, teneræ sed vegetæ constitutionis, animi tamen sensibilibus, tertia vice puerpera, quarto post partum die ad lac reprimendum, quod ipsa infanti præbere noluit, usa est epithemate, mammis lacte admodum turgentibus appposito; & ex cicutâ aquaticâ, detestabili obstetricis errore pro herba petroselinâ habita confecto. Sensit mox inde ingentem cum dolore pungitivo, rubore & præcordiorum anxietate ardorem; postridie copiosæ in mammis apparebant vesicæ, satis latæ; quæ remoto epithemate acerrimam effuderunt materiam; sed inde pessime habuit puerpera: summa enim spirandi angustia, & ingenti cordis palpitacione ac tremore vexabatur. Chirurgus ad erysipelaceum tumorem & dolorem levandum applicabat unguentum de cerussa; quo factum est, ut non priora modo symptomata, sed cordis etiam convulsivi motus ita invalescerent, ut accedente virium, & appetentiæ, nec non somni totali defectu, corporisque marcore crescente, data jam a Confessionario benedictione, sæpius animam expiratura videretur. Alvus præterea valde erat adstricta, sitis inextinguibilis, ob aphthas, ac pustulas ardentes faucium ingravescentes; quæ symptomata cum cordis palpitacione per tres inhærebant menses. Tandem vero sequente molestissimo salivæ, per quatuordecim fere dies insistente fluxu, & cordis pal-

Cordis palpitatio ex cicutâ aquatica mammis, loco petroselinâ ex errore adposita.

K

palpitatio, & reliqua symptomata sensim sensimque evanescabant. Sed ab eo tempore per tres jam annos conflictata fuit, pathematibus hypochondriaco hysterico cum Melancholia junctis. Atque in hoc affectu meum desiderans consilium, ex Lusatia inferiori huc accessit. Ego per æstatem ordinavi curam fontis Selterani, cum tertia lactis asinini parte mixti: qua absoluta, non sine fructu usa est balneo Lauchstadiensi. Neque vero a pathematibus hypochondriacis, autumno, hyemeque maxime adficientibus plane libera, per aliquot annos magno cum emolumento adhibuit acidulas Selteranas cum lacte, & liquorem anodynum cum pulvere præcipitante, non neglecto decocti temperantis, ac elixirii visceralis usu.

Epicrisis.

Memorabilis hoc in casu est perniciosus citius aëmaticus, extrinsecus adplicatus effectus, qui a tenuissimo sale acri inflammante, nerveas cordis, & diaphragmatis fibras convellente deduci debet: quippe quod tam firmiter eis in hæsit, ut perseverantem per tres menses cordis palpitationem produxerit. Quemadmodum vero omnium ejusmodi venenorum vis optime liquidis, & acrimoniam demulcentibus infringitur: ita & in hoc casu, a maturo lactis & emulsionum usu optimum sperandum fuisse præsidium certissime persuasus sum.

II. Notatu, imo admiratione dignum est, quod venenum illud vegetabile in excitandis aphthis & largo salivæ profluvio, quo mitigata & suppressa vis morbi est, similem fere indolem ac vim cum mercuriali veneno habuerit.

III. Noxia vero omni procul dubio fuit applicatio emplastri, liberiosem veneni diffusionem inhibentis, quo magis ad interiora conversum est.

IV. Fœmina nunquam fuit antea

in passionem hypochondriacam vel melancholicam prona: quæ ob summe debilitatum nervosarum partium inque primis ventriculi & intestinorum systema per tam immanem vim morbi demum producta est. Quare etiam ea remedia præscripsimus, quæ blanda & demulcente virtute acrimoniam obtundunt, & nervosis partibus, temperatum motum eis conciliando amica sunt.

CAPUT II.

D E

ASTHMA CONVULSIVO,
ET SPASMODICO FLA-
TULENTO.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Vetus, sed verissima, & medicorum & vulgi est sententia: Respirationem & vitam pari ambulare passu. Vitam, omnesque, quibus illa conservatur, functiones, magno illo ac universali sanguinis ex corde ad omnes partes, & ex his ad cor circuitu absolvi, certissimum quidem est: nihilo tamen secius hunc, & consequenter ipsam vitam, absque particulari, ea, ac minori, quæ fit ex dextro cordis ventriculo per pulmones ad sinistram, humorum circulatione, salvum esse ac subsistere neutiquam posse, adeo verum deprehenditur, ut hac cessante, protinus vita, omniumque functionum exspiraret exercitium. Quum vero hic sanguinis per pulmones circuitus, absque libera respiratione fieri omnino nequeat; facile judicare licet, quantum ad conservandam vitam momentum contribuat facilis, & secundum naturam se habens spiratio; & contra quam sit damno eadem morbosa, impedita, vel plane intercepta: cujus rei clarissimum documentum illi præbent

Respirationi
necesse
est.

bent morbi, qui spirandi difficultatem habent comitem.

§. II.

Asth-
matis
defini-
tio.

Sunt equidem magnæ, & quam plurimæ ægritudines, quibus difficilis ac laboriosa, tanquam molestum symptoma, jungitur spiratio; maximeque tales, quæ in pulmonibus fixam obtinent sedem, veluti pleuritis, per pneumonia, tussis, phthisis, scirrhi, tubercula, & vomica pulmonum: attamen multæ dantur insuper, tam intra, quam extra thoracem causæ, quæ respiratori, & vitali humorum circulationi insensæ, summum minantur periculum, & morbum producunt, qui Græcis asthmatis nomine venit. Hoc vero secundum nostram sententiam nihil est, quam impedita, & laboriosa admodum respiratio, cum ineffabili anxietate, & præcordiorum angustia juncta, liberum sanguinis per pulmones circuitum turbans, a variis causis suborta, periculi suffocationis non expers.

§. III.

Diffi-
culta-
s
asthma-
tis con-
vulsivi
a pitui-
toso.

Quemadmodum variæ sunt causæ, ita varia quoque asthmatum occurrunt genera. Datur dispnoea quædam levior, quæ subjectis succorum plenis, corpulentis, atque pinguibus familiaris est, maxime si corpus valde commoverint; & nititur quoque difficiliori sanguinis per pulmones progressu, & nimia vasorum expansione, aeris ingressum sufficientem præpediente: sed hæc periculo vacat, & transitoria est. Deinceps occurrat asthma pituitosum, quod cum tussi humida, ac rejectione pituitæ viscidæ conjunctum, noctu dieque sub quocunque corporis situ infestat, & copiosiori muci viscidæ, vesiculas pulmonales obfidentis, & aeris liberiores ingressum & egressum præpedientis, ad præcordia aggræssioni debetur. De hoc autē Tomosequenti medic. Syst. disseremus, & jam de eo potissimum agere constituimus, quod a spasmodica partium spirationi dicatarum strictura, a diversi generis causis, intra & extra thoracem consistentibus oborta gignitur, & vocatur spasmodico flatulentum, atq; convulsivum.

§. IV.

Hoc vero convulsivum asthma differt omnino a suffocatione convulsiva hysteriarum, quæ non nisi spasmodica constrictione, ac veluti strangulatione summæ faucium, laryngis, atque pharyngis nititur; & ætato laryngis canale, aeris sufficiens liberumque ad pulmones iter præscindit: cum in nostro adfectu transitus per arteriam asperam satis liber sit, & vitium in ipsis potius hæreat pulmonibus, adeo ut nunquam sola inspiratio difficilis, expiratio vero legitime succedat; testante casu in CONSULT. MED. Tom. I. Sect. II. casu 91. pag. 414. recensito. Discernere porro oportet asthma convulsivum, a catharro suffocativo, quippe qui cum vultus rubore, stertoreque stipatus, paralytici quid involvit, & intra paucos dies solvitur; cum illud, stertore vacuum, ad morbos pertineat longos.

Differt
a
suffoca-
tione
hysteri-
carum.

A ca-
tharro
suffoca-
tivo.

§. V.

Asthmatis incepturi notæ optime ab ARETÆO Lib. III. c. XI. descriptæ, hæc sunt: gravitas pectoris, tarditas ad opus solitum, & ad aliud quodlibet gerendum, in cursu, aut in acclivi itinere difficilis & agra spiratio; rancefcunt, ac tussunt, flatus in præcordiis, atque eruptiones præter rationem excitantur, vigilat, noctuque parum & obscure incallescunt, naves acutæ ad spirationem paratas habent. Si malum pejus ruat, malæ rubent, oculi prominent veluti in his, qui strangulantur, stertunt, dum vigilant, multo magis cum dormiunt: humida, obscura, sonoque carens vox est, multum & frigidum aerem cupiunt; sub diu ambulant, qualibet enim domus, ipsis ad trahendum spiritum parva & angusta est. Erecti spirant; tanquam omni aere attratto potiri cupientes; præ aeris autem cupiditate & os aperiunt, patefaciuntque, tanquam eo ampliore indigentes. Ipsorum facies, præter malas, quæ rubent, pallida est; sudor circa frontem & jugula emanat; assidua & aspera tussis infestat, rejiciuntur pauca, tenuia, frigida, veluti quedam spuma efflorescentia;

Signa
asthma-
tis con-
vulsivi

inflante spiritu collum intumescit, præcordia revulsa sunt; arteriarum pulsus parvi, crebri, atque depressi, crura exilia. Quod si hæc ulterius incrementa capiant, instar comitialis morbi, nonnunquam hominem strangulant. At si vertantur in melius, tussis longior & ravior fit, plura excernuntur saniosa sputa & humidiora; multa per ventrem aquea exturbantur, urina copiosa excernitur, licet nondum quicquam in ea subsadat, vox sonantior clariorque redditur, somni longiores, quantum satis fuerit, efficiuntur; præcordia remittunt, dolor interdum ad scapulas cum remissione transit, anhelitus rarius, levis, sed cum asperitate fit.

§. VI.

Ulcus
morbi
historia.

Quo magis invaluit ac inveteravit malum, eo acerbiora ac vehementiora hæc omnia fiunt. Alvus cæterum plerumque est adstrictior; & urinæ minuantur tenues ac aquosæ. Accedunt frequentissime pedum, dein manuum, faciei, ac dorsi tumores, brachiorum torpor: facies fit lurida, plumbeoque colore notata, jungitur febricula cum typo irregulari, vespertinis exacerbata temporibus; supervenit cachectica corporis defœdatio, cum tumore pedum œdematoso, hydrops pectoris, vel etiam ascites, ac anasarca: atque tandem afficiatur paralytica alterutrius lateris, vel saltem brachii resolutio: aut loco hujus, quod notabile est, amaurosis, quæ est oculorum paralyxis, observata fuit a GOHLIO in Schediasmate, de asthmate convulsivo a polypo cordis. Et quoniam tantum non semper suffocatione finitur hoc asthma, dicitur quoque suffocativum.

§. VII.

Subje-
cta asth-
matis
convul-
sivi.

Attenta vero experientia docet, eos potissimum homines, qui sunt temperamenti sanguinei, vasis exilioribus, ramen copiosis instructi, obesiores, plethorici, pectoris angustioris, post vehementiorem animi, vel corporis commotionem, quacunque de causa fiat, tempore præsertim vernali, & autumnali in affectum astmaticum

esse proclives. Multo magis eo tantantur, si mensium ac hæmorrhoidum inordinato fluxu, vel plane defectu laborant, aut consuetas sanguinis missiones, per scarificationem, vel venarum incisionem intermiserunt: necnon si fuerint hypochondriaci, & ventriculus ac intestinorum canalis, ob turbatum vel perversum motum peristalticum, flatibus scateant, & spasms affligantur. Eo certius hæc incommoda patiuntur, si excretiones seri acris per quascunque vias fuerint suppressæ, aut languide succedant.

§. VIII.

Si dispiciamus, eorum, qui hoc morbo perierunt, anatomicam Sectionem,prehendimus plerumque fluctuationes aquarum in pectore, una cum polyposi in corde concrementis; quales casus allegant CAROLUS PISO de morb. ex colluvie serosa pag. 214. SCULTETUS in append. obs. 31. p. 252. ACT. MEDIC. BEROL. Dec. II. Vol. VII. pag. 67. In quibusdam sola feri in pectore extravasatio, absque cordis polypo reperitur: qualis est observatio, quam ACT. BEROL. dec. II. vol. VIII. pag. 21. referunt, ubi simul aorta fuit ossæ. Contra in aliis pulmones sanguine atro, stagnante, extravasato infarcti reperiuntur, veluti WILLISIUS pharm. rat. Sect. VII. Cap. III. exemplo ostendit: nonnunquam salvis pulmonibus, & bronchiis, polypodumtaxat in corde concrementa occurrerunt: testantibus observationibus, quas PEZOLDUS observ. 85. pag. 115. M. N. C. dec. III. anno II. obs. 185. & Dec. I. anno 4. obs. 11. memoriæ tradiderunt: ut aliorum, quibus infra passim mentio fiet, exemplorum historiam silentio prætermittam.

§. IX.

Quo vero eo clarius adpareat, quæ ratione astmaticus noster morbus generari queat: operæ erit prærium, pauca de respirationis negotio hoc loco præmittere. Ad respirationem

Defun-
ctorum
Sectio.

Respi-
rationis
negotium
expli-
catum.

itaque naturalem opus primum est, ut ingens illud pulmonum viscus, quod ex innumeris vasis sanguiferis, arteriosis & venosis, fistulis quoque & vesiculis membranaceis est contextum, a fluido atmosphaerico, elastico, aereo aethereo, ampliata per alleviationem costarum thoracis cavitata, ingrediente sufficienter expandatur. Hac expansione fit, ut per ramos & arteriosos & venosos, qui antea valde erant complicati, jam expansos, sanguis libero, & minus impedito itinere per pulmones, & ad sinistram cordis ventriculum progredi queat; quoniam pressio vasorum sanguineorum, a vesiculis aere distentis facta, hunc progressum faciliat. Quum vero aer intra pulmones humidis vaporibus repletus, & elasticitate sua orbatus, iterum exire, & loco hujus recens, ac vi expansiva elastica animatus rursus ingredi debet; necesse est omnino, ut thorax concidat, facto ejus cavitatis spatio angustiori. Alternans ergo dilatatio, & constrictio thoracis, expansio & confidentia pulmonum, sufficiens ingressus & egressus aeris, & cordis aequabilis motus, liberam & naturalem efficiunt respirationem, ad vitam sanitatemque conservandam summe necessariam. Quando vero cunque causae quaedam obveniunt, quae sufficientem aeris in pulmones ingressum & egressum remorantur, vel muscutorum thoracis, item abdominis, septique transversus motum dilatatorium ac constrictorium, atque ipsius cordis convenientem Systolen, atque diastolen pervertunt: protinus morbus ille, quem explanandum suscepimus, asthmaticus praesens est.

§. X.

Quibus suppositis, facillimum jam erit, aethiologiam asthmatis spasmodici ob oculos ponere. Et quoniam variae illius existunt causae, primum considerabimus illam, quae sanguinis vitio debetur. Atque hac ratione observamus, a sanguinis & humorum nimia mole, crassitie, & congestione ad praecordia, grave generari asthma. Quando

Hoff. Syst. Tom. VI.

enim sanguinis & humorum massa majori copia, & impetu ad dextrum ventriculum irruit, maiori quoque quantitate ad ramos vasorum pulmonalium congeritur, quae vis aeris inspirati elastica ob sanguinem nimium resistentem imminuitur: & ideo sanguis, qui non satis vegete propellitur per venam pulmonalem, in hujus ramulis stagnat; atque novus ille, quem cordis perpetuus pulsus adfert, vasorum ramos distendit, dilatatque: unde spirandi difficultas, summa anxietas, cordis tremor, ac palpitatio, cum pulsu inaequali, parvo, celeri & frequenti suos mutantur natales. Hoc asthma sanguineum vocari quoque meretur spasmodicum: quoniam stagnans cruor nimium distendit & vasa, & nervorum ramulos & vesiculas membranaceas comprimit. Jam vero perpetue instar regulae tenendum est, quod nimia tunicarum nervearum a copiosius stagnante in iis cruore expansio causam praebet constrictioni spasmodicae: & vicissim haec ipsa ad stagnationem & congestionem humorum multum faciat. Huc pertinent exempla eorum, quorum pulmones post mortem, sanguine atro, stagnante, & extravasato infarcti fuerunt reperti, quale de sacerdote (quod hominum genus propter crebriorem sermocinationem humorum congestionem ad pulmones praereliquis obnoxium est) allegat WILLISIUS *pharm. rat. Sect. VII. cap. IH.*

§. XI.

Hoc genus asthmatis admodum familiare deprehenditur hypochondriacis; quoniam in iis humores vitales, qui crassiores plerumque sunt, ob inferiorum partium stricturas, majori ad praecordia compelluntur quantitate. Complicantur vero in his subjectis tantum non semper flatulenta ventriculi, primarumque regionum distentiones; atque malum reddunt longe deterius. Namque dum diaphragma proxime incumbit ventriculo, ab hoc flatibus distento, protinus adficitur; ejusque liberior motus

Asthma
spasmodico flatu-
tuncat.

tus impeditur, atque hinc etiam pulmonum debita expansio coercetur. Præterea sæpius fit, ut spasmus constringatur septum illud nervosum; quo constricto, œsophagus quoque, qui illud perforat, adeo coarctatur, ut nullus erupturis vaporibus pateat exitus. Inde angustia præcordiorum horrendum in modum exacerbantur; & solutis quodammodo vinculis, ructus incredibili & copia, & sonitu exploduntur, malique levamen inferunt.

§. XII.

Asthma
convul-
sivum
strictæ
sic di-
ctum.

Quod strictæ convulsivi nomen meretur asthma, & satis frequens occurrat, fit absque præsentia crassæ materialis causæ, a spasmodica partium spirationi inservientium, maximeque membranarum cellulas pulmonales investientium constrictione. Dum enim tunica nervosa septi transversi, dum membranaceæ musculorum intercostalium partes, dum sensibiles, quæ pulmonum cellulas undique cingunt, membrana spasmus constringuntur: arctatur thoracis spatium, coercetur pulmonum expansio, impeditur aeris sufficiens in cellulas pulmonales introitus, & cruoris per pulmones transitus, ac ex uno in alterum cordis ventriculum circuitus mirifice retardatur. Quum vero constrictæ pectoris regiones nervos suos mutuuntur a vertebralibus, atque dorsalibus, qui etiam ad brachia ramos mittunt; facile patet, cur totum pectus cum brachiis grave ac tensum sit, scapulæ, dorsum, ac sternum dolore corripiantur, atque brachia torpore, quin tandem quoque paralyti, ob impeditum a strictura liquidi nervei influxum, adficiantur.

§. XIII.

Causæ
asthma-
tis con-
vulsivi.

Hæ spasmodicæ constrictiones protrahuntur a materia acris, subtili, caustica, quin sæpe virulenta, ad dictas nervosas præcordiorum partes incumbente: quæ generatur, atque originem suam repetit a sudore, maxime in scorbuticis, repulsione; nec non exanthematibus, efflorescentiarum, & quarumcunque feri ac lymphæ acrioris ex-

cretionum, vel ad artus exteriores depositionum non sufficienti evacuatione, vel improvida adstrictione. Sic testatur multiplex experientia, malum nostrum exoriri ab erysipellate, variolis, maximeque morbillis, purpura, maculis & pustulis quibuscunque scorbuticis, haud satis ad corporis superficiem pulsas, aut crasso adstringentium usu retroactis; a scabie, tinea, vel achoribus capitis, crusta lactea, per oleosa, pingua, aut linimenta sulphurata, præpostere exsiccatis: a pedum fetore represso: a transpiratione totius corporis subito cohibita; qualis casus reperitur in CONSULT. MED. Sect. II. cas. 90. ab ulceribus chronicis, vel fonticulis inopportune consolidatis; qualis observatio de astmate convulsivo ab ulcere scroti serpiginoso, aqua mercuriali exsiccato orto invenitur Lib. cit. Sect. III. casu LXIV. a podagra vel arthritide partim ex defectu virium, partim male feriatis artibus retrocedente; uti quidem de podagra casus CONSULT. Sect. II. 93. de arthritide Sect. II. 92. inserti testantur.

§. XIV.

Huc fere pertinet asthma illud spasmodicum siccum, quod a fumis metallicis, saturninis, sulphureis, venenatis, arsenicalibus, carbonum fossilium, ac exhalationibus aquæ fortis, iis præsertim evenit, qui in metallis laborant, uti sunt metallicolæ, & quoddam fabrorum genus. Conf. disp. mea de Metallurgia morbifera; & in ACT. MEDIC. BEROLINENS. Dec. I. vol. VI. pag. 31. casus recentetur de fabro ex attractis cineribus metallicis inter eas malleo tundendum in asthma convulsivum delapso. Tetri namque & virulenti istiusmodi vapores, per inspirationem attracti, incumbunt nervosis vesicularum pulmonalium membranis, hæque constringendo, libero ac intimiori aeris in eas accessui iter præcludunt, ideoque grave hoc machinantur malum.

Asthma
convul-
sivum a
fumis
metalli-
cis.

§. XV.

§. XV.

Asthma
suffoca-
tivum a
lesione
diaph-
ragma-
tis.

Sola diaphragmatis strictura spasmodica, absque ullo pulmonum virio sufficiens est, totum respirationis negotium perturbandi, & repentinam suffocationem inducendi. In recenti adhuc memoria mihi sunt bini notabiles, sed tristes simul casus, ubi subjecta antehac per omnia sana, ex gravi percussione scrobiculi cordis, & ejus regionis, cui adnexum reperimus septum transversum, subito perierunt suffocata; & post mortem dissecta, nullum ostenderunt in toto corpore vitium, quam levem in tendinea diaphragmatis parte fugillationem, ejusque stricturam. Neque minus observatione constat, vulnera in idem diaphragmatis centrum, punctim inflata, momentaneam intulisse suffocationem, ut taceam spirandi summam difficultatem, quæ ex nervosis illius septi inflammatione percipitur. Neque obscura est ratio: constrictum enim diaphragma retinet convexum, qui sub inspiratione planus esse deberet, fitum; quo thoracis cavitatem adeo eo arctat, ut pulmones non satis expandi queant.

§. XVI.

Asthma
spasmo-
dico-ca-
checti-
cum.

Neque silentio prætereundum est asthma illud spasmodicum, quod in cachecticis a tumore œdematoso pedum, quacunque de causa intra corpus repulso, cum gravi pectoris oppressione, & anxietate originem trahit. Ratio fere est eadem cum asthmate sanguineo. Namque serum illud spissum ac vapidum, quod in pedibus stagnavit, dum inducta ipsis strictura sursum repellitur, absorbetur a venis sanguiferis, & ad præcordia fertur. Ibi ex dextro cordis ventriculo cum reliqua humorum massa, in arteriam pulmonalem, ejusque ramulos pulsum, hos tanta replet copia, quæ, comprimendo simul vesicas pulmonales, resistit irruenti aeri, ejusque ingressum ad propellendum per venas cruorem sufficientem remoratur. Ergo stagnat ille sero viscido repletus sanguis in arteriosis ramulis, hos

graviter distendit, & sic summam anxietatem, spirandi difficultatem, ac interdum repentinam suffocationem inducit: quæ fere certissima est, si pedum œdemata repelluntur in iis, quorum corda polypis obsessa sunt. Et observavi in ejusmodi subjectis, quod, si febre intermittente correpta fuerunt, sub frigoris accessione pedum tumores subito evanuerint, ingentem spirationis angustiam, quin tertio semper paroxysmo repentinam sub ipso frigore post se traxerint suffocationem; qualem casum CONSULT. MED. Tom. I. Sect. 2. casu 62. inferui.

§. XVII.

Datur asthma, quod magis suffocativum dici meretur, & a polypis cordis ventriculos obsidentibus suboritur. Hoc non raro in repentinam definit suffocationem, & post mortem nihil in corpore ostendit præternaturale, quam polypos; sicuti testantur observationes a RIVERIO Cent. I. obs. 82. TULPIO Lib. I. cap. 27. PEZOLD. obs. 58. pag. 115. A. N. C. dec. 3. ann. 2. obs. 185. allegata &c. Dum enim polypola concretamenta, maxime si sinistrum cordis obsederint thalamum, præscindunt sanguini e pulmonibus redituro iter, accumulatur ille in pulmonum vasis, distendit ea, impedit accessum aeris; atque non remoto polyposo repagulo, in lethiferam prorsus statim & suffocationem terminatur.

Asthma
suffoca-
tivum a
polypo
cordis.

§. XVIII.

Hydrops denique pectoris, quam plerumque sit perniciosus asthmatis convulsivi effectus, attamen & ab hoc, & ab aliis causis, v. g. pulmonum inflammatione, vel violentia extrinsecus illata &c. ortus, gravi asthmatis suffocativo suppeditat causam. Ubi præsto est, hæc fere sunt notæ. Tumor œdematosus non pedes solum, verum etiam manus occupat; harum enim tumorem, pro pathognomonico hujus affectus signo, solertissimus jam agnoscit BAGLIVUS, dum Prax. Med. Lib. I. dicit: quod illis, qui pectoris

Asthma
suffoca-
tivum a
hyd. o-
pe pec-
toris.

hydropes laborant, manus intumescant, immo totum quandoque brachium ad cubitum usque. Observatur quoque in iis aquarum in pectore fluctuatio, præprimis si corpus ad latera inclinet, tremor cordis, torpor, ac paralysis brachiorum, tussis sicca, interdum serum pellucidum secum ducens, ac febris anomala. Quando cordis polypus complicatur, quod plerumque fit, adsunt cordis palpitatio- nes, & arteriarum intermittens pul- sus.

§. XIX.

Hydro-
pis pec-
toris
genera-
tio.

Est vero pectoris hydrops, fluctua- tio, & extravasatio lymphæ atque seri in cavitate pectoris: & sequentem in modum generatur. Extimam pulmo- num tunicam copiosissimis vasis lym- phaticis refertam esse, eleganter de- scribit ac delineat Clarissimus NU- CKIUS in *adnogr. curios.* pag. 141. Hæc vasa non minus, quam reli- qua lymphatica, pectus multis in lo- cis obsidentia revehunt laticem suum ad ductum thoracicum, ut ex hoc per venam subclaviam atque cavam, ad dextrum cordis feratur ventricu- lum. Quando vero huic lymphæ iti- neri obex ponitur, ut ad ductum illum pertingere nequeat; vasa lymphatica nimium infarciuntur, tandemque ul- tra sphaeram elasticitatis distenta, rumpuntur, laticemque in cavum ef- fundunt pectoris. Quum igitur spas- modicæ partium spirationi dicatarum, maximeque pulmonum stricturæ, quæ asthma convulsivum producant, co- hibeant ac remorentur lymphæ ad ductum thoracicum iter: facile pa- tet, qua ratione tandem hydropem pectoris pariant. Hæc vicissim aqua- rum in pectore collectio, dum totam thoracis replet cavitatem, & septum quoque adgraver transversum: nul- lum pulmonibus sese expandendi spa- tium relinquit, ideoque & sanguinis, & aeris in illos ingressum, ac libe- rum circuitum remorando, asthma inducit suffocativum: quia nimirum suffocando tandem jugulat miseros.

Interim extravasata hæc aqua, in- natantes ipsi pulmones non modo col- liquat: verum etiam mora temporis acrior reddita, eos arrodit, ac pu- tredine fere consumit, adnotante HARDERO *Lib. 1. obs. 51. pag. 217.* Quod attinet pericardii hydropem; ille non solum eodem modo ex vasis lymphaticis, cordis superficiem am- bientibus contingere potest: verum et- iam a ferro, per auriculas stagnante cruore infarctas, secedente adaugetur.

§. XX.

Neque vero negligenda est ea hy- dropis in pectore species, quæ hydati- dibus veluti sacculo inclusa continetur, maximeque intra ipsam pulmonum substantiam reperiunda est. Multæ occurrunt observationes de hydatidibus ejusmodi, non modo in pulmonibus, verum etiam pleura, septo transverso, & cordis externa superficie repertis; quales vide apud OTTONEM HE- URNIUM *Obs. 18.* BARTHOLI- NUM *Cent. 11. obs. 61.* ACTA HAF- FN. *vol. 3. obs. 76.* M. N. C. *Cent. 3. Obs. 115.* In ipsis quidem pulmonibus hæc hydatides a vasis lymphaticis, in eorum substantia disruptis, ac laticem suum in cellulas ac vesiculas effunden- tibus; unde hæc in tantam elevantur molem, generari videntur, & vero est simillimum, quod ex rupta ejusmodi vesica, serum in pulmonum substan- tiam extravasetur, & repentinam indu- cat suffocationem: unde etiam deriva- mus materiam illius limpidæ, quæ cum tussis nonnunquam fit, rejectionem.

§. XXI.

Si quid ex causis occasionalibus est, quod asthma convulsivum inducere potest, certe est externum frigus, hostis ille nervoso generi inimicissi- mus. Unde hyemali tempore, flan- tibusque ventis aquilonaribus ingra- vescit malum; & a frigido quoque potu exacerbatur. Inprimis observa- vi, illos, qui pectus non bene tegunt, illudque frigori, maxime nocturno exponunt, sæpius hoc malum incur- riste.

De hy-
datidi-
bus.

Causa
remota
est frig-
us.

S. XXII.

Prognosis.

Ex his adparebit, quam variis modis generetur, ac foveatur asthma convulsivum, ac suffocativum: jam pauca de prognosi trademus. Ubi malum recens est, & sola præcordiorum constrictione spasmodica nititur, spes est salutis; maxime si motus arthritici, podagrici, ulcera, & exanthemata ad sua loca revocentur. Quando supervenit excretionum sanguinearum per uterum, aut hæmorrhoides fluor, iis, qui ex earum suppressione asthma sunt correpti, & passione laborant hypochondriaca, levamen adfert; atque si res adhuc integra fuerit, perfectam reconvalescentiam. Quod si vero inveteravit affectus, aut perversa tractatur medela; transit in pectoris hydrope, viscerum imi ventris obstructiones ac infarctus, pedum oedemata, cachexiam, ac hydrope universalem. Namque constat, quod per diaphragmatis centrum tendineum feratur vena cava, quæ ex imo ventre cruorem ad cor vehit; nec ignotum est, quod liber septi transversus motus circulum sanguinis per hepar natura languidior adjuvet, atque faciliat. Quando igitur cunque liber sanguinis per venam cavam ascensus impeditur; tardior ejus fit in hepate circulatio; unde humores primum omnium in distitis regionibus, veluti sunt pedes, stagnant, serosamque portionem, oedematis causam, dimittunt; deinceps quoque per viscera imi ventris difficiliter progrediuntur, inque iis subsistentes, infarctus, scirrhus, cachexiam ac hydrope causantur; quem ligata prope septum transversum vena cava, protinus suboriri, præter LOWERUM, experientia commonstrat. Generatim sciendum est, omne asthma convulsivum, vel præceps exitium, atque repentinam suffocationem inferre, maxime, ubi subest cordis polypus; vel diutius inharet, atque hydrope perimit ægrotantes; quo in casu lethiferum est, si patiantur febrem lentam, pulsum inæqualem, ac intermitten-

tem, paralyfin brachiorum, continuam cordis palpitationem, imminutam mictionem, syncopem: tum enim in propinquo mors est. Quidam denique superveniente pulmonum inflammatione extinguuntur, quo gravius malum eo languidior fit pulsus. Asthma in senibus comitatur plerumque usque ad mortem, & quod ex dislocatione vertebrarum fit, non sanatur, nisi hæc reducantur. Quo majori impetu & vehementia accessio & diutius durat & crebrius recurrit, eo plus periculi subest, & suffocatione jugulat.

C U R A T I O.

S. I.

Gravioris nostri mali curatio, his Indicationibus absolvitur, *Indicationes curato-
riæ,* ut 1) spasmodicas pectoris, atque partium spirationi ministrantium strictureas consopiamus, 2) humores ad externum corporis habitum, infernasque partes derivemus, & eorum circuitum æquabilem reddamus, 3) causarum, quæ malum foveant, remotio, pro earum diversitate studeamus. Et sicuti binis prioribus scopis in ipso paroxysmo potissimum satisfacere; ita tertium extra hos explere licet.

S. II.

Ipso in paroxysmo, quoniam plerumque alvus strictior est, & humores *Quam
conferant in
paroxysmo.* una cum flatibus ad superiora regurgitarunt, non facile quidpiam præsentius auxilium fert, quam clysteres emollientes, simul carminativi; quos ex floribus sambuci, meliloti, verbasci, pœoniæ, liliorum alborum, chamæmeli vulgaris, feminibus quatuor carminativis, oleo chamomillæ cocto, & una alteraque salis communis vel gemmæ drachma, stimuli loco addita, parare convenit; & exigente necessitate, bis vel ter iterare. Deinceps, incredibilem virtutem exerunt pedum, qui tantum non semper frigida sunt, frictiones, eorumque in aqua tepidam dimissiones. Ubi gravis præcor-

cordiorum vexat ſpaſmus; iis ſotus calidiores, vel etiam veſicæ, lacte calido repleta, ad mitigandum ſpaſmum admoventi poſſunt; nec levem in his ſedandis opem nonnunquam ferunt linimenta nervina, quæ ex aquæ Anhaltinæ unciis binis, ſpiritus ſalis ammoniaci, lumbricorum terreſtrium, eſſentiæ croci, caſtorei ana drachmis duabus, olei nucisſtæ vel macis drachma una parare, atque collo, ſcapulis, muſculis thoracis, ſpinæque doſali adplicate ſoleo. Ex internis laudem merentur antiſpaſmodica, cum blandis diaphoreticis juncta; quæ diſcutiendo peccantem materiam, & relaxando ſpaſmodicas conſtrictiones, operæ faciunt pretium. Talia ſunt mixtura ex aquis analepticis ſorum tilia, pæonia, primula veris, liliorum convallium, acaciarum, ulmaria, pulvere Marchionis, cinnabari nativa, ſpiritu nitri dulci, vel liquore anodyno minerali, mixta ſimpl. & Syrupo papaveris rhæados; quæ crebro repetita doſi offerendæ, aut cum liquore anodyno, qui nuprus ſit ſpiritu bezoardico Buſſii, vel cornu cervi ſuccinato, alternandæ. Præterea, quantum fieri poteſt, corpus in moderato calore conſervare oportet: neque enim plura iſſis in paroxyſmis moliri licet.

§. III.

Cura. Extra paroxyſmum, ante omnia eo eſt, reſpiciendum, ut ſtagnationes humorum in pectore diſcutiamus, eorumque circulum reſtituamus æquabilem: ſimul, vero cauſas materiales ac mediatas removeamus. Quod ſi igitur ſanguinis nimia verſus pectus congeſtio hoc malum induxerit; conſopita ejus per pulveres ac mixturas temperantes ebullitione, imminutioni nimia molis ſtudentum eſt. Quo quidem fine venæſectiones in pede, præſertim vinoſa diætæ addictis, ſtatim temporibus inſtitutæ, eximiam ſpondent utilitatem; quibus in conſuetis interponendæ ſunt ſcarificationes; & iis, qui ſuppreſſum hæmorrhoidum fluorem patiuntur, conſerunt hirudines venis ſedalibus ad-

plicandæ. Non minus blanda laxantia, ad eliminandas primarum viarum ſordes; & ad promovendum ſanguinis per abdomen, & venam portæ circulum, motus corporis, victus tenuis, potuſque levior, ſed largius commendari debent. Et ſi hypochoſdriaca, & flatulenta præſto ſunt ſymptomata; eo ſelicioſi cum ſucceſſu adhibentur lenia laxantia ac clyſteres, conjuncto Elixirii viſceralis uſu, & recta victus ratione. In ſubjectis, maxime ex ſuppreſſione vel menſium vel hæmorrhoidum laborantibus, nihil quoque eſt fructuoſius thermis, interne pariter ac externe uſurpandis; aut acidulis Selteranis; quæ tepefaſta cum lacte miſceri debent. Hæc etiam via eſt curandi aſthma, quod a polypo cordis proficiſcitur.

§. IV.

Quando malum a materia arthritica, podagrica, ſcabioſa, purpurea, vel ulcerofa intra corpus retrocedente, ac repulſa ortum traxit; translato nempe humore acri, peccante, cauſtico, ad nervoſas pectoris partes, non tutius conſilium eſt, ac blandis diaphoreticis, liberam perſpirationem promoventibus, humorem iſſum ad corporis ſuperficiem, vel ad partes, ex quibus repulſus fuit, relegare. Cui ſcopo cum præſentiſſimo commodo ſatiſfaciunt liquor noſter anodynus, cum ſpiritu bezoardico Buſſii mixtus, aut pulvis bezoardicus, ex antimonio diaphoretico, nitro, pulvere Marchionis, ſuccino præparato, & momento camphoræ compoſitus; mane potiſſimum ſumendus, deſuper bibendo aliquot vaſcula inſuſi theiformis, quod ex herba ſcordii, veronica, floribus ſambuci, tilia, ſemine ſceniculi, & anifo ſtellato concinnatur, inde lenem promovendo ſudorem. Ubi ſcabies, vel ulcera retroaſta, vel præmature conſolidata ſunt, inſignem laudem merentur remedia ex ſulphure parata, quippe quæ has ſordes ad cutim revocandi magnam vim poſſident. Quemadmodum enim medicamenta

Anh-
maſis ab
acrium
fordium
repul-
ſione
ſubortu
curatio.

ex

ex sulphure minerali extrinsecus in ejusmodi affectibus valde aliena & noxia sunt; ita contra interne datonum partium roborando, distillationem & perspirationem heterogenea materiae adjuvant. Neque vero negligenda sunt leniora laxantia, nec blanda diuretica, sicuti rinctura tartari &c. est; siquidem his & crassae primis viis, & reliquae pervias urinarias excernuntur impuritates. Speciatim pediluvia revocandis ad pedes arthriticis, atque podagricis motibus adprime inserviunt.

§. V.

Curatio
asthma-
tis ca-
checti-
ci.

Ubi molestissimus hic morbus a tumore pedum cedematoso, per graviores animi affectum, vel terrorem subitum, vel nimiam refrigerationem, vel etiam febrilem accessionem retro-pulso nascitur: tunc non leve negotium est, decubitum seri viscidum in pectore discutere, & ad extremas partes revocare. Vidi in tali casu cum fructu abhibitum pulverem diaphoreticum, ex cerussa antimonii, cornu cervi usitata drachma una, cinnabaris medicinalis scrupulis binis, sulphuris antimonii correcti granis quatuor paratum; quem pondere duorum scrupulorum, desuper bibendo insulum theiforme propinare solitus sum. Fovendi praeterea ac sedulo fricandi sunt pedes, ut spasmus eorum relaxetur, & frigus expellatur; nec non injiciendi sunt clysteres, aut laxantia, eaque levissima.

§. VI.

Curatio
asthma-
tis sic-
ci.

In asthma sicco, quod a causis externis bronchia & pulmonales vesiculas exsiccantibus, ut sunt vapores saturnini, aer exhalationibus calcis viva refertus, vel vapor carbonum fossilium, nascitur; humectantia & acrimoniam demulcentia & fibras laxantia, ut sunt lac, cremor ejus, oleum amygdalarum dulcium, emulsiones, spermaceti, pinguedines animantium interno & externo usu omne absolvent punctum.

§. VII.

Curatio
hydro-

Quod si pectoris hydrops jam praesto

fuerit, anceps est curatio. Unicum, pis pectoris.

quod restare videtur remedium, paracanthesis est thoracis, quam multi collaudant auctores, uti CAROLUS PISO, SCULTETUS *obs.* 31. pag. 252. & SYLVIVS *oper. medic. cap.* 50. pag. 316. Neque est, quod fugiamus hoc remedii genus; quippe quod provida manu applicatum periculi plane expertus est: verum alia incidit quaestio, an semper certum inferat auxilium? Perite HIPPOCRATES *Lib. 2. de morb.* monet, quod instituenda sit haec operatio, antequam morbus invaluerit, aut labem visceris cujusdam secum traxerit. Et profecto hoc in casu, si viscerum laesio, aut exulceratio praesto fuerit, non temere ad hanc accedendum suadeo curam: iis vero integris, non contemnendam pollicetur opem. Praeterea conjungere oportet leniora diuretica, atque laxantia, maximeque ea, quae per epicrasin agere dicuntur; nimirum si morbus in principio, & ab exacerbatione febrili vacuus adhuc fuerit.

§. VIII.

Ultimo loco, non incongruum visum est, quae CELSUS in spirandi difficultate *Lib. IV. Capit. IV.* in usum commendavit, remedia subnectere; *Auxilium est*, inquit, *nisi aliquid prohibet, in sanguinis detractione.* Neque id satis est, sed lac caprinum calidum jejuno dandum, & si non febris, venter solvendus est. Liquanda alvus, interdum etiam ducenda, quibus extenuatum corpus incipit spiritum trahere commodius. Caput etiam in lecto sublime habendum est; thorax fomenti cataplasmatisque calidis aut siccis, aut etiam humidis adjuvandus est. Praeter haec sorbitio nibus & lenibus cibis utendum est, interdum vino tenui, nonnunquam vomitu. Prosumt etiam quaecunque urinam movent, sed nihil magis quam ambulatio lenta, pene aequae ad lassitudinem, refrigeratio multa praecipue inferiorum partium, vel in sole vel ad ignem

ignem & per se ipsum & per alios
usque ad sudorem.

Cautele, & monita practica.

§. I.

Purgantia acriora, uti sunt ex jalappa, gummi gutta, colocynthide, elaterio, esula &c. confecta; nec non emetica, maxime quæ ex subio parantur, cane pejus & angue in hoc affectu sunt fugienda; quippe quæ genus nervosum magis ad spasmos disponunt. Verum enim vero in asthmate tali cachectico, ubi pectus humoribus serolis, viscidis plenum est, cum insigni usu tartarum emeticum, refractiori dosi, cum infuso mannato propinare soleo; quo debilitatis pulmonibus aliquale robor instauretur, ut stagnantibus succis resistere possint. In tali quoque casu eximie utilitatis est Sulphur antimonii, probe correctum, nec non a veteribus mire commendata Squilla, provide data, quæ incidente non minus, ac resolvente virtute, desideratum edit effectum.

§. II.

Vulgaris, sed insignis error est, tumores pedum œdematosos, qui frequentissime junguntur affectui nostro, purgantibus drasticis profigare velle: neque aliud quidquam inde expectandum, quam ut ægri per compendium ad mortem deducantur: aliena quoque valde sunt emplastra repellentia & ulcera ac fluxiones pedum siccantia & consolidantia. Nec semper tuto sunt adhibenda balnea Laconica cum spiritu vini; quoniam exsiccant nimium corpus, tumoresque repellunt. Proficiunt magis siccæ fomentationes, sacculi discutientes, conjunctis interne diaphoreticis cum antispasmodicis mixtis, nec non usurpatis diureticis, atque clysteribus paullo acrioribus.

§. III.

Sanguinis, quæ per venæsectionem fiunt, missiones, nunquam in ipso paroxysmo debent institui, quoniam

malum inde fit deterius ac contumacius. Neque extra paroxysmum quidpiam proficiet in ullo asthmatis genere, quam in eo, quod vel a nimia sanguinis mole, aut crassitie, conjuncto cordis polypo, vel ab excretionum sanguinearum suppressione fovetur: tum sine præservatorio circa æquinoctia eam decet instituere. Monendum vero hoc loco est, majori semper cum fructu clysterem, ad flatum dissolvendos & alvum aperiendam sanguinis missioni præmitti.

§. IV.

Thermæ si in morbi principio in usum trahantur, vel etiam acidulæ, quæ tepesactæ esse debent; huic malo & ejus generationi, præsertim si ex cacochymia scorbutica, viscerum infarctu, vel suppressione criticarum sanguinis missionum pullulaverit, mirifice opitulantur: contra vero si jam inveteraverit malum, cordis polypi pressio fuerint, vel hydrops pectoris fixam occupaverit sedem, harum potus mortem accelerat; quod variis comprobatum habeo exemplis. Namque in his subjectis reperitur partium solidarum mirifica laxitas, ac viscerum obstructio; qua de causa minerales istæ aquæ haud transeunt rite emunctoria, sed hinc inde stagnantes, non modo extravasatum in pectore serum augent, verum etiam novos, variis in locis excitant tumores.

§. V.

Major fere spes salutis collocari potest in externo thermarum usu, præsertim earum, quæ non tam adstringentis, calcereæ & martialis sunt prolapix, quam potius, quæ valde subtilem & levissimam aquam foveant, & sale quodam alcalino imbutæ sunt: quo nomine egregiam vidi efficaciam a Teplicensis, & Piperanis; siquidem virtute sua laxante ac emolliente fibras densas, rigidas & contractas mirifice demulcent, atque solantur, & simul liberiores reddunt perspirationem. Ubi vero vel polypi vel aquæ extravasatæ suspicio est, prorsus exulare hæc de.

Circa
ther-
mas &
acidu-
las.

Circa
tumores
pedum.

Balneo-
rum mi-
neralium
usus.

Circa
venæsec-
tionem.

debent. Plus etiam conferunt balnea præservandi quam curandi scopo.

§. VI.

Circa
diureti-
ca. In statu cachectico, cui jungitur asthma, magnam opem ferreprehenduntur diuretica; adeo, ut JOHANNES RHODIUS Lib. 3. obs. 27. testetur, asthma, evacuatis intra nycthemeron 37. urinæ libris fuisse sanatum. De hoc medicinæ genere BAGLIVUS obs. pag. 70. perite hæc scribit: *Pluries adnotavimus, in pectoris morbis semper ducendam esse materiam ad urinæ vias, natura id demonstrante: quippe magnum consensum esse inter tibias, pudenda & pectus constat. Non vero tuta sunt diuretica, ex salibus lixiviosis & acidis parata in pectoris morbis, nam tussim movent, & morbum exasperant. Contra pulvis millepedum, therebinthinata, essentia succini minus spirituosaf, sed probe alcalisaf, item balsamum sulphuris antimonii, nostra methodo præparatum, decocta radicum aperientium, Syrupus de althæa Fernelii, urinam potenter movent, nec tenellis pulmonum membranis insensaf sunt.*

§. VII.

Circa
externa. In asthma spasmodico cum cardialgia juncto, & quod a spastica septi transversæ strictura prodit, linimenta, quæ ex axungis animalium recentibus parata sunt, demulcentia & anodyna, pinguedinem quoque caponis per solis calorem subtilisafam, neque minus Emplastrum Barbetianum, cum sapone & camphora nobilitatum, plus sæpe effecisse, quam spirituosaf & calidiora observavi.

§. VIII.

Aeris
usus. In curatione non minus ac præservatione asthmatis nostri, aliorum remedium vim egregie secundat aer; qui quo lucidior, purior, atque serenior est, eo majorem asthmaticis fert opem. Et quem fugit, quod sola tempestatis mutatio, morbum hunc insigniter adaugeat? Veteres insignem aeris habuerunt respectum; quos inter allegasse

juvat COELIUM AURELIANUM, qui Lib. 2. cap. 3. ita scribit: *Obtinente strictura, convenit aegrotos jacere loco lucido mediocriter, atque calido, adhibita abstinencia, usque ad tertium diem, cum requie corporis, atque animi. apposisis lanis limpidis, atque mollibus, oleo dulci atque calido præinctis, colla & thoracem circumdantibus &c.*

§. IX.

Neque minus ad inducendum partibus in pectore nervosis robor naturale, præservandi fine, mirifice præter potum aquæ frigida, sed purioris & levioris, confert aeris ruralis usus: quem laudando sane stratagemate, BAGLIVUS oper. pag. 207. his verbis commendat: *In diuturno asthma, sive humoralis, sive convulsivo, aerem rusticorum aegrotantibus impero, & potissimum, ut campos habitent, quos arant bubulci. Debet itaque asthmaticus sequi bubulcum, quando terram arat, & incedere per sulcum, sive viam ab aratro receniter in terram factam, & aperto ore inspirare aerem, sive halitus nitroso salinos ac sulphureos, a receniter ruptis terræ glebis producentes. Tonus pulmonum longo morbo relaxatus, nitrosa salina centralis terræ caloris substantia roboratur, confirmatur, & restituitur, eoque restituto, circulus quoque liquidorum per pulmonum telas in libertatem ponitur, morbusque profligatur.*

§. X.

Multum quoque ad levandum vel sonandum id mali refert, quo potus genere æger utatur. Cerevisiam fere, & quam maxime triticeam improbamus. Vinum meracum spiritu foetum est, ebullitionem sanguinis creans, congestionem humorum & gravitatem in pectore ac spirandi angustiam augebit, præsertim in sanguine abundantibus. Vinum naturaliter aquosum, ut Mosellanum vel Neckarinum recens, fibras ventriculi minus roborando, concoctioni minus aptum, status producit præsertim in hypochondriacis. Opti-

Aeris
ruralis
usus.

Circa
potum.

num deprehendi vinum Rhenanum antiquum, cum partibus tribus vel quatuor, aquæ purioris fontanæ vel Selterani fontis permixtum. Cæterum infusa theiformia ex hyssopo, veronica, ranunculo hortensi, sive Tragon, hedera terrestri, radic. glycirrh. fl. bellidis parata, non satis laudare possumus, a quacunque etiam hoc malum subortum fuerit causa.

S. XI.

Circa. Saccharata, nimis dulcia, mellita *Quæst.* in omni asthmate, maxime omnium vero in seroso & hypochondriaco, cane pejus & angue vitare oportet: nam tonum ventriculi lædendo, digestionem destruunt, & flatuum generationi multum velificantur.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

Asthma convulsivum a materia podagrica in corpore æmæne. **V**IR triginta novem annorum, ante binos annos gravissima pectoris constrictione, ac coarctatione, cum dolore punctorio & lancinatorio, thoracem, scapulas, & superiorem medullæ spinalis partem occupante, corripiebatur, & de cordis vehementi compressione, summaque spirandi difficultate, ac si per angustum dumtaxat foramen spiritum ducere deberet, conquirebatur, adeo ut nec stare, nec sedere, nec laterum ulli incumbere potuerit. Duravit malum per sedecim horas, & tum quievit: sed vertente anno, circa idem, quod erat vernale, tempus recrudit hæc truculenta passio cum iisdem symptomatibus. Hæc autem vice dolor podagricus, cum tumore calcanei, pedes infestaverat; qui, adplicata in pulvere camphora, evanuerat, & brevi tempore post se traxerat asthmaticum paroxysmum. Redibat ille aliquoties, & longe majori, quam antea, ferocitate adfligebat, manus, pedesque calore & frigore alternantibus tremebant, & nulla pars corporis erat, quin

in malorum consensum raperetur. Exercebant insuper primam regionem perpetuæ anxietates, ac flatulentia; &, quod notari meretur, ipse vir ægotans nunquam antea sanguinis evacuationes passus erat. Attamen in hoc morbo venam tundendam præbuit, eo effectum, ut cordis constrictione, cum pectoris & scapularum pungitivo dolore remitteret. Præterea externe spiritus vini camphoratus, interne vero pulvis bezoardicus nitrosus, præ aliis levamen ferebant. Consultus ego in paroxysmo commendavi pulveres diaphoreticos, cum nitro, cinnabari, tantillo camphoræ, & extracti croci permixtos: extra hos crebra pediluvia, & vesicatoria cruribus scapulisque adplicanda collaudavi, præservandi scopo utique thermarum Tœpliægensium usum suasi; & vere pariter æ autumno, præmissa venæsectione, sal meum aperitivum, pilulas balsamicas, decoctumque temperatum, per unam alteramve hebdomadem usurpanda proposui, cum successu felicissimo.

Epicrisis.

Ægotus noster præter nimiam, qua abundavit, sanguinis molem, & hypochondriaca passione, & scorbutica humorum diathesi laboravit: priorem testantur flatulentia primarum viarum distensiones, posteriorem podagrici pedum dolores significant. Asthma igitur, quo pressus fuit, a materia podagrica, ob naturam languidiorem haud satis vegete ad articulos pedum depulsa; sed retenta in corpore, ac nervosis præcordiorum partibus insidente, suam traxit originem: ab imi ventris vero flatulentia, majora cepit incrementa. Quare eo direxi curationem, ut in paroxysmo motus spasmodicos mitigarem, & aucta transpiratione, hostilem materiam ad corporis revocarem habitum. Deinceps podagram per pediluvia ad pedes invitare volui; & æmuream acrem per vesicatoria expellere.

lere intendi; quæ in illis potissimum casibus, ubi scabiosa, vel ulcerosa materia malum fovet, præstantis sunt usus. Quoniam autem æger scorbutico hypochondriacus fuit: ad mundificandam humorum massam, & corpus ab omnibus liberandum sordibus, singulove ac autumnò, curam huius scopis adprime convenientem ordinavi. Nec alienum in hoc casu fuisse thermis, vel acidulis, illique tepidatis uti; quoniam viscera a læsione adhuc immunia videbantur.

2. Discimus præterea ex hac observatione, quod camphora vim motus podagricos repellendi possideat. Multoties enim observavi, eam, sicuti interne data in discutiendis inflammationibus, ac expellenda materia acri, præclara pollet virtute; ita extrinsecus vel in pulvere, vel cum spiritu vini applicatam, tumoribus inflammatoriis, ac erysipelaceis, præsertim in initio, & si personæ sensibilibus ac calidioris fuerint indolis, plerumque effectum repellentem exserere. Contra vero majori cum fructu in doloribus rheumaticis, & subjectis pituitosis hoc remedium genus applicare licet.

OBSERVATIO II.

Triginta annos egressa mulier, temperamenti sanguineo-cholerici, virgo adhuc, illibata gravata fuit sanitate. Postquam vero viro nupta, parere cepit, varii generis febribus tam acutis, quam intermittentibus, nec non spasmodicis affectibus obnoxia fuit. Ad hæc ictero contaminabatur, qui cum summa virium dejectione, horrore ac gravitate totius corporis, horrore atque phlogosi, contabescencia, alvo mox fluida, mox adstricta, ac molestissimo pruritu, per octo integros inhæsit menses, omniumque remediorum vim elusit; donec tandem operationum Carolinarum prorsus cessasset, & ægra optime habuerit. Brevis post vero asthma convulsivum incidit, quod cum atrocissimo constrin-

gente, ac reprimente circa regionem thoracis & diaphragmatis dolore, præcordiorum anxietate, & summa spirandi difficultate, ac suffocationis metu, exacerbata, oscitatione continua, siti inexplebili, vomitu, assiduus vigiliis, virium collapsu, frigore ac tremore corporis stipatum, per paroxysmos rediit; quibus finitis, teterrimam semper cum facibus excrevit materiam. Quo in rerum statu, icterus quoque ter apparuit.

Epicrisis.

Asthma convulsivum, de quo in præfati agitur casu, per consensum a calculo vesicæ felleæ ortum est: quale exemplum a WILLISIO de morbis convulsivis allegatur. Subesse calculum vesicæ felleæ, significat frequentior icteri recursus; quem BAGLIVUS pro signo pathognomonico huius affectus agnoscit, dum Oper. pag. 433. dicit: *Si videris icteros sanatos, sed recidivos, eos certe a calculo vesicæ felleæ progigni prædicto.* Namque calculum hunc, si per suos ductus descendit, æque gravem spasmodicam torturam ipsis inferre, quam illum, qui renibus inhæret, non ignotum est: cum autem ductus biliferi nervos suosa plexu hepatico, a pari vago & intercostali oriundo mutantur; non obcurum est, cur hæc stricturæ ad vicinas quoque partes, ventriculū, intestinum colon, diaphragma, nervos pneumonicos, aliasque nervosas pectoris partes propagentur. Talis quoque observatio reperitur in CONSULT. ac RESPONS. MEDICIN. Tom. II. Sect. III. Cas. XLIX. Quam igitur hic affectus, more cunctis spasmodicis morbis consueto, per periodos ac paroxysmos recrudescat: eam esse oportet medentis intentionem, ut in paroxysmo violentos motus consopiat, extra illum vero obstructions, quas generant calculi, referare studeat. Priori scopo in nostra ægotante satisfacimus 1) clysteribus emollientibus, & oleosis, 2) ve-

Asthma
convul-
sivum a
calculo
vesicæ
felleæ
subor-
vum.

2) vesica bovina, decocto emolliente repidiori plena, ad hepatis regionem adnota, 3) pediluvii circa somni tempus administratis, 4) pulveribus nitrosis, cinnabari & extracto castorei nuptis, & liquore anodyno interne datis. Neque omittendum sunt balnea aquæ dulcis, quippe quæ in relaxandis spasmis, ac referandis humorum obstructionibus, mirifica gaudent virtute. Ad complendam vero posteriorem indicationem, non præstantius auxilium expectare licebit, quam ex thermarum Carolinarum recto usu. Quo absoluto, insistendum erit infusis aperientibus, interponendo lenia laxantia; ac denique, liberis viis, & quiescentibus spasmis, ad roborandas, quæ sunt debilitatæ, partes, martialia rite usurpata, vel etiam balnea martiata, omnem curationis paginam absolvent. Et ita sane graves, qui ex vitio, & obstructione hepatis nascuntur affectus, averti, saltem insigniter mitigari possunt.

OBSERVATIO III.

Asthma
spasmodico
hypocho-
ndriaco,
ab usu
radicis
Squillæ
egregie
suble-
vatum.

Vir quinquagenarius, fluori hæmorrhoidum olim obnoxius, sponte postea cessanti, vinum rubrum, nec non Tabaci fumum in delictis habens, animi, quæ affectibus indulgens, per multos jam annos de spirandi angustia, tussi sicca, & auditus gravitate conquestus fuit. Per novissimum vero trimestre adeo invaluit hæc spirationis difficultas, ut omnem eripiat somnum, nec ægro nisi in sella prono sedenti illum capere permittat; attamen brevissimus est, & asthmate illo sæpius interrumpitur, cum metu suffocationis. Jungitur præterea tumor pedum œdematosus, & per vices invadunt convulsivi motus; nihilo tamen minus appetitu fruitur integro, & quod notabile est, sub præsentia affectione, perfecta gaudet auditus libertate. Sanguis ex vena missus, consistentiæ fuit atræ, ac impuriore. Consultus medicus suppressas hæmorrhoides respiciens,

varia ordinabat remedia, resolventia ac discutientia, nec non leniora laxantia; atque pilulas Becherianas; a quarum prima & unica dosi, hæmorrhoides prorumpabant, & per decem dies fluebant. Neque vero levabantur inde pectoris affectiones, tantum aberat, ut appetitus plane languesceret, tumor pedum incretceret, ad abdomen ascenderet, & melior fieret impeditior. In tali rerum statu, medicus consilii inops, exhibebat tandem pulverem Squillæ, cum vincetoxico permixtum, ex jesculo quodam: quo sumto, non modo libere per aliquot horas dormire, verum etiam in quocumque corporis situ, absque ulla molestia decumbere poterat æger, quin expegefactus ab omni tussi & asthmate immunis, optime valebat. Adhibita dicti pulveris tertia dosi multum mucii tenacis, visceris evomebat; & sequentibus diebus, continuato isto remedio, eundem mucum copiosius eructabat, tandem videbatur simillimus. Verum elapsis aliquot hebdomadibus, cum iracundiæ nimium indulisset ægro, recidit sensim in priora symptomata, & præter leve cruoris ex hæmorrhoidibus stillicidium, graves in sinistro hypochondrio patiebatur puncturas. Cuncta remedia, clysteres, laxantia &c. in cassum dabantur, adeo, ut œdematosa pedum intumescencia abdomen quoque obsideret; quin apoplecticus insultus, cum linguae & dextri lateris resolutione, tandem accederet. Hic quidem medellam admittebat; at asthma insignes sumit vires; ut ideo ad usum Squillæ rursus deveniret medicus: ex quo, portenti instar, omnia symptomata protinus evanescabant, somnusque cum appetitu redibat. Sed brevis erat valetudo; siquidem post binas hebdomades, cuncta pathemata revertabantur. Tertium data Squilla, reliquis nihil proficientibus medicinis, omnia consopiebat; & jam per aliquot dies, maiorum vacuitate gavisus æger, meam

ad præservandos ultiores insultus ,
per medicum requisivit opem .

Epicrisis .

1) Asthma hoc dici meretur hy-
pochondriaco-spasmodicum ; quoniam
constrictione partium spiritalium spas-
modica nititur : & ex hypochondrio-
rum vitio primam trahit originem .
Testantur id punctura sinistri hypo-
chondrii ; neque dubium est , quin
suppressio fluxus hæmorrhoidalis mul-
tum ad generationem mali contribue-
rit ; præsertim cum vini rubelli , quod
constrictiva vi agit , forsitan nimius ac-
cessit usus .

2) Non mirum est , quod hæmor-
rhoidum fluxus , unica pilularum bal-
samicarum dosi revocatus , malo nul-
las suppetias tolerit . Quod si enim hæc
excretio morbo recenti supervenerit ,
illum levasset procul dubio : at quo-
niam ille per tot annos duravit , par-
tes adeo debilitatæ , & quasi motibus
hisce anomalis assuetæ fuerunt , ut dif-
ficile sit , iis , licet emendetur humo-
rum vitium , pristinum restituere ro-
bus ; tantum abest , ut motus vitiosi
a qualibet causa , maxime pathemati-
bus animi , facile corrigi poverint .

3) Attentionem meretur , auditus
difficultatem , ingravescente cum asth-
mate pedum tumore oedematoso , pro-
fus levatam fuisse . Namque dum il-
la a feri visceri stagnatione in parti-
bus auditui dicatis , omnino susten-
tata fuit ; non mirum , si derivato il-
lo sero ad pedes , organa auditus
pristinam constitutionem recuperave-
rint .

4) Observatione denique dignissi-
ma est mirabilis illa , ac fere stopen-
da Squilla in allevando asthmatis im-
mani paroxysmo efficacia . Radix hæc
a Medicorum antiquissimis , HIPPO-
CRATE , GALENO , CELSO ,
DIOSCORIDE , COELIO AURE-
LIANO , &c. in affectibus chroni-
cis , maxime hydropicis , ob virtu-
tem pituitam lentam viscidamque dis-

solventem , urinam cientem , visce-
rumque infarctus reserantem , magni
est æstimata . Fovet autem elemen-
tum valde subtile , acerrimum , ac
fere causticum , atque majori dosi
exhibita nervoso generi omnino ad-
versatur ; ad quam acrimoniam ob-
tundendam veteres variis usi sunt mo-
dis ; quidam enim ipsam pastæ ex fa-
rina involvebant , in clibano exsicca-
bant , indeque trochiscos parabant ,
uti DIOSCORIDES *Lib. II. cap. 202.*
vel cum aceto infundebant , uti GA-
LENUS , vel cum aqua decoquebant ,
uti HIPPOCRATES *de victus rat. in*
morb. acut. vel cum vino , ut COE-
LIUS AURELIANUS *Lib. III. Cap.*
VIII. de morbis chronicis §. 120. quo
nimirum hac ratione sal tenuissimum
causticum evaporaret . Præprimis ve-
ro habetur veluti pro specifico in
chronicis pectoris affectionibus ; unde
JAUBERTUS *oper. pag. 476.* dicit :
Ad expectorationem omnium convenien-
tissima est Squilla ; quovis modo as-
sumta , ut cocta & melle excepta , vel
quod ex ea conficitur mel & acutum ,
ac ex utroque compositum oxymel Squil-
liticum : quo ad crassorum & visci-
dorum pulmonibus impactorum expur-
gationem haud quaquam est præstan-
tius aliud genus remedii &c. Et FER-
NELIUS *Therap. univers. Lib. V.*
cap. 20. Squilla , inquit , pectus cras-
sis & lentis humoribus infarctum ex-
purgat , tussim veterem & asthma per-
sanat , ac sanum e pectore elicit .
Certe meretur hæc radix inter reme-
dia heroica referri , & nostris etiam
temporibus in frequentiore usum tra-
hi : namque exserit non modo virtu-
tem potenter incidentem ; verum etiam
languentes motus excitat , & quod
mirabile est , blande anodynum simul
exhibet effectum . Scire vero licet ,
ante illius usum corpus blandis la-
xantibus esse repurgandum , illamque
ad tria vel quatuor grana , cum ra-
dicee vincetoxici , & nitro , quod mi-
tigat acriorem ejus vim , exhiben-
dam .

OBSERVATIO IV.

Asthma
spasmo-
dicum a
vitiu
postura
funto.

Vir generosus, in dignitate constitutus, annorum triginta, constitutionis sanguineæ, habitus corporis spongiosi, & succulenti, post vehementissimam iracundiam, ex qua totum contremiscebat corpus, mox capiebat in convivio cibum, vinique præterea liberaliteri potu replebat ventriculum. Insequentem noctem transigebat in somnium, cum anxiiis præcordiorum striduris, vomendi conatibus, & totius corporis languore conjunctam. His per aliquot dies adficientibus, jungebantur sensim appetitus prostratio, pulsus debilis & celer, tabes, febris lenta, oris siccitas, sitis, flavus faciei, albique, quod oculis inest, color, mictio parca, urina valde saturata, fusco, rubicundo, pruneque colore imbuta; & alvus dura, tenæque, flatus & stercorea difficiliter transmittens. Adhibuerat in hoc rerum statu a variis Medicis cujuscunque generis medicamina, aperientia, emetica, amaricantia, stomachica, carminativa, martialia &c. quoniam hepatis obstructionem, & biliosam viscidamque primarum viarum saburram suspicabantur. Verum cuncta erant frustranea; & malo per tres menses inhaerente, tandem accedebat asthma spasmodicum, quod nocturno potissimum tempore ita vexabat ægrum, ut in lecto contineri nequiverit, sed per aliquot horas in conclavi obambulare, spiritumque fenestris apertis anhelare debuerit. Sic ergo viribus exhaustus, totoque corpore consumtus, Dresda ad me accessit, ultra octoginta remediorum, quæ usurpaverat, formulas secum afferens, meumque flagitavit auxilium. Ordinavi liquorem anodynum mineralem, pulverem præcipitantem nitrosum, infusum theiforme ex floribus chamomillæ, summitatibus millefolii, floribus Salvix, herba veronicæ, semineque fœniculi paratum; pediluvia ex sola aqua dulci confecta; clysteres emollientes, ac

denique Elixir balsamicum viscerale, quibus per mensem usurpatis, pristinam, quæ Dei est gratia, recuperavit sanitatem.

Epicrisis.

1) Exhibet hic casus iterum exemplar asthmatis spasmodici, ex constrictione viarum biliferarum suborti. Causa fuit gravis iracundia; quæ quod immediate effectum, in primas potissimum regiones, & præsertim vasa bilem vehementia, ea spasmodice constringendo, exserat, observatione quidem compertum habemus. Perniciosior iracundiæ est efficacia, si paullo post cibum vel potus capiatur; & quod diutius inhaerescit ejusmodi spasmus, eo pertinacior est, & ad vicinas extenditur partes. Quum vero pulmones, eorumque bronchia nervos adipiscantur a pari vago, quod cum ramo nervi intercostalis etiam hepatis, & biliferis ductibus, nec non septo transverso, præbet furculos: unde patescit insignis consensus, quo pectoris partes cum hepate gaudent. Pertinet huc observ. RAYGERI, quæ exstat Misc. N. C. Dec. I. anno IV. obs. XI. cum femina per triennium asthmate periodico detenta & post mortem dissecta fuit, ubi nihil vitii in pulmonibus, nec bronchiis observatum. Viscera etiam salva, sed vesicula fellis magna, nihil bilis, sed lapidem magnum inæqualem inclusum 4. drachmarum continuit.

2) Exacerbatum & deterius redditum est malum a tanta remediorum, maxime inconvenientium copia. Nam, quæ notandum est, in iis morbis, qui sola, eaque graviore partium nervosarum constrictione, ab animi affectibus, inducta sustentantur, absente crassa materiali causa, perniciosissimum & veneni instar esse vomitorium, purgantium atque spirituorum & incidentium acriorum usum.

3) Diuturni ac mali maximam partem minus rectæ causarum pervestigationi debetur; quæ, quanta post se relin-

relinquat damna, innumeri pro dolor ! innotescit experimentis. Plurimi enim medicorum ad solum humorum vitium, eorumque crassitiam, vel aliam quemcunque qualitatem, & inde factam viscerum obstructionem respiciunt; motumque partium solidarum perversum, in quo saepius totum morbi fundamentum hæret solo, plane negligunt. Unde remediis suis, quæ ad tollendam humorum labem alias non inepta sunt, plus sane damni excitant. Quare cum, explorata morbi causa, ad relaxandam ipsamodicam stricturam omnem curandi scopum direximus; factum utique est, ut votis non sine singulari existimationis nostræ augmento potiti simus.

OBSERVATIO V.

Asthma.
cachecticum
arepulso pedum
tumore.

Senex septuagenarius, obesus, cachecticus, ob pedum femorumque oedematofum tumorem, per quatuor jam annos sedentariam agere debebat vitam: & cum aliquando gelidissima hyeme, templum ingressus esset, ingenti per totum corpus horrore, artuum tremore, dentium stridore afficiebatur. Tum protinus tumor pedum licet magnus fuerit, evanuit, & ejus loco erysipelacea inflammatio pedem occupavit; tantum vero simul accessit asthma, ut vix spiritum trahere posset, & de suffocatione timeret, cum pulsu intermittente, rubore faciei, ac perpetua in somnum proclivitate. Dabantur pulveres diaphoretici ex antimonio diaphoretico, oculis cancerorum, nitro depurato, & camphora; qui conjunctis laxantibus id effecerunt, ut tumor pedes rursus occupasset, & cuncta reliqua conquiescent symptomata. Sed præter opinionem repetebatur scena; tumor oedematofus retrocedebat, & sequebatur asthma gravissimum: datis vero prioribus, redibat tumor, remittebant mala. Nihilominus tertia vice disparebat tumor, denuo gravissimam post se trahens spirandi difficultatem: & jam

iterato priorum remediorum usu ad pedes reverti, contumaciter recusabat. Verum perpetuus accedebat ad matulam stimulus; & quoniam morbum per urinam solutum iri animadvertēbam, hujus fluxum, data tinctura antimonii acri, cum sale nostro volatili oleoso, secundare studebam. Unde factum est, ut urina copiosissima quantitate, & assumptorum proportionem longissime superante, veluti in iis, qui diabete laborant, mingeretur, & ultra tres septimanas insisteret. Tandem vero, commendato alimentorum boni succi usu, mictio fiebat naturalis, & æger perfecte convalescebat, ita quoque, ut nullus amplius pedum adparetur tumor.

Epicrisis.

1 Insignis est relatio sive metastasis, quam tumor oedematofus pedum, cum morbo asthmatico habet; adeo, ut illo disparente, hic protinus excitetur, & illo rursus adparente, hic vel plane tollatur, vel insigniter allevetur: cujus ratio supra jam fufius est tradita. Causa repulsi oedematis non alia fuit, quam frigus externum, quod: constringendo partes exteriores, & occludendo cutis spiracula, stagnans intus serum, ad pectus ascendens repressit. Sub hoc vero partium externarum, & musculosarum spasmus, portio quædam sanguinis stasin concepit, cui supervenit inflammatio erysipelacea.

2 Mira ac fere divina est camphoræ cum nitro, antimonio diaphoretico, cinnabari, interne data efficacia, in resolvendo, ac expellendo sero acri tam viscido, quam lubrili ad externas partes; quam contra medicorum communem sententiam, absque ullo damno, vel humorum æstu exserit. Quare hoc egregium remedium genus, insigni cum fructu in inflammationibus, etiam internorum viscerum discutiendis, & exanthematibus, febrium malignarum, aliorumque mor-

borum, e corpore proferendis, adhibere soleo.

3) Notatu dignissima est solutio asthmatis, ac cedematis pedum, per diuresin copiosorem, veluti diabeticam. Hæc omnino in tali casu pro critica habenda est, nec ullo modo sistenda, tantum abest, ut potius, quacunque ratione eam promovere oporteat: nec obscura est ratio, siquidem serum illud impurum, acre, viscidum, quod stagnando in pedibus cedema, in pulmonibus asthma generavit, ad renes depellitur, & per urinam e corpore penitus eliminatur. Quo casu, ad promovendam mictionem, tinctura antimonii acris permagnæ est virtutis.

OBSERVATIO VI.

Asthma
a reatro-
pulis
popagris
lathale.

Flagitavit aliquando opem meam vir quidam generosus, duobus ab hac urbe milliariis habitans, habitu aliquin spongioso, lividoque colore præditus: qui, cum podagræ ac calculi sævitiam diu sustinisset, impatiens tandem dolorum, medici ex vicina quadam urbe auxilium imploraverat. Ille ad sopiendos podagræ dolores, linimento ex spiritu vini rectificato, in quo solutum erat satis opii & camphoræ, manuum atque pedum articulos inungere iusserat. Inungit æger totum corpus liberaliter, dolores remittunt, sed horum loco lassitudo, virium languor, & postremo asthma convulsivum corpus occupat: quod cum pedum cedemate, summaque præcordiorum anxietate junctum, perpetuam minabatur suffocationem. Accedens ego, exploratis causis, prædixi ancipitem statum, quin ipsam mortem, quæ etiam non multo post, adhibitis in cassum remediis, insequeretur.

Epicrisis.

1) Asthmatum illud genus, quod a materia acri ac fere caustica, nervis præcordialibus incumbente, & a po-

dagra, arthritide, aliisque malignis exanthematibus repulsis, ad pectus delata, suboritur, non raro brevissimi est exitus: siquidem vellicati nervi, maximeque tunicæ bronchiales ac pulmonales, tam graviter constringuntur, ut statim extravasetur lymphæ in pulmonum substantiam, atque repentinam inducat suffocationem. Quo in casu post mortem reperitur summa pulmonum constrictione, modo cum, modo sine aquarum extravasatione.

2) Summa itaque medentis cura sit, ut motus podagrici ac arthritici ad sua loca revocentur: sic enim protinus remittere asthma, perpetuæ est observationis. Dignus hoc loco est, ut allegetur, casus, quem his verbis recenset DODONÆUS. Mercator juvenis tam gravi, atque diuturno suspirio vexabatur, ut licet nullum remedium genus intentatum relinqueret, nihil tamen inde allevaretur. Idem tamen invadentibus postremo calculi, & podagræ doloribus ab orthopnœa liberatus fuit, ita, ut cum antea in sedili cibo, somnusque ipsi esset capiendus, jam decumbendi facultas morbi beneficio ipsi concederetur. Ad eo, quam frustra a remediis sibi promiserat medicinam, a morbo impetravit! Similem casum recenset ETTMULLERUS. Oper. pract. p. 184.

3) Prudentis tamen est medici, ut in tam ancipiti statu, neutiquam deferat ægotantem. Oportet nimirum ipsam, protinus ano infundendum curare clysterem: purgantia enim, vomitoria, quin & ipsæ venæsectiones, nisi mortem accelerent, summe tamen perniciose sunt. Oportet porro spasmos præcordiorum, adpositis pectori vesicis, decocto emolliente plenius, delinire; & internis dia-phoreticis & antispasmodicis pugnare. Nec alienum est, pedes in tepidam immittere aquam; aut si pertinax inhæserit malum, vesicatorium suris pedum admovere.

OBSERVATIO VII.

Morbus
asthma-
ticus, ex
aeris vi-
rio sub-
ortus;
cum pe-
doris
hydro-
pe le-
thalis.

Quoniam aliquot abhinc annis, in Carolina degerem fontibus, accessit illos vir quidam generosus ex aula Gothana, qui ex intemperantia potus, & frigore intenso, sub quo, pectus ipsi libere exponendo, iter fecerat, ab aeris inclementia, asthmaticum sibi met contraxerat morbum. Erat ipsi habitus corporis cachecticus, facies flava, & plumbea; tantum tamen ipsi virium suppetebat, ut thermas adire posset. Hausta ingenti aquae quantitate, nihilominus instabat malum, jamque increſcebant symptomata, cum maxima anxietate, & suffocationis metu, adeo ut interdum paroxysmi ad octo vel decem horas extenderentur. Quibus compulsus thermarum potum omittebat: interim alvus erat fluida, & augescente malo levior sinistri brachii paralyſis, & intensissimus scapularum dolor infestabat; aqua in thorace ita increſcebat, ut commoto corpore fluctuatio perciperetur in pectore; tumor autem in pedibus, & abdomine nullus; & pulsus in sinistra manu debiliior, in dextra fortior, validiorque emicabat. Postremo cum nihil prodessent optima remedia; animi defectione oppressus in ipsa urbe obiit.

Epicrisis.

1) Discimus ex hoc casu, quam inopportunus sit aquarum mineralium usus in asthma, quod jam inveteravit, & cum extravasatione aquarum in pectore conjunctum est. Plures sane ejusmodi casus mihi occurrerunt, ubi, ad fontes Carolinos degens, hiſce subiectis suis, ut abstinere a thermarum potu, & praedixi futurum eventum, qui etiam in multis tandem evenit. Dum enim viscera jam sunt obstrueta, & moles aquarum ea transire nequit, & in vasis subsistit, symptomata mirum in modum exacerbantur.

Hoff. Syst. Tom. VI.

2) Quemadmodum frigus omnibus nervosis partibus infensum est; ita maxime pectori deprehenditur inimicissimum. Quam plures mihi cogniti sunt casus, ubi ex eo solo, liberalius, atque diutius pectori admisso, tussis, athmata spasmodica, & cardialgiae atrocissimae propullularunt. Hinc non rarum est, eos, qui venatoriis, aut auculis muneribus praestant, & pectore, uti mos fert, minus tecto incedunt, ejusmodi affectibus infestari. Et si nostrum conferamus casum, non sane ex alia causa originem traxit asthma, quam ex frigore, pectori admisso: siquidem ager venationibus indefessus vacavit, nudoque pectore sub gelidissimo caelo incesſit. Quod cum forsam inconvenienti tractatum sit medela, omnino in hydropem pectoris tandem degeneravit.

OBSERVATIO VIII.

Laboriosus nostrae civitatis pistor, aetate sex & quinquaginta annorum, robustae atque corpulentae constitutionis, iracundiae multum deditus, potui spirituloso non minus ac crastiori cerevisia adluetus, nudis a puero per integros saepe dies pedibus incedere solitus, ante tres annos in dextro pede erysipelas habuit. Quo per spiritum vini camphoratum, a chirurgo imprudenter adplicatum, non tam discusso, quam in horrendum pedis tumorem commutato, ingentem pectoris oppressionem, cum spirandi haud exigua difficultate junctam, protinus expertus est. Neglectum ab initio malum, progressu temporis adeo increſcebat, ut ager nec corpus sine molestia movere, praesertim versus terram inclinare, nec scalas ascendere, nec quidquam portare, nec in lecto sine suffocationis metu jacere, nec nisi sellae insidens, noctes fere insomnes transigere posset. Hinc, accedente utriusque pedum oedemate, majori autem dextri, qui olim erysipelate affectus erat, ab omnibus negotiis abstinere cogebatur. Jun-

Asthma
a re.
presso
pedum
erysipelate.

gebantur potius ſenſim ingens virium, & adpetitus proſtratio, æſtus internus abſque ſtri, qui veſperi poſſimum invadens, & ab ultima doſſi regione incipiens, per ſpinam ad caput uſque pergebat, ibidemque in frigidum erumpebat ſudorem; & cum ſummis præcordiorum anxietatibus, ac ingenti anhelatione ſtipatus, totam noctem moleſtam reddebat, ſomnoque privabat. Neque ſub hoc æſtu majori quicquam fuit ſolatio, quam liberior aeris frigidi acceſſus, quem cupidiffimus aperto ore hauriebat. Vacabat tuſſi; quoties autem cunque quid per os aut naſes ſecederet, ſenſit inſigne levamentum. Alvus erat adſtriſtiſſima, & vix quovis quarto vel quinto reddebatur die. Abdomen flatibus fere turgēbat, & in eodem fluctuantis quaſi aquæ ſtrepitum ſe ſentire affirmabat; urinam vero ſatis copioſe mingebat. Conſultus ego, cum ex pulſa tardo, ſed magno, & ſapius mutato, ſanguinis, quid diu non erat detractus, abundantiam conſpicerem, purgato prius ope pilularum baſſamicarum, cum ſale Sedlicenſi alternis diebus ſumtarum, inteſtinorum canale, ex vena in brachio ruſa ſeptem cruoris uncias curavi detrahendas. Quo factum eſt, ut & abdomen detumefcere, & ſpirandi anguſtia imminui cœperit; accedente præſertim copioſo acris materiæ ex utroque pedum effluxu; qui externo ſacculorum diſcutientium, ex floribus chamameli, ſambuci, camphoræ, & farina fabarum &c. paratorum uſu, frictionibus, maxime vero pedum in vas calefacto ſurfure repletum, crebriori & diuturna ad gēna ulque immiſſione adjutus, & affectum œdematoſum minuit, & pectori inſigne attulit ſolatio. Præterea ad diuendos viſcidos humores, ab omni cereviſia ipſum abſtinere, ejusque loco decoctum temperatum, cum quarta vini parte mixtum bibere, mane vero in lecto inſuſum ex herbarum veronicæ, hyſſopi, roſmarini, ſalviæ, ſcabiolæ ana manipulo uno, corticis ligni ſaſſafras, ra-

dicis liquiritiæ, ſeminis ſenſiculi ana drachma una ſorbillare juſſi. Denique ad excretionem mucī, ſinſigni cum fructu uſurpavit hanc mixturam: Recipe aquarum hyſſopi, veronicæ cum vino ana uncias quatuor, oxymellis Squillitici unciam unam, eſſentiæ gummi ammoniaci, glycyrrhiſæ, croci ana drachmam unam, ſyrupi de eryſimo Lobelii unciam unam. M. d. de qua ſingulis diebus, quater tria vel quatuor cochlearia ſumſit. Æſtus internus, quoties recruduit, vel adhibito cum aqua fontana pulvere nitroſo abſorbente, vel etiam emulſione, ex ſeminum quatuor frigidorum, ſeminis papaveris ana drachmis duabus, aquæ ceraſorum nigrorum, florum acaciarum, roſarum, cinnamomine vino ana uncis duabus, ſyrupi papaveris albi uncia & dimidia conſecta, inſigniter mitigatus fuit, ſubſequenti ſomno tranquillo, & vires haud medio-criter reſtaurante. His itaque remediis per menſem circiter continuatis, æger non modo liberius, & ſine omni moleſtia ſpiravit; ſed & adpetere, dormire, & vires, miro ſpectaculo, ſenſim recuperare cepit, adeo ut & in publicum denuo prodire, & negotiis domeſticis intereſſe conſtitueret. At immutato celeriter aere ſereno in pluvioſum, & accedente graviore ira; omnia priſtinam induerunt faciem, vires nimirum fractæ, adpetitus deje-ctus, ſomnus inquietus, & aſthma fortius revertebantur: ſed aliquot circiter dierum intervallo, partim ope deſcriptæ emulſionis, partim ope pulveris ex radicis vincetoxici ſcrupulo uno, ſquillæ & nitrī ana granis ſex concinnati, ſublatis omnibus hiſce ſymptomatibus reconvaleſcit.

Epicriſis.

Hujus affectus hiftoriam, cum curatione, & adhibitis remediis, ob juniores medicos practicos, de induſtria paullo pleniorē exhibere conſtituimus. Ex aliis vero notatu dignis, per-

nicialis spiritus vini camphorati effectus, quem sepius in tumoribus erysipelaceis, arthriticis, podagricis &c. comperi, injungendus mihi videtur. Nam sicuti provida hujus spiritus in tumoribus & doloribus, a lento & stagnante humore abortis, applicatio non caret sua laude & usu: ita contra in naturis sensibilibus, & mobilioribus, serum vitiosum ad interiora repellendo, vel magis incrassando, non minimam noxam infert.

2 Annotare etiam ex hac morbi historia licet facilem omnium symptomatum, quæ plane quiescebant, a solo iræ motu recursum, & exacerbationem. Unde adparet, causam hujus affectus non tam ab humorum mole, & crassitie; sed a vitioso, & præternaturali nervosarum partium motu foveri; quem blande anodynis, & demulcentibus consultius, quam spirituosos sopire, & delinire præstabit.

3 Præter hæc memorabilis squilla videtur effectus, aliquot etiam aliis exemplis notatus, in spasmodicis & convulsionibus partium nervosarum præsentissime sopiendis, maxime catharro suffocativo, asthmate convulsivo, quandoque etiam in ipsa epilepsia: quæ effectus nostra quidem sententia principio anodyno, saluti subtilissimo discutienti ac resolventi intermixto debetur.

OBSERVATIO IX.

Asthma
spasmo-
dicum a
retro-
pulsio-
ne podag-
rica.
Generosus vir, annorum quadraginta, habitus strictioris, sanguine pleni, temperamentique sanguineo-melancholici, vita olim sanctus valde mobili, iracundiæ deditus, & pro potu ordinario vino rubro, aqua diluto usus, ante aliquot annos cruorem ex venis sedalibus, sed semel tantummodo profudit, & paullo post insultum podagricum, cataplasmatibus profligatum passus fuit. Quatuor elapsis annis vitæ genus plane sedentarium subijt; in quo asthma, quod jam diu ut levissimum sustinuerat, accedente præ-

sertim conjugis carissimæ morte, & inde suborto vehementi mœrore, insigniter increvit, cum gravi cordis palitatione per intervalla stipatum. Prævia venæsectione, adhibitisque variis medicamentibus, ordinabantur aquæ Sedlicenses: quæ tantum aberat, ut ferrent levamen, ut potius sequuto autumnino, ingentem in modum spirandi difficultas, fere suffocativa invalesceret, & maxime versus noctem cum aridissima tussi infestaret. Consultus Medicus, venam tundi jubebat, detracto sanguine aterrimo, cuticula subpingui investito: ordinabatque varia resolventia, incidentia, laxantia, pediluvia, & quoniam status simul molestant, carminativa: a quorum usu per urinam insignis amurcæ tartareæ quantitas reddebatur, & generosus æger egregie habere incipiebat. Verum, cum satis longo interjecto tempore, diætæ regulas transcendisset, & aeri humidiori sese exposuisset; recrudivit anhelatio, priori fere gravior; sub qua urina rursus deponebat copiosum sedimentum. Adhibebantur venæsectiones, fontes Selterani, varique remediorum genera, sed in casum; quin tandem accedebat peripneumonia. Huic septimo die vehemens orthopnoea, cum maximo in pectore strepitu, absque omni expectoratione, adeo vexans jungebatur, ut per aliquot dies incurvato pectore, angustum trahere deberet spiritum. Expectorantia exacerbabant malum; ab antispasmodicis vero & infusis calidis solamen percipiebat; junctisque aliis remediorum generibus, ab hac gravi primum febre, & subinde ab asthmate ita restituebatur, ut in publicum quoque prodire potuisset. Verum novissime, sub humidiori versatus aere, illud rursus incurrit, cum pedum œdemate, nocte disparente, corporisque contabescencia stipatum: & in hoc rerum statu meam flagrabat opem. Commendavi itaque præter rectam vivendi rationem, maxime studiosam ab aere humido, frigidoque

abstinentiam, & statas venæsectiones pulverem meum præcipitantem, liquorem anodynum, & Elixir viscera le balsamicum; vinum rubrum, pro potu interdixi, & Selteranas conjunxi, atque pediluvia: quibus factum esse percepi, ut egregie valere cæperit.

Epicrisis.

1 Aeris diversa constitutio; sicut ipsum asthma inducere valet, ita quoque varias asthmaticis infert mutationes. Quando enim mercurius in barometro, ob imminutam aeris, vaporibus aqueis infarcti, elasticitatem descendit; autumnali præsertim tempore ventis ex austro & Zephyro flantibus: difficilior semper est in asthmaticis spiratio. Quod si vero mercurius in barometro ascendit, uti fieri conspiciamus flante Euro, qui valde est temperatus ac elasticus, optime habent asthmatici. Hinc videmus, quantum ad liberam spirationem aeris conditio contribuat. Nam si ille nimium levis, tenuis, ac rarefactus est; quemadmodum in altissimis montibus, vel hypocaustis calefactis vel balneis deprehenditur: tunc nequit resistantiam sanguinis & aeris internis in vasis pulmonalibus contenti superare; neque ideo progressum humorum per pulmones ad sinistrum cordis ventriculum promoveri; quare etiam sub levissima atmosphaera homines suffocari posse experientia doceatur. Inde quoque ratio patet, cur ab aere vaporibus carbonum accensorum repleto, & certo loco incluso, hi homines suffocentur; quoniam videlicet hi vapores sulphurei, aeri demunt vim elasticam expansivam, ut ille interni aeris & sanguinis resistantiæ superandæ impar fiat. Quare monitum, ab asthmaticis sedulo observandum est, ut quemcunque humidum & nebulosum studiose vitent aerem.

2 Sedlicenses aquæ, sale amaricante, quod calcareæ indolis est, valde turgidæ, & magna ac crebriori dosi

haustæ, in asthmate & in omnibus spasmodicis affectibus, nisi eos exacerbent, saltem sunt inefficaces; & potius profunt in morbis sic dictis frigidis, pituitosis, ubi multum muci, quem incidunt, resolvunt, ac evacuant, primas vias oblidet. Sal enim earum ob ingentem vellicationem nervis, spasmo affectis, est insensum.

3 Asthmati spasmodico facile supervenire potest peripneumonia. Vi enim constrictionum, quæ membranas pulmonum ac bronchiorum occupat, sæpius sanguinis vel feri in vasis minimis stases, & accedentes inflammationes producuntur, quæ peripneumoniam constituunt. Et tum anceps sane est rerum status.

4 Quum in nostro ægrotante nulla fuerit nec viscerum obstructio, nec pectoris hydrops; non mirum est, quod meris antispasmodicis hic morbus persanari potuerit.

OBSERVATIO X.

Ante decem circiter annos consilium a me petiit Theologus quidam, vir quinquagenarius, temperamentis sanguinei, dolore ex calculo, atque podagrico per intervalla ab aliquot annis affectus, qui incidebat in gravem spirandi difficultatem, continuam quidem, sed sub aeris mutatione admodum invalescentem. Sub acre enim temperate humido degebat semper melius, quam nimis siccis & frigidis. Mali primam causam tribuebat incuriæ, quod in camera, calce viva recentior obducta somnum cæperit; quoniam ab eo tempore ægrius spiravit. Plures consuluit Medicos; sed a nullis remediis quidpiam opis perlescit. Ego lac asininum præbendum suasi; sed ventriculus id ferre recusavit. Successit tandem atrophis, & tumor pedum œdematosus, cum febre hæctica, & insequuta morte. Aperto post obitum corpore, hepar repertum est ingentis magnitudinis; pulmones mirum in modum inflati, dissenti que, & cor solito

Asthma
ab ex-
halationi-
bus cal-
oris vis-
va.

grana

grandius adparebant, ut totam fere thoracis cavitatem replerent. Hæc equidem nullam, pericardium vero insignem extravasati seri fovebat copiam, & intestina erant inflammata.

Epicrisis.

In asthmate demortuis pulmones valde inflatos & expansos fuisse reperi-
tos, plures docent observationes. Vid. RHODIUS *Cent. 2. obs. 22.* COSTÆUS *de potu in morbis Lib. 3. cap. 30.* DODONÆUS *obs. LIV.* Præsertim RUYSCHIUS *obs. anat. chirurg. obs. 19. & 20.* in pulmone invenit acervum vesicularum pellucidarum, ab aere expansarum, & adeo obstructarum, ut levi compressione aerem ex iis evacuare potuerit. A vaporibus calcis vivæ bronchiales ramulos ita posse constringi, ut aer atmosphæricus ob graviditatem & elasticitatem, qua pollet, in vesicularum pulmonalium cellulas impelli, sed non adeo facile exire possit, vero est simillimum. Et inde etiam factum est, ut æger aerem temperate humidum, ob vim fibras & tunicas constrictas relaxantem, melius ferre potuerit, quam siccum & frigidum. Crediderim in tali casu, vaporem ex floribus emollientibus, cum lacte decoctis, ad interiora pulmonum admissum, longe utilissimum fore; neque emplastra demulcentia, nervina ex axungis, suo fructu destitui. Interne vero lacticia, & axungie antimantium, spermaceti, oleum amygdalarum dulcium, in ejusmodi asthmate siccò, neque minus in eo, quod metallurgis ex fumis saturninis, ore haustis, familiare est, optimam pollicentur opem.

Quam perniciosam & virulentam vim, in constringendis faucibus, & viis spiritalibus, exerant effluvia, quæ ex locis calce viva obductis emanant, quotidiana edocet experientia. Ante viginti annos tres filii Consilarii primarii, qui infra annum decimum erant constituti, in camera dormientes, recenti calce investiti, intra a-

liquot dies angina suffocati occubuerunt.

OBSERVATIO XI.

Aliquot abhinc annis, per litteras me consuluit vir quidam generosus, quædraginta annorum, ex Livonia, vehementis asthma per biennium jam passus, docerique voluit, num ipsi sint profutura thermæ Carolinæ. Conquirebatur vero non tantum de summa præcordiorum anxietate, spirandique difficultate, sed & vehementi ipsius sterni spasmodica non minus, ac dolorifica strictura, atque thoracis & scapularum compressione, tanta violentia per periodos invadente, ut non raro animi deliquia, cum extremorum frigore, sudore gelido, summaque inquietudine stipata jungerentur: qui paroxysmi ab ira, & a cibis instantibus, maxime si alvus simul fuerit adstricta, semper erant graviores. Contraxisse sibi met hoc malum scripsit a vehementia frigiditatis, sub levioribus vestimentis ad præcordia atque pedes admissi, quos ad genua usque, venationibus indolgens, sæpius in aquarum immisit stagna. Ceterum & hæmorrhoidalis fluxus, & hypochondriacarum passionum vacuitate gaudebat: naturæque robustioris semper fuit: & frustra multis remedium generibus, sanguinisque missionibus usus est. Ego igitur consultus, suasi utique thermarum Carolinarum interitum, peractaque harum potatione, Tœplicesium externum usum. Paruit meo consilio, & corpore viribusque prorsus extenuatus, accessit thermas, easque cum tanto potavit levamine, ut sequenti anno earum potationem iteraret. Conjunxit insuper usum Elixirii visceralis cum tertia parte liquoris anodynî permixti; nec non essentia corticum aurantium bene præparata, eidem liquori nupta; atque pulverum nitroso-temperantium, interpositis pilulis balsamicis. Externe emplastrum nervinum temperatum præcordiis, & sternum admo-

Asthma a frigore vehemēti.

sum,

tum, egregium tulit allevamentum. Quin brevi abhinc tempore per litteras mihi nunciavit, se a malo suo penitus liberatum, athleticè jam valere.

Epicrisis.

Multa mihi cognita sunt exempla eorum, qui ex sola frigoris ad præcordia admissi vehementia, cardialgia spasmodica cum summa sterni strictura laborarunt; & insigne semper, vel ab emplastro Barbetæ, vel nervino, quod ex ælængia humana, seu cervino, croco, balsamo Peruviano, myrrha, minio, paratur, levamen experti sunt. Vis enim intensi frigoris tanta est, ut non modo, occludendo cutis poros, transpirationem impediat, sed potissimum, ut ipsis partibus solidis, membranaceis & nervosis, earum intimam texturam ac structuram immutando, labem inferat; quæ haud ita facile corrigi potest. Quemadmodum vero in omnibus partium nervosarum morbis, qui a frigore nascuntur, circumspèctum thermarum internum externumque usum deprehendi efficacissimum: ita quoque non dubitavi, quin illum in præsentī morbo commendaverim, cum successu felicissimo.

OBSERVATIO XII.

Asthma
rheu-
maticū.
Caroli-
ni per-
sanatū.

Vir generosus, in dignitate constitutus, quinquaginta annorum, plenioris corporis habitus, ex loco quodam, ubi lauto, inordinato, simul autem valde mobili usui fuerat vitæ genere, domum redux indulgit deum viræ sine motu desidi, multisque occupationibus plenæ: unde protinus de rheumaticis, atque catharralibus in pectore incommodis, coryza, tussi, rauedine, atque spiratione justo difficiliori conqueri cœpit. Ante annum vero, per domesticas calamitates animo non parum fractus, plures noctes inquietas valde, cum molesta hypochondriorum distensione, multoque sudore spiras transiegit. His demum

accesit ægerrima spiratio, tanta quidem, ut vix in lecto contineri potuerit; sed ad capiendum aerem liberior in conclavi discurrere, & fenestras aperire debuerit; adpetitu tamen semper salvo & integro existente. Progressu temporis, exhaustis viribus, corpus contabuit, & spirandi difficultas adeo increvit, ut ad levem corporis motum, quando vestes vel exuere, vel induere, vel scalas ascendere, vel etiam alvum cum nisu quodam deponere voluit, protinus suffocatoriam fere pectoris compressionem, cum summa molestia passus fuerit. Quin memini, virum illustrem aliquando noctu in gravissimum eumque præfocantem ferme pectoris affectum incidisse, qui a quadam defluxione a capite ad pectus irrumpente pendebat, & cum tanta spirandi angustia inharebat, ut ob totius corporis tremorem, faciem rubicundam, extremorum refrigerationem, viriumque lapsum, morti perquam vicinus videretur. Desideravit in hoc paroxysmo, haustum aquæ frigidæ, quo sumto mirifice recreatus, & liberiores expectorationem habere, & minus impeditum spiritum ducere cœpit. Ceterum ægrotanti nulla nec ad hæmorrhoides, nec ad podagram erat dispositio; at patre, hæmorrhoidum fluiori obnoxio, hocque cessante, asthmate hydropico correpto ac denato, natus fuit. Postquam igitur ordinatis a Medico varii generis pectoralibus, & antiasthmaticis remediis, nec non sanguinis missione, exiguo, vel plane nullo fructu usus erat: me tandem accersit, meumque desideravit auxilium. Commendavi quam plurimum thermarum Carolinarum potationem; quam non sine multo levamine instituebat, & sequenti etiam repetebat anno. Præterea tam ante, quam post harum usum suavi, ut a cœna vel prorsus abstineret, vel eam ter minimum quavis septimana intermitteret; non minus loco cerevisiæ saturationis, tenuiorem, sed satis salubrem Læbeingensem, ac fontem Seltera-

num

num cum quarta vini parte biberet; atque multa equitatione, vel ambulatione corpus frequenter exerecet. Ad hæc familiariter utebatur essentia corticum aurantiorum, bene præparata, cum essentia carminativa permixta: vinum quoque medicatum, quod ex herba cardui benedicti, comis absynthii, herba ranunculi hortensis, corticibus citri, aurantiorum, agarico, rhabarbaroque confectum erat, singulo mense, alternis diebus hac ratione assumebat, ut quatuor ante prandium horis, forbillato prius jusculo carnis, hauriret sex dicti vini uncias; quod multum muciperiter, atque flatuum subduxit, cum exoptatissimo mali levamine.

Epicrisis.

1) Quantum detrimenti mutatio vitæ generis mobilioris in immobilis, servata eadem, quæ antea fuerat, victus proportionem, afferre possit valetudini: quam plurimis in praxi compertum habemus exemplis; unde veritas aphorismi HIPPOCRATICI confirmatur, quo, *multi, inquit, morbi fiunt, quando cibus superat laborem.* Hac enim ratione nimia feri impurius copia generatur; ex qua rheumatismi, maxime pectorales gignuntur: & quoniam in tali vitæ genere digestiva vis languet, cumulantur inde cruditates in primis viis, ex quibus generantur flatulentia, quæ affectus catharrales, & asthmaticos insigniter augent. Quamobrem non sine ratione Viro optimo commendavi, ut, quoniam avidiori fruebatur appetitu, pariori victu, frequentique corporis motu uteretur; & accommodato laxante, lentos viscidos humores ex intestinorum canale repurgandos curavi. Quum vero ejusmodi affectus, si vel a parentibus trahantur, vel in habitum degeneraverint, solis istis remediis non facile cedere solent; ad efficaciora descendere oportet, ex quibus, ob insignissimam, quam inde sepius deprehendi, virtutem, thermæ

Carolinæ, & postea Tœpliceses; cunctis reliquis palmam eripiunt.

2) Debetur peculiaris animadversio illi effectui, quem aqua frigida in affectu pectoris catharrali, acpene suffocante, præstitit excellentissimum. Quando enim pulmonum tonus adeo debilitatus est, ut irruentis in illis pituitæ copia haud expectorari possit, tunc aqua frigida haustas, lene his partibus addendo robur, adjuvat expectorationem; qua facta mitigatur, quin cessat reliquus affectus.

3) Circa potationem non modo acidularum, verum etiam infusorum vinorum, si frigida sint, notari mereatur, quod quibusdam subjectis, stomacho existente jejuno, pota molestias creant. In tali casu hisce personis sorbitionem jusculorum calidiorum injungere soleo; atque tum potum aquarum vel infusi purgantis concedo: quoniam hac ratione, frigus illorum fluidorum, fibræ ventriculi nerveis non adeo molestum est.

OBSERVATIO XIII.

Vir quinquagenarius, corpore robusto, sanguine, succisque pleno instructus, largis epulis, & sub his vino adusto uti solitus, in ætate juvenili, narium hæmorrhagiis, virili vero dispositioni hæmorrhoidali obnoxius, ante aliquot annos molesto in osse sterni, circa regionem tertiæ costæ corripiebatur tuberculo. Quod, accedente gravi iracundia, inflammatum, tandemque suppuratum, felici quidem sectione extirpabatur; sed insignem spirandi difficultatem, a tussi & excretionem muciper vacuam, relinquebat. Hæc vespertino potissimum invalescebat tempore, & sub inspiratione, in eo, cui tumor insedit, sterni loco, videbatur quoddam harere impedimentum, quod libero aeris ingressui obicem poneret. Ceterum alvi est adstrictioris, neque raro dolores dorso persentiscit; & novissime cæcæ adparuerunt hæmorrhoides. Consultus com-

Asthma
spasmodicum
a tuberculo in
osse
sterni
exciso.

men-

commendavi venesectiones ter quotannis iterandas, cucurbitas cum scarificatione, dorso ac regioni renum quandoque admovendas; & si recruduerint cœcæ hæmorrhoides, sanguifugas ipsis adplicandas. Deinceps, procurata, alternisque diebus ad tempus iterata alvi laxatione, dedi pulverem ex lapidem cancerorum uncia dimidia, solutionis oculorum cancerorum, nitri purificati ana drachma una confectum, ut ejus dimidiam drachmam mane ex aqua ranunculi hortensis, sorbillatis desuper aliquot infusi veronica valculis lumeret. Ordinavi quoque, ut rectæ vivendi rationi studeret, maximeque elevatis capite ac pectore cubaret; & denique loco, quem tumor obfederat, adplicandum suasi emplastrum, quod ex gummi ammoniaci, myrrhæ, bdellii ana drachmis tribus, terebinthinæ venetæ, æsungitæ humanæ, ceræ uncia una, florum sulphuris, camphoræ ana drachmis duabus, croci, olei anisi ana drachma una conficiendum docui.

Epicrisis.

Asthma hoc spasmodicum natales suos potissimum mutuatur, a tuberculi in sterno suppurati, inopportuna excisione. Quemadmodum enim generatim ulcera, etiam arte concitata, quæ adpellamus fonticulos, præmaturre consolidata, gravissima spirandi difficultate stipari, frequenti compertum habemus observatione: ita hæc eo facilius comitem habent ulcera, & læsiones ossis sterni, male feriatibus tractatæ. Sternum scilicet, quod est os molle, ac valde spongiosum, in parte interiori, eaque concava, proxime investitur valde nervosa tunica pleura; ejusque mediæ parti per longitudinem adnectitur mediastinum, productio duplicata pleuræ, eique sensibilitate neutiquam cedens, subjectaque insuper arteria aspera. Quare vero est simillimum, exciso illo tuberculo, serum acre, quod illud ploravit, per

porosam ossis substantiam retroactum, mediastino protinus intedis, ejusque spasmodicam induxisse stricturam; quæ renisus illam sub inspiratione sensationem perfecit. Hinc, testante ETTMULLERO *Oper. Pr. Part. II. pag. 565.* inflammationi mediastini jungitur tam molestus in inspiratione circa sterni regionem renisus.

2) Præterea vero ad generandum in hoc casu asthma contribuit congestio ac infarctus humorum in pulmonibus. Hinc primario etiam debetur tuberculi illius generatio. Namque dum ager hæmorrhoides fluentes habuit; illæ vero posthæc cessaverunt: vix fieri potuit, quin humorum stagnationes, in vasis imi ventris, maxime intestinorum contingerent: unde repetenda est alvinæ obstructionis origo. Notum vero est, quod ubi circulus humorum in abdomine irregularis fertur, spasmus in hac cavitate protinus excipiant, & statulentia; hinc cruor majori copia ad præcordia cogitur, pulmones infarcit, spirandique graviolem parit difficultatem.

3) Studio commendavi situm corporis cum elevato capite. Namque notari meretur, quod asthmatici, maxime si a nimia sanguinis mole tales facti fuerint, ex decubitu supino, protinus incurrant gravissimam anhelationem. Ex hoc enim situ major humorum ad præcordia fit affluxus.

Plures de asthmate casus reperies in Consultat. ac Responsis Medicin. Sect. II. casu LXXXIII. ad XCV.

C A P U T III.

D E

TUSSI, INPRIMIS RHEUMATICA ET CONVULSIVA.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Definitio tussis.

VIX occurrunt morbi, qui tam propinqua cognatione invicem conjuncti, tantaque frequentia complicati sunt, quam quidem asthmatica spirandi molestia, atque tussis; adeo ut vix fieri possit, quin unus alterum post se trahat. Explicato igitur asthmate, ejusque speciebus, de tussi jam agere constituimus. Hæc vero, generatim definiendo, nihil est, quam violenta materiæ peregrinæ, ex pulmonum bronchiis, per horum vim contractilem, intensius auctam, sive convulsivam, cum vehementiori expiratione facta expulsio.

§. II.

Structura partium spiritalium.

Hujus historiam perinde ac pathologiam scripturus, rectissime a descriptione illarum partium incipere posse videor, quæ ad tussim efficiendam proxime concurrunt; quo demum hujus motus revera convulsivi essentia patefeat, ejusque differentia intelligantur. Et hujus quidem primariam sedem atque subjectum constituit magnus iste aeris canal, cujus ope spiritum trahere benigna nobis permisit natura. Dividitur ille in asperam arteriam, & bronchia; hæc per pulmonum substantiam serpunt, illa a pulmonibus ad fauces tendit. Hujus nimirum principium, larynx dictum, est canalis a summis faucibus incipiens, ex quinque cartilaginibus, ope membranarum, externæ nervæ, mediæ carneæ, & internæ glandulosæ connexis, fabricatus, & superius apertura, glottis adpellata, & operculo cartilagineo, cui no-

men est epiglottidis, obtectâ perforatus. Sequitur principio capaciore tubus, ex cartilagineo membranaceus, quem asperam vocant arteriam; qui angustiori sensum itinere ad pulmones tendens, circa hos in binos primum dividitur ramos, bronchia dictos. Hi in minores, & minimos, eosque innumeros, per pulmonum fabricam distributos dispescuntur, omnes ex fequentis cartilagineis, membranisque contractilibus constructos; & denique in vesiculas minimas, racemorum instar, bronchialibus istis ramulis adhærentes, & præcipuam pulmonum partem constituentes desinunt.

§. III.

Omnes hi pneumonici canales ab initio ad finem cinguntur membrana ex fibris tam longitudinalibus, quam annularibus constructa, & multis glandulis, ductibusque excretoriis spisse obstita, quarum glandularum copiam, situm ac figuram exquisitissime delineavit MORGAGNUS *Advers. Tab. 11. fig. 1. pag. 48.* Fundunt illæ, in dictas spiritales vias, humorem tenuem, roscedum, blande lymphaticum: quem etiam ex illis glandulis, quæ extrinsecus epiglottidi, cartilaginibus arytenoides, bronchiorumque extremitatibus adhærent, stilari, dubium quidem, sed vero videretur similem. Has ostendit HEISTERUS in *A. N. C. Cent. 7. & 8. observ. 63.* Tribuit præterea his ductibus varii generis vascula provida natura: & quidem primum arteriosa, ab arteria bronchiali. Hæc principium sumit ex trunco arteriæ magnæ descendens, super arcu arteriarum intercostalium superiorum, & in tres dividitur ramos, quorum unus externe super aspera decurrit arteria, reliquæ duo per totam substantiam membranarum tracheæ, bronchiorumque pulmonalium multas dispergunt ramificationes. Venosæ accipiunt a vena bronchiali, cujus ramuli, simili ac arteriæ modo propagati, magnam tandem ramo in truncum venæ cave de-

Canalium pneumoniarum vasa ac glandulae.

descendentis & azygos abeunt. Utraque vasorum accurate detexit ac descripsit RUYSCHIUS *epist. VI.* Nervosos denique ramos mutuatur hæ spiritales viæ a pari vago, nec non intercostali nervo.

§. IV.

Functio
viarum
spirita-
lium.

Primarius horum canalium usus, atque functio est, ut aeri externo, ad facilitandum sanguinis circuitum, & conservandam vitam valde necessario, in pulmones ingressuro pariter ac redituro, commodum iter præbeat. Hunc in finem datæ sunt his ductibus 1) copiosæ glandulæ, non ut secernant humorem excrementitium; siquidem hic locus excretioni fœdium secundum naturam minime dicatus est: sed ut effundant lympham tenuem, quæ membranas tracheæ, & bronchiorum, ne ab aere perpetuo illabente exarescant, blanda continuæque lubricatione fovet, atque tum suo perfuncta officio, in halitus resolvitur, & cum exspirando aere, in morem transpirationis cutaneæ, exhalat. Eodem scopo tributæ sunt hisce viis 2) tunicæ nervæ, ac exquisitæ sensibiles, non minus ac musculosæ, fibris tam longitudinalibus, quam annularibus præditæ: cujus ope motu gaudet tam constrictorio, quam dilatatorio, quem sapiens natura cunctis nervosis ac membranaceis totius corporis ductibus tribuit, veluti in uretheribus, viis biliferis, & ventriculo ac intestinis deprehendimus. Neque suo insigni fructu vacat hic motus; siquidem non modo ad promovendum aeris ingressum, & exitum, verum maxime ad lymphæ ex ductis glandulis secretionem adjuvandam, quin & sanguinis cursum per vasa bronchialia facilitandum permultum contribuit. Sed quum hi membranacei ductus, ad inspirationis negotium soli haud sufficient, ipsi tamen 3) cum reliquis partibus, quæ ad peragendam hanc functionem concurrunt, veluti sunt pulmones, pleura, septum transversum, musculi intercostales, & abdominis &c. tam arctissimo fruuntur consensu, ut fere

sit impossibile, quin agente una parte, omnes simul agere incipiant.

§. V.

His recte se habentibus, secundum naturam sit respiratio: ubi vero cunque unicum dictorum momentorum a naturali statu recessit, eadem statim læditur ac pervertitur. Mirum reliqua spirandi vitia, & de sola jam tussi loquimur, quæ nunquam non dictorum canalium pneumonicorum præternaturali constitutione absolvitur. Vix profecto dubito, quin, quod in ventriculo est vomitus, id in bronchiis tussim, i. e. inversum eorum motum tonicum esse dicerem. Namque hæc mihi tussis est idea, quod sub ea bronchiales ductus ab infima ad superiorem partem vehementius constricti, contentum aerem cum impetu, & celeritate sursum agant; insimul peregrini quidpiam expulsi. Quum autem his male affectis reliquis quoque pectoris partes, spirationi tributæ, & quæ cum his porro arctiori nexu coherent, in sævorum motuum societatem vi intimioris consensus rapi oporteat: facile patet, cur in tussi, tanquam præternaturali expiratione, quo ea est vehementior, eo quoque violentius totum pectus, totum abdomen, & totum corpus concutatur. Vicissim autem ob eandem harmoniam sepiissime fit, ut, si septum transversum, ventriculus, œsophagus, nervi præcordiales, & qui ab illis dependent, vel etiam membrana narium pituitaria, a quacunque causa vellicentur, affecta simul fistula aerea, tussim post se trahant.

§. VI.

Si igitur affectio dictorum canalium spasmodico-convulsiva, formalem tussis constituit rationem: eorundem vellicatio dictæ convulsioni, hinc & tussi causam proximam præbeat, necesse est. Omnis ergo tussis sedem suam in pectore habet; licet causæ non semper ibidem obhærescant. Et hæc ipsa causarum, quæ ad tussim contribunt, medietarum diversitas, tam varias e-

Ratio
contra-
lis tussi
ostendi-
tur.

Tussis
causa
proxima.

jus.

ius gignit species, quas omnes pertractare, nostri non est instituti.

§. VII.

Tusses symptomaticæ. Neque enim agere constituimus de ea tussi, quæ tanquam molestum symptoma variis jungitur ægritudinibus. Talis est phrytica, quæ a colliquatione vesicularum, & ramulorum bronchialium per ulcus pulmonum facta suboritur, adeoque continui lachonem profundamento habet. In hac non per pulmonales glandulas, sed ipsam bronchiorum cavitatem excelsam, laceratam, ac hiantem, peregrina ac ulcerosa eam subintrat materia, quæ vellicando nervolas membranas, tussientem producit motum. Deinceps ad symptomatice tusses pertinent, quæ asthmati, peripneumoniæ, pleuritidi, scirrhis atque vomicis pulmonum, inflammationi septi transversi ac jecinoris superveniunt; quæ læso nervo vel tendine circa collum suboriuntur; quæ difficilem dentitionem comitantur; & quæ convulsivos, aut epilepticos motus, aliosque hystericos morbos consequuntur. Hæ maximam partem, a bronchiorum vellicatione, per consensum duntaxat inducta, causa morbi in plus minus remota a præcordiis regione hærente, producuntur, claque sunt documento, tussim pertinere ad affectus nervorum spastico-convulsivos.

§. VIII.

Tusses a peregrinis, asperam arteriam habentibus. Neque etiam ample tractabimus de ea tussi, quæ proficiscitur a peregrinorum tam solidorum, quam fluidorum insolito in asperam arteriam, per glottidis rimam descensu. Tragici protecto, & sæpe, ob repentinam, quam inducunt, suffocationem, funelti sunt hi casus, quorum notabiles historias recenset MARCELLUS DONATUS in histor. med. mirab. Lib. III. cap. VII. Huc spectant tusses, quæ a tumoribus, calculis, aliisque rebus præternaturalibus, asperæ arteriæ, atque bronchiis accretis suboriuntur: unde calculos, aliaque corpuscula, grandinibus similia, tussiendo rejecta fuisse, fide digni perhibent auctores. Videas ALE-

XANDRUM TRALLIANUM Lib. V. PAULUM ÆGINETAM Lib. III. cap. 28. & 31. & PETRUM BORELLUM obs. Gen. 1. obs. 67.

§. IX.

A nostro quoque scopo alienæ sunt tusses gravissimæ, quas excitant fumi saturnini, metallici, inque primis acidularum, di minerales, cum aere diutius inspirati, & illi potissimum metallicolæ experiuntur, qui argento per plumbum in magnis catinis depurando student, nec non figuli lythargirio multum utentes: ut & cæmentarii, & qui cum calce viva multum sunt occupati. Evidens earum est ratio: dum enim particule metallicæ, fere corrosivæ ductus spirituales, insigni sensibilitate præditos ingrediuntur,isque intimius insinuantur, gravem eorum inferunt constrictionem, tussis siccæ, cum asthmate complicatæ causam.

§. X.

Nec denique nostræ considerationi pressius subjacet id tussis genus, & levius, & brevius, quod a cohibita transpiratione, in sanis ceteroquin corporibus evenire solet. Fit nimirum ea, si subiecta præsertim pituitosa caput vel pectus, quod antea in calidiori loco leni perspiratione maduit, subito exponunt frigori, & repressum a cute serum acre ad tracheam & bronchia decumbit; aut si senes imprimis noctu in loco frigidiori dormiunt, vel in frigido ac hyemali aere liberius obversantur. Jungitur quoque coryzæ; & vel calidiori regimine, vel sumto forsan diaphoretico, brevi tempore cessat. Huc etiam spectant delapsus muci e naribus ad fauces, & laryngem, qui matutino tempore facili conatu perscreatum eliditur.

§. XI.

Sed de ea solius agemus tussi, quæ primarium constituit morbum, totumque graviter afficit corpus, & tam vehementia, quam diuturnitate est molestissima. Vocamus hanc rheumaticam, eo quod rheumaticis revera absolvitur affectionibus. Namque pro causa

caussa agnoscit humorum, maxime serosorum inversum, & a superficie corporis, extremisque partibus ad pulmones tendentem motum, atque decubitus, neque unquam a febrilibus commotionibus, vespertino potissimum tempore conspicuis, ac horripilationibus vacua est. Hæc pro subjectorum, quæ invadit, varietate, vel humida, vel sicca est: illa evenit sanguineis, phlegmaticisque, qui præter partium fibrosarum, nervosarum ac musculosarum molliem, serosis ac pituitosis nimium scatent succis, veluti sunt foeminae præ viris, infantes, pueri, atque senes, præ iis, qui in juvenili, vel virili ætate sunt constituti. Sicca vero tussis magis corripitur hypocondriaci, scorbutici, cachectici, strictiori corporis habitu, & debili, adque spasmodicos motus valde proclivi nervorum systemate, nec non sero acri copioso præditi.

§. XII.

Historia
tussis
convul-
sivæ seu
serinæ.

Summum tussis rheumaticæ gradum denotamus, per convulsivæ seu serinæ nomen. Hæc tam efferata vehementia, tantaque totius corporis concussione adtingit, ut ea non raro suffocari credas miseris. Modo, maximeque sub initio sicca est, & vel nullam, vel saltem parcissimam feri tenuioris, plus minus acrioris copiam elidit; modo humida, tumque mucum sublividum, sæpe tenacissimum, præviis laboriosissimis conatibus, secum ducit. Refrigerant simul extrema, alvus est clausa, urinæ minguntur tenues, & succi vitales majori copia & impetu ad superiora, pectus, atque caput compelluntur: unde sub paroxylmo facies sanguine turget, rubet, venæ tument, arteriæ fortius, celeriusque moventur, oculi prominent, lacrymas emittunt, palpebræ intumescunt, & interdum ipse sanguis, accedente stercoreamento, e naribus ejicitur: nonnunquam ipsa pulmonum vascula rumpuntur, sputumque suboritur cruentum. Non raro singultus jungitur, simulque ventriculus addicitur laboriosis vomitionibus,

quibusdam stercora, & urinæ præter voluntatem fluunt; quidam, præsertim infantum, hernias tussiendo sibi contrahunt, aut adnotante jam HIPPOCRATE *aph. 46. Sect. VI.* gibbosi sunt: quin M.N.C. *cont. 1. obs. 1.* notabilem allegant casum, de corpore vertebræ dorsalis, præ tussis vehementia, in medio disrupto. Neque ignorari oportet, a nimia tussis vehementia apoplexiam suboriri posse: & BOYLE *de natur. philos.* observavit, quod ex tali tussis lubitanea memoriæ ac rationis jactura, nec non paralysis manuum, & aliorum membrorum enata fuerit.

§. XIII.

Causa hujus tussis materialis residet in humore tenui, acri ac fere caustico, ad sensibiles fistularum aerearum tunicas deposito, easque graviter vellicante. Hæc vel laryngi duntaxat, & arteriæ asperæ insidet, tumque continuam, & molestissimam faucium titillationem habet comitem; vel profundius bronchiis pulmonalibus infixæ hæret, atque tum gravissimum & atrocissimum parit tussendi conatum. Et generatur quidem hic humor a sordibus impuris & acribus, ad superficiem corporis, aut artus exteriores, vel haud satis vegete expulsis, vel quacunque de causa, maxime frigore, retroactis, & ad pulmones decumbentibus. Hinc docemur, scabiem, tineam, achores capitis, guttam rosaceam, sudorem pedum, aliaque exanthemata repressa, ulcera præmature consolidata, & arthritidem, podagramque intus actam, tussim post se trahere convulsivam. Et quænam quæso alia est causa, quod morbilli & præcursores, & comites, & pedissequas habeant ejusmodi tussis diuturniores, quam quod materia acris, morbillacea, ad vias spirituales retrocessit, easque graviter vellicavit. *Conf. A.N.C. Dec. III. obs. XI. pag. 25.*

§. XIV.

Non raro etiam hæc rheumatico-convulsiva tussis ex communi causa, aeris demica, nimit.

Causa
mater-
ialis
serinæ
tussis.

Tussis
convul-
sivæ æpi-
nimit.

nimirum vitio suborta, epidemicam per multas regiones edit stragem. Occurrit autumnali, ac hyemali potissimum tempestate, si hæc, flantibus antea austris calidior ac benignior fuit, & subito in frigidam, ventis aquilonariibus molestam commutatur. Sed hæc causa impuris duntaxat corporibus rheumaticam tussim infert, cum in aliis non nisi catharralem excitare solet. Quare epidemica hujus ferme tussis talem maxime aerem existere causam animadvertimus, qui nebulis pernicialibus, maleque olentibus, aut aliis particulis acribus, ac sæpius venenatis, febrium quoque exanthematicarum causis, prægnans est: hæc enim particula inspirata non modo gravissimam tussim, verum & aphthas, illam insigniter exacerbantes progenerant. Præterea vernali quoque tempore grassantur interdum ejusmodi tussis epidemicæ, cum rancedine junctæ; tumque ab exhalationibus salino-acribus, in ære contentis, & calore solis, ex terra hyeme occlusa evaporantibus glandulique per vias spirituales sparsis semet infinuantibus, suam trahunt originem. De malis hisce epidemiis legas HIPPOCRATEM *epidem. VI. Sectio VIII.* SENNERTUM *de febribus Lib. IV. cap. 17.* SYDENHAMUM, ET HISTORIAM MORBORUM WRATISLAVIENSIMUM.

§. XV.

Hæc de summo tussis rheumaticæ gradu, cujus causa plerumque externa est, dicta sunt; dantur vero tussis, proprio rheumaticarum nomine dignæ, quæ internas potissimum agnoscunt causas; & sicut diuturnæ, ita maxime molestæ sunt, cumque rheumaticis capitis, ac pectoris doloribus, hemicrania, odontalgia, puncturis laterum pleuritidem mentientibus, defluxione materię acris a capite ad fauces &c. complicantur. Eveniunt imprimis corporibus cachecticis ac scorbuticis, ex suppresso pedum cœdemate, alioque tumore; quem tanta ferocitate tussis æque ac spirandi difficultas excipiunt, ut suffo-

catio instare videatur. Familiæ etiam sunt hæc tussis senibus, qui impuris scatent humoribus; & in his a frigore externo, dorso præsertim in ea regione, ubi prima lumborum vertebra, & plexus mesentericus major deprehenditur, admissio. Neque alia est ratio, quam quod ferum acre ab externis corporis partibus ad pulmones deferatur. Eadem non raro in subjectis pituitosis, senilibus, qui victu lauto, vitæque sedentaria delectantur, & neglexerunt sanguinis missiones, humide fiunt, & effectum habent criticum: tota enim sanguinis & humorum massa hac ratione a copia feri impuri, quamvis non sine molestia, egregie repurgatur, adeo, ut sedata tussi, prorsus vires redeant, somnusque cum appetitu, & integra sanitate instauretur.

§. XVI.

Ad censum tussium rheumaticarum pertinent quoque stomachales & hypochondriacæ; quarum illæ in ventriculo, hæc profundius in hypochondriis ac intestinis causam habent; & partim ob consensum nervorum, partim ob rheumaticum feri ad pulmones decubitus nascuntur. Et stomachalis quidem suis se prodit notis, quæ sunt nausea, cardialgia, appetitus prostratio, digestionis vitium, sensus in ventriculo gravativus, & quod primus tussendi stimulus circa cordis scrobiculum sentiatur. In hypochondriaca junguntur statulentie, spasmi intestinorum, ac symptomata reliqua hypochondriaca. Prior, nempe stomachalis fit a saburra acris, biliosa, acida, ventriculo, ejusque superiori maxime orificio, nec non œsophago inherente, harumque partium nervosas tunicas, quæ arctissime cum viis spiritalibus nectuntur, vellicante; unde creber comitatur vomitus. Vexat cum primis, ventriculo a cibis vacuo; & familiaris quoque est febre tertiana, præsertim continua laborantibus; &istente jam HIPPOCRATE *Lib. 2. epidem.* Posterior, nimirum hypochondriaca generatur ab humoribus crassis, impuris, serosis, vi spasmorum, ac statulen-

Tussis
rheu-
maticæ
stoma-
chales
ac hy-
pochon-
driacæ.

Tussis
rheu-
maticæ
ex causis
internis.

tiarum abdominalium, ad pectus & pulmones compulsi; & eo magis infestat, si ingens frigus, aut animi affectus, tanquam occasionales causæ præcellerint. Generationem vero monendum est, quod omnis tussis, quæ est periodica, a saburra in ventriculo, vel potius intestino duodeno stabulante suos mutuatur natales.

§. XVII.

Tussis
habi-
tuali.

Adhuc notari meretur ea tussis, quæ habitualis est, & catarrhalis rheumatica vocari meretur. Ea potissimum dependet a relaxatione glandularum in faucibus, palato, ac laryngis sitarum; & multos annos continua excreatione durat. Jungitur digestionis vitium, & successiva totius corporis consumptio. Evenit subjectis ferosioribus, vitæ sedentariæ, ac lucubrationibus, nec non vinosis computationibus deditis.

§. XVIII.

Pro-
gnosis.

His igitur excussis, deveniemus ad tradendam tussium prognosin. Sicca tussis plerumque transit in humidam; hæc vero nimia vetustate habitum contrahit, atque ventriculi digestionem destruendo, cachecticum statum, lentamque febrem producere valet. Quæ humida fuit, & in siccam transit, ut pectus tamen grave maneat, periculum febris vel putridæ, vel hecticæ minatur, teste LOMMIO *observ. medicin. Lib. II. pag. 120.* Convulsivæ seu ferinæ tussis infantibus periculosa, nam facile reducit suffocationem, idque fit in difficili den- titione atque etiam in morbillis: in- que pueris gibbos, & hernias, gravi- dis abortum, adultis hæmoptysin at- que phthisin inducere possunt, quin easdem subita suffocatione stipatas fuisse, testantur WILLISIUS *pharm. ra- tion. P. II. S. 1. C. 6. pag. 61.* & HIL- DANUS *Cent. 2. obs. 68.* Quæ tussis pulmonum aut aliorum viscerum scir- rhos insequuntur; omnem plerumque remedium vim eludunt: & quæ a repressis nascuntur exanthematibus, his revocatis cessant. *Omnis tussis mala, qua somnus aufertur: inutilis etiam*

quæ longo tempore frequens, gravisque hominem exercet, idque cum desillatio- ne, i. e. habitualis rheumatica, inquit LOMMIUS loc. cit. Tussis denique hydropicis eventientes, infausi sunt præ- sagii, teste HIPPOCRATE *sect. VI. aphor. 35.* Contra moderatior circa tem- pus nocturnum calor, cum æquabili per universum corpus sudore, vel ma- jore, largiori urinæ fluxu, alvo simul reddita fluidiore, placidior somnus, & facilior expectoratio, certa sunt morbi in gratiam jam redituri indicia.

C U R A T I O.

§. I.

CURatio tussis rheumaticæ potissi- mum quatuor absolvitur indica- tionibus, nimirum, ut primo mate- riam peccantem corrigamus, ad exitum disponamus, atque expectoratio- nem, si opus id fuerit, promovea- mus; deinceps adfluxum seri a præ- cordiis avertamus, & ad alia magis congrua excretoria organa derivemus; tum motus, si fuerint effrænes, con- sopiamus, & denique debilitatum affectarum partium robur instaure- mus.

Indici-
tiones
curato-
riz.

§. II.

Si igitur tenax mucicoaguluma bron- chia obsederit, incidendum illud, re- solvendum, & emolliendum est, quod præstant radices resolventes: quas inter primas tenent radix vel secula Aa- ronis, iridis Florentinæ, & quæ insi- gni humores lentos ac tenaces fundendi & expectorandi potentia pollet, radix squillæ, ad quinque vel sex grana, cum paukillo nitri data; item oxymel Squilliticum, essentia gummi ammo- niaci, spiritus salis ammoniaci anisa- tus, lac & flores sulphuris, & sper- ma ceti.

Tenax
materia
inciden-
da.

§. III.

Humor admodum tenuis, falsus, acris incrassantibus, & lymphæ acri- moniam temperantibus ad exitum redditur aptus. Conducunt hoc fine deco-

Humor
æcuius
in cras-
sionem
& acris

tempo-
randus. decocta, quæ ex hordeo, rasura cornu
cervi, radice scorzonera, ac glycyrrhi-
zæ parantur; cremor hordei, juscula
sive decocta avenacea, cum amygda-
lis, passulisque minoribus; aut deco-
ctum raparum cum saccharo; gelatine
cornu cervi, & animalium; juscula
ex carne cum lacte; loch pulmonum
vulpis, syrupi de papavere, de farsara,
diacodion Montani, sperma ceti cum
lacte datum; & ante omnia oleum
amygdalinum recenter sine igne expres-
sum, vel solum, vel syrupo capillorum
veneris, aut julepo rosarum nuptum:
e.g. in hac formula: Recipe olei amyg-
dalarum dulcium, syrupi capillorum
veneris ana unciam unam, sperma-
tis ceti drachmas tres, croci grana quin-
decim. M. d. Egregiam quoque opem
adferunt infusa sic dicta theiformia,
quæ ex herba veronicæ, hyssopi, flo-
ribus malvæ, sambuci, papaveris rheu-
dos, salviæ, bellidis, radice glycyrrhi-
zæ, semine sceniculi, cortice ligni
sassafras & ejus generis, aliis paranda
sunt. Ubi tussis catharralis in habitum
degeneravit, cum adpetitus dejectione,
& tæbe, cura, quæ cum lacte alinino,
vel sero lactis, vel cum fonte Seltera-
no, æquali parte cum lacte permixto
fit, præcipuum medendi cardinem ab-
solvet.

§. IV.

laxan-
tius infus. Quando nimia congestio, affluxus,
& decubitus feri in pectore est, ut fit
in tussi valde humida, pituitosa, diu-
tius persistente: præstat illud a præcor-
diis & viis pneumonicis derivare, at-
que partim per alvum, quæ est propria
sordium mucosarum latrina; partim per
cutim, quæ humorum subtiliorum est
diverticulum, expellere. Alvi lubrici-
tas, sicut in omni, ita præsertim in rheu-
matica, ac convulsiva tussi, magnam
profecto fert opem: cui procurandæ,
ex laxantium numero, ad acrimoniam
demulcendam, & colluviem quoque
serosam blande & benigne, copiose,
que, sine omni tamen molestia, ac vi-
rium lapsu evacuandam, ego non quic-
quam deprehendi præstantius, quam

ipsam mannam; si non ad drachmas,
sed uncias duas, in infuso vel decocto
præscribatur, ejusque usus, si res po-
tulat, repetatur. Ego uncias duas, in
aquæ veronicæ vel florum acaciae uncis
octo, leni calore terræ solvere soleo; ad-
jectis postea terræ foliatæ tartari drach-
ma una, & aliquot guttulis olei de ce-
dro, anisi, vel macis. Consentientem
habeo GABELCHOVERUM, qui
Cent. 4. obser. 7. & sequentibus ean-
dem ad aliquot uncias pro sananda feli-
citer tussi commendat: idem etiam la-
xans, cum infuso veronicæ, vel lacte pro-
pinari potest. Præterea syrupus rosarum
solotivus, cassia recenter extracta, de-
coctum laxativum Viennense, passu-
læ rhabarbarinæ, sique ventriculus hæc
ferre nequit laxantia, clysteres, ad-
copiosi seri & muci quantitates deri-
vandam, & per congruum ejus emun-
ctorium, quod in crassis potissimum est
intestinis, evacuandam profunt effi-
cacissime.

§. V.

Deinceps æqualem sanguinis per to-
tum corpus restituendo cursum, & se-
rum maxime ad glandulas subcutaneas,
invitando, inhibetur hujus ad præcor-
dia adfluxus. Eo sine operæ facilius præ-
tium infusa calidiora pectoralia, ex
floribus malvæ, violarum, foliis hyssopi,
salviæ, semine sceniculi, anisi
ac cinnamomo conficienda. Hæc mane
intra lectum potare expediet, cum
blando regimine; & præterea in æquali
calore corpus semper conservare decet.
Scopo quoque hæc satisfaciunt pulveres
diaphoretici ac bezoardici, qui parantur
ex lapidibus cancerorum, pulvere
Marchionis, succino præparato, anti-
monio diaphoretico, vel loco hujus,
antihectico Poterii, cornu cervi sine
igne, cinnatari, additis aliquot gra-
nis olei nucis moschatæ expressi, vel
etiam croci. Idem quoque flores
sulphuris addere licet; maxime si a-
chores, vel scabies retropulsa malum
foverit.

§. VI.

Tertia indicatio requirit efferatorum
M. z. rum.

Quæ
miseria

effra-
motus.

rum motuum sopitionem, quæ sapius
mox ab initio curationis, ob gravioris
periculi metum, suscipienda est. Et
ex remediis huc facientibus longe emi-
net crocus, pectori amicissimus, ejus-
que extractum, pulveribus bezoardicis
admixtum. Laudant quoque muscum
quernum, & pulveribus, & decoctis
additum; nec eo fine sunt inutiles pilu-
læ de syraxe, aloephanginis aptæ,
& vesperi datæ, conjunctis ceterum
expectorantibus, oleo amygdalino, ac
spermate ceti. Haud etiam contemnenda
est virtutis liquor meus anodynus,
vel laudanum liquidum SYDENHA-
MII, cum spiritu cornu cervi mari-
tatum; quem cumprimis deprædicat
BOYLE de util. Philosoph. pag. 348.
Si his haud obsecundet malum, ad for-
tiora deveniendum anodyna, quæ ma-
joris sunt energię; veluti sunt pilulæ
de cynoglossa, Starckeyanæ, Wilde-
ganſij, & theriacalia.

§. VII.

Excer-
nuntur
us.

Neque ad sopiendam tussis vehemen-
tiam insuper habenda sunt externa: quæ
inter phthysica præsertim tussi laboran-
tes egregie solatur emplastrum dia-
sulphoris Rulandi, pectori impositum.
Tussi convulsiva vexatis insigniter pro-
dest unguentum rubrum potabile, cum
spiritu vini, præcordis illitum: nec
non unguentum pectorale, in PHAR-
MACOPOEA AUGUSTANA de-
scriptum, si thoracis latera eo inun-
gantur, in sedanda tussi, doloribus pe-
ctoris mitigandis, & juvanda expecto-
ratione, magnam præstat opem. Lon-
go quoque usu in omni tussi rheumatica
comprobatum habeo, sequens empla-
strum: Recipe myrrhæ electæ, bdellii,
succini ana unciam dimidiam, sperma-
tis ceti, axungię humanæ, ceræ, mi-
nii ana uncias duas, saponis veneti dra-
chmas tres, croci drachmam unam,
camphoræ drachmam dimidiam. M. f.
emplastrum, quod pectori, collo, spi-
næque dorsi imponatur.

§. VIII.

Quæ in
dicatione

In morbi denique declinatione, quar-
tam indicationem explere, partesque

labefactatas roborare, medentem o-
portet; quoniam facillimum est, re-
verti tusses. Commendo imprimis, ef-
sentiam succini, spiritum cornu n. i.
cum tinctura tartari, & liquore pra-
anodyno mixtum, additis aliquot olei
ligni assafras guttulis: nec non essen-
tiam cascariillæ; & sæpenumero illu-
stre animadverti effectum, quem ex-
ferit balsamum vitæ meum, ad aliquot
guttas cum extracto vel tinctura croci
datum. In fine ad roborandum ventri-
culum, electuarium, quod ex conserve
rosarum rubrarum uncis duabus, conf.
anthos uncia una, succini præparati,
nucis moschatæ drachmis tribus & syr.
corticum citri vel aurantium compo-
situm est, præscribere & ad usum com-
mendare solitus sum. CRATO Lib.
37. consil. pag. 1093. ambram cum deco-
cto patularum mirifice collaudat, nec
sine ratione: vim enim & roborantem,
& simul alvum liquantem possidet. Sed
longe præferenda est essentia ambre ge-
nuina, cujus præparationem in obser-
vationibus physico-chymicis communi-
cavimus. Tum quoque utile est vinum
vetus, generosum, Falernum; quod
veteres, & præsertim PLINIUS SE-
CUNDUS admodum extulerunt.
HIPPOCRATES lib. de victu, acuto-
rum usum vini dulcis senibus apprime
laudat: neque minus aqua veronicæ
vel hyssopi cum vino destillata & edul-
corata convenit: addatur tantillum
croci. Externe ad roborandas nimium
relaxatas glandulas faucium & bron-
chiales, ex quibus humor continuo ad
laryngem, & asperam arteriam defluit;
insigni cum fructu semper usus sum pul-
vere, capiti inspergendo, qui ex succi-
no, benzoe, mastiche, floribus cha-
momillæ Romanæ, & caryophyllis aro-
maticis compositus est: os quoque gar-
garismate frequentius colluendum erit,
cui interviert vel spiritus vini Gallicus,
vel decoctum salviæ, hyssopi, florum
rosarum rubrarum, cum vino rubro
paratum.

§. IX.

Ceterum in omni tussi, & curanda,
& præ-

Dien
officia

& præservanda, magna vis in recto vendi genere sita est. Moderandus cum primis aer, ut talis sit, qui nec frigore, nec nimio calore lædat, sed in quo corpus udore madeat perpetuo: vespertinus ac nocturnus præ aliis nocet; neque aer frigidus, nebulosus, pluviosus, aut præservidus, maxime omnium vero aquilonaris, nisi noxam parit. Porro catharris & tussi frequenter obnoxii cavere sibi debent a cibis valde salitis, fumo induratis, & aromatibus nimium conditis, nec non acidis, austeris, utpote qui sanguinem, ejusque serum acre reddunt, & impurum. Deinceps potus ratio habenda: nulla enim convenit cerevisia, multo minus vinum acidum. Majori cum fructu pro potu usurpabitur aqua hordei live prisana, vel decoctum quoddam ex radice china, Scorzonera, passulifque confectum; vel hydromel, quod GABELCHOVERUS hunc in modum parare docet: Recipe mellis despumati uncias quatuor, aquæ fontanæ mensuras tres, liquiritiæ drachmas quinque, scium numero sex, feminis foeniculi, radice pimpinellæ ana drachmas duas, florum malvæ manipulum unum, florum salviæ, violarum, ana pugillum unum, cinnamomi scrupulos duos, m. coquantur ad consumptionem mensuræ dimidiæ. In scorbuticis pro potu conducit aqua sola, pura, fontana, non nimis frigida, & vel amygdalis dulcibus, vel pane similagineo distemperata. Vulgus aquam fervidam affundit triticeis fursuribus & infusum frigide non sine insigni fructu in gravi epidemia tussi bibit.

§. X.

Præservationis quoque ratio, maximam partem, in recto rerum non naturalium consistit usu. Qui a tussi convalescentes, vinosis computationibus, corporis refrigerationibus, animi fortioribus adfectionibus indulgent: in eandem protinus incidunt longe gravio-rem. Senes sibi caveant a pedum, maxime dorsi refrigeratione. Et quia hy-

Hoff. Syst. Tom. VI.

me rigente rheumaticæ adfectiones quam facile contrahuntur, & caput & cervix & regio præcordialis, lumbis & pedes in senibus præsertim, quibus tussi admodum est infesta, linteis & integumentis calidis bombyciis maxime a frigore muniendi sunt, ut moderata & æqualis servetur perspiratio: nam quando unam ex hisce nervosis partibus frigus præsertim aquilonare fortiter tangit & penetrat, obconsensum, qui inter has partes viget, reliquæ omnes p. n. adficiuntur. Alvi libertas pariter ac expeditus transpirationis succensus nunquam non conservetur, necesse est: quare conferunt moderatæ, sed frequentes, & sub cælo salubri institutæ corporis exercitationes. Qui succis sunt pleni, hos statis temporibus, & omnino versus æquinoctia, venæsectione, vel scarificatione depleri curent. Eo magis vero recto regimine, tenui victu, conservatæque excretionum libertate, a tussi se præcavere decet, quando epidemicam exercet tyrannidem.

Cautelæ, cum cura specialiori.

§. I.

IN omni tussi caute mercandum est cum expectorantibus, dulcibus; decoctisque incrassantibus; ne more vulgo solito, nimia, & sola adhibeantur, sicque relaxando magis pulmones, nimium ad illos concitent adfluxum. Eo magis in tussi stomachali, & hypochondriaca ab iis, vel penitus abstinere convenit; pervertunt enim, destruuntque ventriculi vim digestivam, adeoque viam ad cachexiam, & hydropem pandunt.

§. II.

Tussis serina, quæ a retropulsis exanthematibus suboritur, indicat materię peccantis ad sua loca revocationem. Hoc casu divina ferme est virtus athiopis mineralis vel florum sulphuris, interne cum antimonio diaphoretico vel pulvere bezoardico, vespertinissimum exhibitorum. Nec præter

M 3 pedum

Cautela circa expectorantia & uncia.

Serina tussis a repressis exanthematibus suboritur curatio.

pedum frictiones, aut pediluvia, præstantius ad detrahendum a pectore serum est vesicatorii remedium: modo delicatior nostri seculi genius eorundem usum permitteret. In convulsiva infantum tussi, juvat quoque plantas pedum axungia porci inungere.

§. III.

Tussis rheumatica a repulso pedum oedemate subest ratio. Quæ a pedum oedemate in cachecticis retropulso generatur tussis, præter clysteres, incidentia, diaphoretica, & quæ motum a pectore derivant, insignioris usus sunt lenia diuretica v. g. tinctura tartari, succini tartarifata, Elixir nostrum viscerale cum Elixirio n. pectorali remixtum: alias acria, salsa, & potenter quæ urinam movent, quia detrahunt dulce serum, exulent; laudata vero serum acre per vias educunt urinarias.

§. IV.

Tussis rheumatica a scorbutica sanguinis & humorum diathesi originem trahit, non raro curatam vidi, datis interne sero lactis, pulveribusque ex lapidibus cancrorum, pulvere Marchionis, succino præparato, antimonio diaphoretico, extracto croci, cascarillæ aquoso, concinnatis; interposito laxante rhabarbarino; propinata pro potu ordinario aqua frigida, amygdalis distemperata, vel Selterana, vino Mosellano nupta; vel decoctum ex speciebus temperatioribus sanguinem depurantibus ex aqua usui erit eximio. Exhibui quoque vesperi pilulas aloephanginas, cum pilulis de styrace mixtas: nec non admovendum jussi pectori emplastrum, quod supra descripsimus.

§. V.

Tussis stomachalis curatio. Si saburra acida, biliosaque ventriculi tussim excitaverit, operæ pretium faciunt absorbentia, lapides cancrorum, succinum præparatum arcano duplicato nuptum, additis aliquot olei macis guttulis. Jungenda tum laxantia leniora mannata, ac rhabarbarina. Stomachali puerorum, si nihil est, quod prohibeat, succurritur leni emetico.

§. VI.

Tussis hypochondriaca curatio. In tussi, ex viscerum imi ventris obstructione nata, quam vocant hypochondriacam, apprime conveniunt, quæ excretiones sanguineas suppressas revocant: nec aliena pediluvia, & antispasmodica. Omnium vero virtutem, multis parasangis superant aquæ minerales tepefactæ, lacteque caprino, vel melius asinino permixtæ, si sub debito regimine potentur.

§. VII.

Tussis habitualis curatio. Quæ diu duravit tussis, & ad tabem vergit: cura lactis asinini, præparato ad eam corpore, certo profligatur; eo magis, si longæ peregrinationes, aeris mutationes, & roborantia denique conjungantur. Nec, si nimis humida fuerit, fructuosius est convenienti a cibis, præsertim carnibus abstinentia.

§. VIII.

Anodynorum usus. Præstat semper anodyna, ut pillulas de cynoglossa, item de styrace cum laxante e. gr. massa pill. aloephanginarum vel Cratonis de succino æquali pondere jungere, & circa horam somni præbere: alias ab illis solis exhibitis, animadverti tussim suppressam, succedente a nimia congestione humorum & gravitate circa pectus asthmate.

§. IX.

Frigus & nimius calor. Quemadmodum nimium frigus omnibus, qui tussunt, inimicum est: ita quoque præservidus calor iis nocet. Quare infusa quoque pectoralia, quæ dicunt theiformia, si calidissima fuerint, exasperant tussim. Omnes ergo potus tepidos sorbere convenit.

§. X.

Venæsectionis usus. Venæsectiones illis profunt, qui sanguine nimis turgent, venis prætumdatis ac funiculorum instar prominentibus, aut excretiones suppressas habent, maxime præservatoriæ, etiam in senibus septuagesimum jam annum transgressis. Nec iis supersedere possumus, si convulsivæ efferata vexent vehementia; ne rumpantur in quodam loco vasa; in puerili etiam & juvenili ætate. Sydenhamius affirmat,

mat, se convulsivam epidemicam, non nisi venesectione, iterata catharsi, & veficatoriis feliciter curasse.

§. XI.

Celsi
metho-
dus.

Digna, quæ allegetur, est tussi medendi ratio, quam CORNELIUS CELSUS Lib. 4. cap. 4. sic exhibet: *Oportet hyssopum altero quoque die bibere, ac lectione uti vehementi, quæ primo impeditur a tussi, post eam vincit; tum ambulare, deinde per manus quoque exercere, & pectus diu perfricare; post ficus pingues edere. In tussi humida profunt fricationes validæ, cum calefactionibus, sic ut caput quoque simul vehementer perfricetur, orum quoque sorbile, sulphure adjecto sorbeat, in potum vero aqua calida danda. Et ut verum fatear, præstat omnino Galeni in tussi curanda motum sequi, qui levibus simplicibus naturæ maxime familiaribus utendum esse docet: quam multis iisque compositis activis & pharmacia petitis. Ita decocto raparum exsiccatarum, vel caulium rubrorum, vel etiam furfurum triticeorum ex aqua cum saccharo, pertinacem & chronicam tussim in plebeis sublevatam, quin etiam penitus sublatam meminimus. Si fluxio tenuis copiosior & acris est, quod ex oculorum rubore, titillatione, & morificatione oris in gutture, sapore falso cognoscitur, succus glycyrrhizæ Hispanicæ, mel despumatum, massa, quæ ex gelatina cornu cervi & decocto glycyrrhizæ inspissatur, oleum quoque amygdal. dulcium cum syrupo papaveris albi mixtum & sensim paulatimque deglutitum præfens adferet levamentum. Neque minus familiaris & egregii usus esse potest ovi luteum recens cum saccharo canto & croco, cum poculo uno vel altero Theebois leniter deglutitum, item butyrum insulsum cum saccharo, lac cum infuso veronica & flor. papaveris rheados.*

§. XII.

Quando a nimio humorum adfluxu epiglottis, quæ est primum & prima-

rium vocis instrumentum, valde relaxatur & atoniam patitur, indeque vox rauca evadit: gargarismate, quod ex nervinis e.g. floribus anthos, lavendulæ, chamomillæ Rom. summitatibus thymi, origani, salvia, myrrha compositum & ex vino coctum est, frequentius uti convenit. Exteriores quoque laryngi faculum ex supra dictis speciebus addito insuper succino & styrace calamita applicare, non sine egregio fructu consuevi. Raucos non purgari vult Hippocrates, sed horum frigiditatem & humiditatem sanare consuluit capite & reliquis membris, quæ affecta sunt, topicorum usu exsiccandis. Vid. Lib. de victu acutorum.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

Imploravit quondam meam opem Vir honestus, cujus infantes, quos plures habebat, circa æstatis exitum tussi gravissima, eaque suffocativa ac convulsiva, laborabant. Siquidem hæc tanto invadebat impetu, ut facie ad nigredinem usque tincta, sine sensu, sine motu, atque sine respiratione jacerent. Recurrebat ea per periodos, circa horam potissimum matutinam decimam; junctis febre, pulsu celeri, & aphthodeis faucium vesiculis. Noctes erant insomnes, appetitus, etiam humidi dejectus, alvus clausa, crebra sternutamenta, & non modo ipsa tussi mucus cum sanguine elidebatur; verum per os quoque ac nares insignis pituitæ copia reddebatur. Hæc affectio jam per quatuordecim dies duraverat: & his debellabat medicinis. Anoclysteres ex decocto avenæ, oleo amygdalarum dulcium, floribus chamomillæ, & sale communi infundijussi: pro potu crebro dedi modo decoctum ex radice chinæ, scorzonæræ, althææ, glycyrrhizæ & semine scniculi paratum; modo avenaceum, oleo amygdalino nuprum; mox raparum exsiccatarum cum saccharo Canariensi,

De Tussi
si convulsiva
epidemica.

& croco permixtum; & pro infuso theiformi herbam veronicæ, ac hyssopi. Non minus bis terve quotidie propinavi pulverem, ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, pulvere Marchionis, & nitro compositum, cum aliquot liquoris anodyniguttis. Et horum ope convaluerunt.

Epicripsis.

1) Tusses convulsivæ epidemicæ, iis non raro grassantur temporibus, quibus diarrhœæ vel dysentericæ sunt familiæ. Tum plerumque æstatem ferventissimam frigidiora autumnisequi deprehenduntur initia: unde, quæ æstate liberior fuit transpiratio, hoc tempore subito cohibetur, & hinc acre impurumque serum ad bronchia decumbit. Sed præterea in ipso aere observari solent exhalationes fere venenatæ; quas in nostro quoque casu tussis & aphtharum causas fuisse, nullum est dubium.

2) In tali aeris constitutione infantes tussi & frequentius, & gravius infestantur. Debile enim ac valde sensibile est, quo pollent, nervorum genus, quod ex facili causa ad motus spasmodicos, convulsivos, & ipsum comitiale morbum disponitur. Deinceps hæc tenella corpora parum curant aeris injurias, sed quæcunque occasione semet ipsi exponunt liberius. Accedit & illud, quod, circa diastam autumnalem tempestatem, obavidius ingestos fructus horzorum, uvas &c. multas acidas, biliosas, & acres in primis viis sibi colligant cruditates: quæ ad exasperandam tussis vehementiam non parum contribunt.

3) Quemadmodum tussis asthmatis, ita hoc quoque illi, tanquam symptoma, tantum non semper supervenire solet. Duplex est causa asthmatis, quæ tussis symptoma est: nimirum prima constrictio bronchiorum, altera congestio humorum ad pectus. Constricta quippe bronchia, quæ tussis formale constituunt, remorantur tussim,

cientem aeris ingressum, & liberiores sanguinis per pulmones circulum. Congestio humorum maxime seri ad pectus in omni convulsiva tussi fit: liquidem instar regulæ perpetuæ est, quod ad debiliorem partem, quales hic sunt pulmones, tussi exagitati, semper majori impetu ruant humores.

4) Dici vix potest, quantum in omnibus spasmodicis ac chronicis morbis, qui foveantur ab impuritate humorum, noceat uti cerevisiis; utpote quæ acrimoniam subtiliorem magis alunt, ac exagitant. Soleo in harum locum exhibere decocta, quæ in tussi præsertim temperantia & demulcentia esse debent.

OBSERVATIO II.

Vir triginta sex annorum, sanguineus, succulentus, in castris, quæ sequutus est, variis molestiis, aeris ventorumque injuriis obnoxius, inordinate vivens, & frigidiori loco somnum capiens, neglecta, cui ante sueverat, per biennium venæsectione, incidit in tussim vehementem, æque ac diuturnam. Pectus humoribus infarctum turgidumque cum roncho videbatur. Ejiciebat quoque laborioso ac vehementi pectoris non minus ac abdominis conatu, ingentem muciviscidi ac flavescentis quantitatem, quæ intra nycthemeron collectim binas adæquabat libras. Et hac molesta tussi per quatuordecim jam laboraverat hebdomades, cum meum quæreret auxilium: corpus admodum contabescebat: appetitum tamen erat integer, alvus aperta, urina pauca ac rubicunda, pulsus post paroxysmum celerior, facies rubicunda. Neque ullum levamen perceperat, licet variis remedium generibus, decoctis, electuariis, essentibus pectoralibus, ac dulcibus fuisset usus. Ego itaque, interdito cerevisiæ potu, hujus in vicem consuetum decoctum dedi: alternis diebus exhibui pilulas balsamicas: mane pariter ac horis pomeridianis po-

Tussis
humida
diuturna.

tari iussi infusum pectorale, ex radice consolidæ majoris, enulæ, glycyrrhizæ, herba faniculæ, scabiosæ, scordii, veronicæ, agrimonix, urticæ mortuæ, pyrolæ, floribus hyperici, summitatibus millefolii, semineque anisi ac fœniculi paratum. Ex hoc fumendam suasi drachmam balsami pectoralis, quod ex olei hypericonis unciiis duabus, spermatis ceti uncia una, balsami de copaiva, Peruviani ana drachma una, croci scrupulo uno, florum sulphuris drachma, olei macis, anisi, ligni fastasas guttis quindecim confectum erat. Exhibui quoque pulverem ex magnesia alba, oculis cancrorum, cornu cervi philosophice præparato, ossibus sepix, & succino præparato concinnatum; ac denique emplastrum superius descriptum thoraci imponendum curavi. Quibus per duos menses usurpatis, in tantum confanescebat, ut nihil equidem esset, de quo conquereretur; attamen quoties vel acida comedebat, vel vinum bibe-
bat, tussi denuo cum reiectione viscidæ materiæ prehendebatur.

Epietis.

1) Ad præsentem tussim generandam plures remotiores concurrerunt causæ. Præter temperamentum enim sanguineum & corporis habitum, succis pituitosis plenum, venæsectionis neglectus, ac frigidius corporis regimen, omnino suffecerunt ad inducendam tussim.

2) Quæ cum forsan ab initio nimis dulcibus, ac expectorantibus tractata fuit: factum est, ut tonus & ventriculi, & pulmonum magis destrueretur. Ventriculo labefactato debetur corporis contabescencia: languente enim digestionem, chylus iners ac impurus, hinc & lymphæ minus laudabiles, & ad nutriendas solidas partes haud idonea generatur.

3) Pulmonum atoniæ in acceptis ferenda est tussis diuturnitas, cum sopiosa mucidæ materiæ reiectione.

Namque hi tum fiunt diverticulum humorum serosorum, mucidorumque, qui ex toto corpore eo deferuntur. Distinguenda talis tussis est a phthisica, quoniam rejecta materia nondum purulenta est, nec febris jungitur: pulsus enim celerior, qui paroxysmos sequebatur, dependet a validiori pectoris sub tussiendo concussione, quo sanguis impetuosius, celeriusque per cordis ventriculos, atque arterias propellitur.

4) Et in hoc tussis genere, minus conveniunt sola expectorantia; sed eo dirigenda est curatio, ut affluxus humorum a pectore deriveretur; pulmonumque ac ventriculi robor instaretur. His scopis dictorum remedium ope fecimus satis; e quibus adhuc commemorare juvat Elixir nostrum viscerale, quod ad restituendam digestionem diu adhiberi iussimus.

5) Notabile adhuc est, quod in morbi, qui atonia partium fuit fuerunt, ex levi causa, ut frigore, cibis acidis, vinosis &c. facile repululent. Quare longa opus est diætæ curatioris observatione, ac visceralem remedium continuatione.

OBSERVATIO III.

Studiofus quidam sanguine abundans, vita sedentaria, victuque pleniori uti solitus, meam aliquando implorabat opem, eo, quod sæpius, simulac corpus exponeret frigori, ventisque borealibus, statim corripere-
retur tussi, eaque gravissima, mox humida, mox sicca. Suasi propterea, ut venæsectionem, quam nunquam admiserat, instituendam curaret, eamque rer quotannis iteraret: dein singulis quatuordecim diebus pilulas meas balsamicas sumeret; & infuso veronicæ frequentius uteretur. Nedit aures consilio, simulque morui corporis frequentius studebat, eo effectum, ut a molesta tussi liber in posterum maneret.

Tussis
cathartica,
sæpius
recidit
vans.

Epicrisis.

1) Plethoricos, non modo senes, verum quoque juvenes, si utantur lauto victu, vitæque sine motu desidi, & sanguinis missiones neglectui habeant, admissio liberalius frigore, catharris, coryza, gravedine, tussi &c. circa æquinoctiorum plerumque tempus infestari, crebra certaque testatur experientia. Cum primis humidam patiuntur ejusmodi subjecta, si serosis turgeant succis; tumque criseos instar se habet hæc evacuatio; siquidem superata hæc affectione optime habent.

2) In ciendis fluxionibus ingentem frigus exserit potentiam, in dispositis maxime subjectis; dum constringendo corporis superficiem, venosumque corticem, humores magis ad interiora pellit; ex quibus serosa portio pulmonales ingreditur vesiculas. Hinc CAROLUS PISO *tract. de morbis ex colluv. serosa obser. 83. pag. 180.* de se ipso testatur, quod hyeme verticem capitis, futuramque coronalem nunquam detegere debuerit, quin statim tussim pateretur.

3) Et in tali tussi curanda, testante eodem PISONE *loc. cit.* & suffragante experientia, non præstantius est remedium, quam ab initio statim sudorem movere. Interveniunt huic scopo infusa theiformia mane intra lectum sorbillanda; sumto præcedente vespere, pulvillo diaphoretico. Neque enim hoc in casu convenit, statim ab initio laxantia propinare; nisi congestio ad pectus nimia fiat. Anodyna tum exhibere, nihil est, quam oleum camino addere.

4) Præservatorium autem finem nostra potissimum respicit curatio. Atque sic, præter rectum vivendi genus, præter crebriorem corporis exercitationem, non efficacius commendare potuimus præsidium, quam statis temporibus repetitas venæsectiones, quibus imminuta humorum mole, rariorem remotioni causa, occasionalis,

quæ est frigus, non adeo magnam obtinet efficaciam.

OBSERVATIO IV.

Juvenis florentis ætatis & vultus, fervidi ingenii & sanguinis, teneræ & macilentæ constitutionis, post variorum morbum, quem ante tres annos perpeffus erat, sæpius incidit vere præteritum & autumnum in molestam tussim, plerumque cum hemicrania & interno æstu conjunctam. Ego ad hanc avertendam suasi, ut corpus, præcipue pedes a frigoris vehementia curatius muniret; & quoniam paulo largius bibebat vinum, ut circa æquinoctialia tempora sanguinem emitteret, & infusum veronicæ cum radice glycyrrhizæ singulo mane fumeret. Hoc modo per duos annos liber ab hoc malo permansit. Factum vero est, ut neglecta vernali venæsectione & studiis & lubricationibus immoderatus indulgens, & omnes aeris injurias spernens, in catharralem febrem cum vehementi tussi & immani hemicrania sinistri lateris, accurate circa horam vespertinam sextam redeuntem, & per totam noctem perseverantem incideret. Tussis erat initio sicca, postmodum valde humida reddita est. Recusabat fere omnia remedia; fontem vero Selteranum loco cerevisiæ bibebat, sed cum exiguo levamine, ut potius & dolor capitis & rheumatismus pectoris invalescerent. Ego in consilium arcessitus, loco fontis Selterani bibendam suasi emulsionem, quæ ex decocto rasuræ cornu cervi, & amygdalis parata erat; electuarium quoque præbui ex oleo amygdalarum dulcium, syrupo papaveris albi, spermate ceti, croco; vesperi dosim pulveris mei bezoardici, & mane infusum veronicæ cum radice liquiritiæ superbibendum ordinavi. Ad aperiendam vero alvum, & sordes viscidas a pectore avertendas, quia decoctum manatum respuebat, alternis diebus sumendum dedi pulverem sequentem: Rec. lap. cancror. cremor. tart. ana. drach.

drachmam dimidiam, diagrydii sulphurati, cinnabaris præparatæ ana gr. VI. olei macis guttam unam. Quatuor vel sex a quavis dosi secutæ fuerunt sedes, & post ter reiteratum hunc pulverem & tussis & hemicrania permolesta sensim paulatimque conquieverunt, ac penitus demum cessarunt.

Epicrisis.

Plura mihi obvia sunt exempla, tussim primo catharralem, postea vero phthisicam redditam post morbillos, imo variolas, quæ valde infestæ sunt pectori, insecutam fuisse, præcipue si iusta vitæ ratio fuerit posthabita, & corpus non ab injuriis tempestatum, quæ catharros & tusses ciere solent, præmunium. Neque pauca mihi cognita sunt exempla, sola prudenti sanguinis e vena missione una cum debito vivendi regimine in sanguine præservando abundantibus & catharrales tussiculosos insultus, & ipsam veram phthisin, fuisse averruncata. Et quia ex hemicrania periodice redeunte, vitiosam humorum colluviem prima in regione stabulantem & tussis causam fomentem judicavi, præbui pulverem egregie & sine noxa primam regionem expurgantem, non sine singulari fructu subsequente; utpote ab ejus usu mox levamen symptomatum insignis egregius juvenis percepit.

OBSERVATIO V.

Vir 30. annorum, cholericæ & macilentæ constitutionis, a tenera ætate, ex diuturnis lucubrationibus hypochondriacus factus, varia & frequentia ad fluxum hæmorrhoidalem sensit molimina; qui cum per vasa sedis nunquam successit, ante decem annos vomitum patitur cruentum, qui tamen instituta mox in pede venæsectione, subjunctoque rhabarbarinorum & pulverum nitroforum ac absorbentium, nec non continuato per aliquot tempus fontis Schwalbacensis cum lacte mixti

& calefacti usu, cohibitus exinde nunquam rediit. Ante annum vero ex domestica calamitate valde contristatus, prævia repentina virium & appetitus, nec non somni prostratione, tussim incidit humidam hypochondriacam adeo quidem vehementem, ut per integras sæpe horas, præsertim nocturno & vespertino tempore, ingentem viscosi ac tenacis cinericei mucii copiam non sine molestissimo hypochondriorum & abdominis dolore exscreando, æger defatigaretur. Ceterum, pectus omni caruit vitio, nec sputum unquam sanguine apparuit mixtum; Alvus autem non obstante flatuum, qui crebrius per os eructabantur, copia sapis superque erat fluida; sub cujus depositione vires aliquantisper decrescere videbantur. Consultus ego in hoc affectu, cum ejus fomitem in primis viis ac imminuta ventriculi digestionem latitare conjicerem, ad hanc ipsam restituendam primo pulverem ordinavi stomachicum ex radice ari, pimpinellæ albæ, sale absinthii, succino, pulvere corticis auranti, immat. viridium ad partes æquales sumtis, additisque aliquot guttulis olei macis & ligni sassafras compositum, bis per diem capiendum, cujus loco interdum summo cum fructu adhibui essentiam stomachicam pectoralem ex Essent. gentianæ, succinæ, calcarillæ, nucis, croci, card. bened. myrrhæ & spiritu salis ammoniaci anisato præparatam. Binis quoque vicibus per hebdomadam ad expurgandas leniter primarum viarum cruditates, pilularum Cratonis gr. XV. cum duobus granis extracti croci, assumenda suavi, & loco potus ordinarii aquam fontanæ simplicem cum quarta vini parte permixtam commendavi. Quibus effectum est remediis, ut observato accuratiori in diata regimine, absoluto mensis unius spatio æger non modo molesta tussis liberatus fuerit, sed & cum appetitu ac somno quietiori, vires sensim recuperare cœperit.

Epicrisis.

Hæc historia satis abundeque docere potest, tussim & vehementem & diuturnam & cum magna visceri humoris excretionem junctam, ex stomachi & primarum viarum, quæ alimentorum digestionem præfunt, vitio & dejecto robore, nulla licet pulmonibus inhærente labe, ortum trahere posse, præsertim in hypochondriacis, quibus stomachus semper male affectus est, accedente præsertim gravi tristitiæ affectu, quo nihil ad vim solidarum, imprimis intestinorum & nervosarum partium imminuendam est potentius. Ex quo facile intelligitur, omnem prorsus curandi rationem eo esse dirigendam, ut vires deperditæ & universo corpori & maxime ventriculo per convenientia remedia restituantur. Et hoc præterea annotare licet, quod hypochondriaci & hæmorrhoidarii per graves & diu perseverantes animi affectus, nullis aliis etiam accedentibus causis, quam prompte & facile in multas & varias, easque longas corporis passiones delabi possint.

OBSERVATIO VI.

Rheumatismus pericardioris.

Generosus vir, ampla in dignitate constitutus, sexaginta & ultra annorum, sanguineæ & vegetæ nunquam non complexionis, rarius afflictam habuit valetudinem, & parcius hinc medicorum consiliis & medicamentis usus est, nisi quod bis quotannis circa tempora æquinoctialia venæsectionem admiserit. Hic vir eruditus, si ullus alius, studiis, mentis laboribus, & occupationibus assiduus per longum annorum spatium sub immobili vitæ genere districtus erat, & tamen satis vegere valuit. Ante anni dimidium cum autumno consuevit ex incuria venæsectionem omitteret, & ob metuentum fortunæ suæ detrimentum sub ingenti negotiorum & occupationum mole, animo valde perturbato & maxime

illo esset; vigorem & animi & corporis paulisper fractum persensit cum somno parco, interrupto, & crebrioribus sudoribus, maxime frigidis, matutino præsertim tempore stipato. Accidit præterea, ut sub mutatione & inæquali cæli autumnalis statu, auræ frigidiori corpus cum exponeret, prævia horripilatione in catharrum & tussim incideret; quam etiam prodicens in publicum neglexit. Inde vero factum est, ut fatiscientibus viribus & ciborum adpetentia, aucto circa vesperam calore, pulsuumque celeritate, in gravem pectoris rheumatismum fuerit coniectus; qui hoc modo se prædebat. Aderat tam violenta tussis sicca in principio noctu maxime infestans, ut omnem respirationem ad suffocationis fere periculum adimeret, cum maxima & intolerabili anxietate conjuncta, ut aliquoties ipse decumbens, ad spiritum liberius trahendum e lecto surgere, non sine molesta sudoris suppressione coactus fuerit. Petiit a me consilium. Ego, cum hujus affectus originem ex primarum viarum & hypochondriorum ob statulentas abdominis distensiones, alvum strictiorem, & intermissam venæsectionem derivarem; & non pro simplici catharrali sed rheumatica tussi habendam esse judicarem; sanguinis detractionem summo opere suasi, & utut alius medicus, forsitan ob præjudicia sua, quibus circa venæsectionis usum in febrilibus insul-tibus imbutus est, hanc non ratam haberet; me tamen autore ac suatore, decem minimum uncias sanguinis tenaci mucos referti fuerunt detractæ. Ex quo mox insignissimum in faciliore respiratione persensit allevamentum. Tussis vero sicca transiit in valde humidam; ita ut miram quantitatem crassi muci quotidie cum valida thoracis commotione ejiceret; quæ tussis maxime cum anxietatibus noctu affligebat, & omnem fere somnum adimebat. Ipse Dominus patiens pilulas Dn. N. S. assumebat, quas aliquot quidem sedes fuerunt secutæ, sed postea vehementer.

mentiores alvi adstrictiones cum insigni anxietate persensit. Substitui igitur infusum mannatum ad avertendam a pectore nimii humoris congestionem singulis tribus diebus sumendam; ex quo egregium percepit levamen. Mane infusum veronicæ; & de die prisanam amygdalinam, circa vesperam, cum pulvis & calor semper esset auctior, pulverem nitrosum cum antimonio & succino mixtum dedi; quibus remediis per Dei gratiam intra duos menses violentia istius rheumatis cessavit. Nihilominus Dominus Patientis adhuc de noctibus insomniis, flatulentis primarum viarum, & anxietatibus, mœstis cogitationibus, & fractis viribus conquestus fuit; & quia judicavi, horum symptomatum fundamentum in prava alimentorum digestionem, propter vim stomachi & intestinorum digesticem, a morbo, & animi affectibus fractam esse positum; sufficientem motum & exercitationem corporis, conversationem cum amicis, potum aquæ simplicis cum quarta parte vini Rhenani dilutæ, & ulum elixirii nostri visceralis cum bona corticum aurantium essentia permixti suasi. Quorum remediorum ope etiam integre vir longa vita dignus convaluit.

Epicrisis.

Tussim pure catarrhalem cum febricula quadam, a rheumatica probe ut distinguat Medicus, in praxi valde necessarium duco; quia hæc longe alia remedia & medendi rationem quam illa postulat. Catarrhalis simplex tussis dicitur hæc, quæ cum gravedine capitis, & coryza sit a transpiratione ob inæqualitatem aeris, tempore maxime autumnali & vernali ad interiora repressa oritur, & plures homines simul afficit, unde dici solet epidemia. Rheumatica vero natura longe alia est. Nam licet a transpiratione habeat sæpius suam primam originem; potissimum tamen vitiosæ plethoræ & catocymia, ventriculi prava digestio-

ni & viscerum abdominis vitio causam suam debet, unde etiam graviora juncta habet symptomata, diutius durat, & magis est individualis. Catarrhalis facilius transit, & solius naturæ beneficio, modo non error in diæta committatur, magno sæpius sanitatis commodo subsequente solvitur; multo minus vero magnæ efficaciar præsidia, uti est venæsectio, exigit; quæ tamen in tali tussi, quam nos vocamus rheumaticam, & jam descripsimus, ceteris paribus, locum invenit commodissimum. Præter hæc illud in usum scientiæ medicæ ex relata morbi historia & cura annorandum censeo, quod malum flatulento-spasmodicum, quod communi nomine affectus hypochondriaci venit, etiam in vegetioribus subiectis a studiorum intemperantia, vitæ motus experte, intermissa sanguinis copiosioris detractio, superveniente diuturniore animi perturbatione suboriri, & leviorum morborum vehementiam exacerbare possit. Denique in gratiam juniorum medicorum non silentio prætereundum esse puto, ad restaurandum robur ventriculi & intestinorum, medicamenta temperata balsamica, sed frequenti & moderata dosi sumta, & potum aquæ frigida cum vino spirituofo permixtum egregie conferre. Dicit enim vix potest, quam salutare sit potus genus aqua purior, simplex, cum majori vel minori parte optimi vini permixta, tum ad sanandas præsertim chronicas passionnes, tum etiam ad eas avertendas, & robur per morbi vim amissum recuperandum. Illud adhuc ad complendam superiorem morbi historiam commemorandum est, quod, cum jam in declinatione erat morbus, mitiori & tussi & pectoris oppressione reddita, Domino Patienti ex consilio alterius Medici, me quidem invito, duodecim sanguinis uncia per pedis venam sectam detractæ fuerint, ea medentis intentione, ut affectio molesta sic dicta hypochondriaca averteretur. Verum quam inconsulto id factum fuerit,

eventus docuit. Vires enim jam tum a præcedente morbo, nimia humorum expectoratione & pariori somno imminutæ, & penitus collapsæ erant; & ciborum adpetentia & virtus ventriculi concoctrix maxime vacillans, ingentem cruditatem peperit proventum; quæ morbum intestinorum, per flatum & spasmos augendo, inquietudinem & anxietatem, pectorisque oppressionem, noctu maxime instantem, & vim imaginativam mentis acerbiorē reddiderunt; & curationem haud parum protraxerunt. Ex quo intelligitur, quam noxia sit ex longo morbo convalescentibus largior sanguinis, in quo vis & robur solidorum vitale positum est, de tractio; eo quod ejus copia & spiritus scientia jam ab ipso morbo satis immutata fuit.

OBSERVATIO, VII.

Tussis Foemina generosa sexagenaria natu-
ab æte- ræ alias satis robusta, gravi haud un-
mate pe- quam laboravit morbo, præterquam
dum re- quod ante duos annos de doloribus ar-
pulso. tuum vagis, tumidis pedibus, & corporis languore fuerit conquesta. Huic contigit id infortunii, ut incuria ex alto per viginti, scalas præceps, delapsa fuerit in terram, ubi ex magna consternatione jacuit fere exanimis. Detecto corpore magna in pedibus contusio visa fuit, cum profundo in dextro pede cruento vulnere; cumque graviter terrore perculsa esset, cum ingenti virium lapsu, & internis & externis remediis satis superque ipsi fuit prospectum. Sed tertio mox a lapsu die in immanem tussim ferinam & convulsivam coniecta est, quæ noctu, præsertim, quando claudendo oculos obdormiscere cœpit, omnem adimendo spiritum, suffocationem minabatur. Medicamentis contra hoc symptoma præscriptis nihil proficientibus, & ego vocatus sum. Ordinavi hoc medicamentum: Rec. M. Fil. de styrace, aloë phanginarum ana drachm. dimidiam. i. pil. no. quinquaginta, de quibus de-

cem alternis diebus circa somni tempus assumptæ fuerunt. A quibus usurpatis optime habuit, & tussi reddita mitiori & evanescente omni suffocationis metu. Nihilominus cum continua pectoris oppressionem, tussi ejecit insignem pituitæ copiam; languebat diu appetitus, nec somnus adeo fuit placidus. Pedes vero, qui antea fuerunt tumidi, graciliores apparebant, & quod notabile, foemina per totum fere morbi decursum de ingenti frigoris sensu in pedibus conquerebatur, adeo, ut lagenis fervida aqua repletis eos continuo fovere opus fuerit. Medicamenta, quæ insignem opem in hoc affectu tulerunt, fuerunt mixtura ex aqua hyssopi, veronica, oxymeli squillitico, lapidibus cancerorum, antimonio diaphoretico, spiritui cornu cervi succinato, syrupo cortic. aurant. debira dosi, & proportionem concinnata; neque minus pulvis ex spermate ceti, floribus sulphuris, saccharo, & pauxillo balsami Peruviani & croci; infusum quoque ex hyssopo, veronica, & cortice ligni salsafras; præterea quoque elixir roborans pectorale & stomachicum ex tinctura tartari, essentia succini, croci, & corticum aurantium recentium; quorum ope intra sex septimanas convaluit.

Epicrisis.

In hac morbi historia digna sunt, quæ præ aliis observentur, momenta: 1) quod: immanis illa consternatio ac terror, vim suam non in totius corporis extremitates, ut ordinario fieri solet, sed tantum in pedes exercuerit: dum illi antea, notabiliter tumidi protinus derumescere, ac refrigerare cœperunt. Hinc per, metastasin, insignis feri impurius, eo usque in pedibus stagnantis copia, ad pectus delapsa, vehementem pectoris rheumatismum, convulsivam fere tussim, quæ antea nunquam laboraverat, induxit. Talis consensus pedum cum pectore, aliis quoque exemplis mihi perquam notus est: ex quibus hoc est valde notabile:

Laborabat quondam hujus Academiae Professor, tumore pedum cedematofo, ad abdomen usque ascendente. Hic cum tertiana febre, epidemicam tunc stragem inferente corripere, factum est, ut per ingens cum horrore junctum frigus, sub accessionum initio statim detumescerent pedes. Verum mox successit summa spirandi difficultas, cum insigni pectoris oppressione, adeo ingravescente, ut frustra datis varii generis remediis, sub quarto paroxysmo, accedente catharro suffocativo exstingueretur. Ejusdem tenoris casum, ante aliquot annos adnotavi in generosa quadam foemina; quae pedum cedemate diu affecta, accedente demum tertiana, fatis cessit. 2) Confirmat quoque hic casus, quod salva ac integra pulmonum substantia existente, ex sola vitiosa materia translatione, gravis pectoris rheumatismus, & diuturna tussis suboriri queat: nostra enim egrotans nunquam incommoda in pectore antea senserat.

OBSERVATIO VIII.

Tussis
chronica
habitu-
alis.

Vir annorum sexaginta octo, habitus corporis succulenti, constitutionis plethoricae, lauto victu, vitaeque sedentaria utens, meum aliquando requirebat auxilium, eo, quod diuturnis pectoris adfectionibus vexaretur. Retulit scilicet, se juvenem haemoptysin fuisse passum, & hac congruis medicamentis sedata ac percurata, retinuisse tussim humidam habitualement. Haec quotannis autumnali ac hyemali potissimum tempore, coryza, aliisque catharralibus defluxionibus stipata infestabat, tanta saepius ferocitate, ut suffocari non raro videretur. Novissime vero medio hyeme accedebat tussis sicca; qua per aliquot dies insistente, horroratque calor jungebantur, tumque sequebatur liberior expectoratio mucicopiosi, sanguine grumoso, subnigricante permixti. Praesens igitur medicus venam in pede tundi jussit, qua secata levatum fuit pectus, & aeger

usurpatis adhuc variis remediis a malo suo liberatus. Quam autem hujus recursum timeret; ad hunc praecavendum, meam desideravit opem. Quare injunxi rectum rerum non naturalium usum, & praeterea ut humorum adfluxus a pectore derivaretur, suasi laxantia ac diaphoretica: illa quidem ex rhabarbaro paranda, saepiusque usurpanda; haec in forma infusorum mane adhibenda. Cerevisiam quoque pro potu interdixi, & in ejus locum decoctum ex radice scorzonerae, chinæ, rasura cornu cervi, radice cicliorei, liquiritiae, semineque foeniculi concinnatum ordinavi. Inde nunciavit mihi, se nihil, de quo amplius conqueratur, habuisse; sed si forsitan acidis inter prandium uteretur, recrudescere nonnunquam tussim.

Epicrisis.

Meretur attentionem in praemissa morbi historia, quod haemoptysis, quae in juventute proruperat, post quadraginta demum annos redire possit. Causa in sola plethora accrescente quaerenda est, qua per commodam vengestationem imminuta, cessavit utique periculosa sanguinis per pulmones ejectio. Neque minus hic casus nosclare docet, quantum vitii & labis, seu potius imbecillitatis in principaliori viscere a morbo diu illud infestante relinqui possit; adeo, ut sanguinis in senem hoc immodica redundantia non aliis interioribus partibus & visceribus, sed pulmonibus infesta fuerit. Videmus etiam habitualement & per multos annos durantem tussim, minus quidem periculosam, ex semel male affecto pulmonem suboriri posse. Nam vitium, solidis partibus diutius inherens, non tam facile ex toto tollitur, minimum, dum debilitatem quandam relinquit, ad plures morbos eorumque recidivas disponit.

OBSERVATIO IX.

Tussis
in sen-
saluta-
ris.

Novi virum literatum septuagena-
rio majorem, mediocris corporis ha-
bitus, & moderatioris animi, vitæ &
victus, qui ob arcendam plethoram,
quæ multorum etiam senilium morbo-
rum fecunda genitrix est, singulis fe-
re annis bis vel ter sanguinem e pedis
vena mittendum curavit, & inde etiam
quoad omnes corporis functiones satis
bene habuit, præterquam quod per
quindecim fere continuos annos mole-
sta febre rheumatica tussiculosa, per
aliquot septimanas sæpius perdurante
afficiatur; quæ ipsum interdum ex im-
provviso, vento maxime regnante bo-
reali, corripit; hanc lassitudo corporis,
gravitas in capite & pectore, dolor
tensivus circa primam lumborum
vertebram, pedum refrigeratio, alvus
strictior, urina tenuis, sternutatio,
appetitus auctior prænuntiant. Sequi-
tur postea tussis primo violenta & sic-
ca, cum calore præternaturali anxio,
& cum alternante horridula & æstuosa
extremorum alteratione. Elapsis ali-
quot diebus valde copiosa lenti & visci-
di muci successive fit excretio. Urina
quæ primis diebus erat tenuis, jam
crassa fit, pauca, & sedimentum depo-
nit. Tandem intra duas vel etiam tres
hebdomades sponte vel per sudorem
universi corporis, vel per sedes morbus
solvitur. Redeunt mox & animi &
corporis vires, redit quoque ciborum
adpetentia; somnus fit quietior, & re-
liquo anni tempore a morbis, qui huic
ætati alias familiares esse solent, im-
munis vivit. Remediis in hac tussi non
nisi levibus & simplicibus utitur; præ-
ter regimen externum conclavis & le-
cti valde temperatum & abstinentiam
a consueto cerevisiæ potu, infusum
Theiforme ex veronica, radice glycy-
rhizæ, lacte, juscula quoque avena-
cea, cum saccharo canto, & aliquot
cochlearibus olei amygdalarum dul-
cium bibit. Circa vespertinam dosin pul-
veris bezoardici leniter nitrosi sumit;

& quando urina incipit deponere sedi-
mentum, intra quatrimum semel de-
cocto mannato, ad amurcam a pecto-
re avertendam & foras ejiciendam,
summo cum fructu utitur.

Epicrisis.

Rheumaticæ ejusmodi febres si pla-
cide tractantur & decurrunt, criticæ
& medicinales merentur dici rectissi-
me. Tota enim sanguinis & humorum
massa ab heterogeneis ipsi immixtis
succis per congrua emunctoria depura-
tur; sed hæc depuratio, a natura, ut
ita loquar, instituta fit per gradus,
eget tempore, expectatione ac patien-
tia, nec vult præcipitari multis aut mi-
nus congruis & validis medicamen-
tis. Causam ejusmodi catharralium &
rheumaticarum febrium vulgo in
transpirationem prohibitam tantum
rejiciunt; at quando perpendimus,
raro hyeme, licet frigidissima, sed ve-
re plerumque & autumnis ejusmodi fe-
bres, cujus generis etiam sunt, quæ
variolis, morbillis, doloribus etiam
arthriticis accedunt, corpora infestare;
statuendum potius videtur, non solum
cohibitam perspirationem, causam esse,
sed peculiare vitium in atmosphæ-
ra nostris succis & partibus solidis ad-
versum, latitare; quod nos quidem in
virulentæ & fermentativæ indolis ma-
teria, ex pravis exhalationibus oriun-
da collocamus. Præter hæc discere id
oportet, venæsectionem per se senili
ætati prorsus non esse adversam; ut po-
tius ad longam & sanam vitam mul-
tum conferre possit. De quo argumen-
to in dissertatione de venæsectionis
usu ad vitam longam prolixius egimus.
Illud adhuc subiciendum esse censeo,
quod Dominus Patiens sedulo observa-
verit mitissime & optime hunc mor-
bum in salutem vergere, si mox a prin-
cipio usque ad finem & plenariam resti-
tutionem omni studio accurata tractetur;
contra vero, si primis diebus negligat-
ur, nec accuratum regimen observetur,
neque in rerum non naturalium usu,

vitando aerem frigidum & humidum sibi moderetur, non modo graviolem & diuturniorem fieri; sed etiam sapius magna cum sævitia & periculo reverti.

OBSERVATIO X.

Tussis convulsiva in infan-
Tusses convulsivæ, si ullam infestant ætatem, idque non sine periculo, certe id in infantibus & pueris contingere, in praxi observamus; idque maxime quando ex præternaturali temporum constitutione nascuntur, adeoque epidemice grassantur. Vidimus id crebrius & maxime anno 1709. hyeme post hominum memoriam, mense Januarii & Februarii intensissima. Nam principium anni Euro noto spirante erat nebulosum; postero autem & subsequen-

tibus diebus Zephyrus vehemens pluvias, & noctu inter d. 5. & 6. Januar. plurimam nivem Eurus, versus aquilonem inclinans, cum intenso frigore adduxerat; quod in dies fere, inter matutinas præcipue nebulas dieque & noctes serenas, crescendo ea vehementia nos adflixit, qua de longe lateque querelas multiplicare Europæ contigit; donec d. 20. prægressa nivosa, vesperi auster temperatiorem & pluviosam auram induceret. Quod intensissimum frigus aliquamdiu quidem remittens, medio tamen Februarii revertens totam gelu terram constrinxit; eo tempore, & etiam sequenti vernali pleuritides spurix & veræ, peripneumonix, graviter affligebant adultiores; tusses vero ferinæ, convulsivæ, cum suffocatione conjunctæ multis & pueris & infantibus erant lethales. Et cum tum temporis in aula Berolinensi in officio Regio ut Medicus versarer, sapius a me consilium flagitatum fuit. Coram eo direxi, ut ad spasmos pectoris & præcordiales sopiendos accommodata & interna & externa præscriberem. Inter externa unguento pectorali, quod in Augustana Pharmacopœa describitur, cum essentia croci aquali portione & pau-

Hoff. Syst. Tom. VI.

xillo camphoræ commixto linteamina imbui, & regioni præcordiali frequenter imponi jussi. Clystere quoque domestico simplici carminativo venter solutus; interne vero nil nisi electuarium ex oleo amygdalarum dulcium, spermate ceti, item syrupo papaveris albi, in juscule avenaceo datum fuit. Remittente hinc quodammodo vehementia spasmodorum, sequenti mixtura ad colluviem vitiosi muci in ventriculi & intestinorum canale, neque minus in bronchiis stagnantem, tam per expectorationem, quam etiam per alvum exturbandam usus sum. Rec. aquæ hyssopi, veronicæ ana unciam unam, essentia croci, spiritus salis ammoniaci ana guttas quindecim, syrupo mannae cum rhabbaro drachmas duas, tartari emetici soluti granum unum. Hæc mixtura pueris duodecim vel quindecim annos natis, dimidia pars ejus illis, qui sex vel septem vel octo annos habebant, quarta trium annorum infantibus fuit data. Secutus est vomitus cum præsentaneo levamine, & expectoratio etiam melior facta. Alternis diebus repetita hæc est mixtura; reliquo tempore mixturæ ex aqua florum tilia, liliorum convallium, primulae veris, ceras. nig. veron. cum pulvere Marchionis, cinnabari, antimonio diaphoretico, additis aliquot guttulis spiritus cornu cervi succinati, item essentia croci datæ fuerunt, & plerique ex his remediis optime se habuerunt.

IX. O. Epicrisis.

Cum infantes & pueri patientiores habeant cutis poros & vias, facilius etiam aeris intemperatoris & asperioris in eorum corpora est ingressus, adeo, ut ex parte humores tenues lymphaticos inspisset, & transpirationem impediendo, ad interiora ventriculum potissimum & pectus eos compellat. Et quoniam infantes ob satis tenebrum, mobile, & sensibile genus nervosum, ad motus spasmodicos & convulsivos

N aspe-

aspectu sæpe horribiles sunt propensi, mirum non est, eos præ aliis ætatibus, quando ejusmodi tusses regnant, acerbiora experiri symptomata. Videmus enim vehementissime moveri & contrahi pectus, cum omnibus artubus, sub collo & facie mirum intumescere & sanguine suffusa, oculis torvis exsistentibus, & ob spirationem difficillimam ægros sæpe occluso pharynge pro mortuis haberi. Prima igitur medici sit intentio, ut motus hos enormes quodammodo sopiat, & postea collectam lentam & viscidam tam in pectore quam in ventriculo & duodeno hærentem materiam blande per vomitum & alvum eliminet. Et certe concisa dosi tartarus emeticus solutus in mixtura commoda, ejusmodi in casibus si detur, longe optimum & desideratissimum præstat effectum. Id quod etiam in tussi convulsiva & suffocativa, quæ in variolarum, item morbillorum maxime declinatione infantes infestare solet, summo cum levamine ægrotantis sæpius expertus sum. Vidi etiam non raro tussim convulsivam in infantibus difficili dentitione laborantibus, quæ nullo modo & medicina sopiri potuit, post dentium vero eruptionem sponte cessavit. Adeo, ut ex sola hac observatione recte colligere possimus, motus hos pectoris violentos, non semper pro causa materiam insignis molis habere, sed a sola vellicatione nervo sæ cujusdam partis originem suam trahere posse.

OBSERVATIO XI.

Tussis
hypo-
chon-
driaca.

Vir quidam ætatis consistentioris, concionatoris munere fungens, hypochondriacis ob vitam sedentariam passionibus per longos annos obnoxius fuit, nimirum alvi obstructione, dolore sub hypochondriis tenso, appetitu vago, tinnitu aurium, vexatus &c. His tandem vernali tempore, accedente forsan corporis refrigeratione, jungebatur tussis, & per integrum jam inhaeserat semestri. Vespertino

præsertim ingravescebat tempore, tumque efferata vehementia infestabat, donec post magnos conatus, mucii admodum viscidii quidpiam excerneretur. Neque tamen minus pectus grave, & spiratio erat difficilis; sumtis epulis magis in valescens.

Epicrisis cum consilio.

Tussis chronica & pertinacioris indolis est illa, quæ molestissimo intestinorum morbo, qui vulgo hypochondriacus vocatur, laborantibus infestata est. Atque ratio in promptu est: nam quia tussis a nimia congestione humorum ad pectus valde infirmum & atonia affectum accidit, & prima in hypochondriacis regio ob destructam digestionem, vitiosos multos crudos humores suggerit; non mirum est, ejusmodi generis tusses non tam facile sanationem recipere. Accedit & hoc, quod illa convulsiva thoracis & totius abdominis concussio, quæ fit per tussim, digestionis, quæ fit secundum naturam, negotium in intestinorum canale plus adhuc labefactet & pervertat. Nam plura mihi cognita sunt exempla, quod diu multumque perseverante tussi ob viciatam digestionem & canalis intestinalis tonum destructum, affectio hypochondriaca demum producta fuerit. Ex quo jam facile intelligitur, difficilem omnino esse tussis hypochondriacæ curam. Neque enim, quæ in simplici & catarrhali epidemia tussi idonea sunt remedia, hic sufficiunt; sed respiciendum quam maxime est ad digestionem ventriculi juvandam, & destructum intestinorum tonum restituendum, ac circulationem etiam sanguinis per viscera abdominis, quæ in hypochondriacis lentior est, promovendam. Ego itaque in præsentis casu, atque etiam in aliis similibus non sine insigni fructu, preparato prius corpore, ceteris pharmaceuticis alias satis efficacibus remediis nihil proficientibus, curam cum aquis mineralibus, aci-

acidulis vel etiam thermis temperato-
ribus, sine vel etiam cum lacte, pro
diversa subjectorum & circumstantia-
rum ratione instituendam suasi. Ante
vero, inter & post earum usum elixi-
riis temperatoribus thymachicis & bal-
samicis, & ejusdem virtutis pilulis,
subjuncto simul loco potus ordinarii
decocto temperato ex radicibus &
lignis totam curam absolvendam sta-
tui; non neglecta etiam accommodata
sanguinis vel per venas hemorrhoi-
dales hirudinum ope, vel per sectio-
nem venæ in pede missione, modo
post illam, præsertim autumnæ & ve-
re, patiens frigidum australem aeris
statum evitet. Nam dici vix potest,
quam graviter ex hujus rei neglectu
luat æger, & quam sæviter inde to-
ta passio ingravescat.

OBSERVATIO XII.

Tussis
in gra-
vida.

Generosissima scæmina in vicina ur-
be quartum mensem prima vice gravi-
da, anno 1732. tempore, quo & va-
riolæ & convulsivæ tussis epidemice &
sæviter grassabantur, vehementiori
etiam infestabatur tussi cum febricula
nocturna; appetentia ciborum penitus
erat prostrata; siti vero premebatur,
adquam deliniendam decoctum tem-
peratum vino intermixtum bibeat.
Deliberatum fuit, num venæsectio ad
abortum præcavendum locum habere
possit, eo quod dolores quosdam spa-
sticos & tensivos circa lumborum re-
gionem & inguina generosissima scæ-
mina interdum percipiebat. Ego,
quia erat plethorica, & venæ præser-
tim in partibus superioribus, maxime
jugularis valde turgabant sanguine,
innoxiam eam minimum, sed tentan-
dam potius in manu judicavi. Et san-
guis mucro crasso tenaci valde oblitus
detrahitus fuit. Tussis hinc & febris
longe remissior facta est. Præter ve-
næsectionem infusum quoque rhabar-
barinum cum manna, ad lentam pitui-
tam per alvum, quæ erat legnior, sub-
ducendam cum fructu datum fuit.

Epicrisis.

Ex vehementiori tussi, præsertim
convulsiva abortus fieri posse, non
novum, nec inauditum in praxi me-
dica est. Hujus vero causam in san-
guine & humoribus impuris & spitis,
quia menstrua cessat purgatio, radi-
cari pro statuto & certo etiam ha-
bendum videtur. Sanguinis itaque
abundantioris ac impurioris per se-
ctam venam detractionem ipsa sana-
ratio desinit, & experientia etiam
aliorum confirmat.

Plures de tussi casus legantur in
Consult. ac Respons. Medicin. Sect.
II. casu LXXV. LXXVIII., &
XCVI.

C A P U T IV.

D E

S I N G U L T U.

T H E S E S P A T H O L O G I C Æ.

§. I.

Q Uemadmodum respirationis ne-
gotium binis potissimum absol-
vitur actibus, inspiratione vide-
licet, ac expiratione: ita utriusque
etiam ratione lædi potest. Exspiratio-
nis quidem vitium, quod tussis nomi-
ne venit, superiori capite pertractavi-
mus: ad inspirationis vero læsionem
illa pertinet affectio, quam Græci
πνιγμὴν καὶ πνιγμῶν, nos singultum voca-
mus. Hic, inspicemus definitionem,
nihil est, quam septi transversi, & ad-
nexarum quarundam partium consus-
sio spasmodico convulsiva, interrupta,
moesta, sub inspiratione facta, & cum
honora aeris per os explosione thipata.

Defini-
tio sin-
gultus.

§. II.

Hujus naturam explicaturi; que-
dam de fabrica partium, quæ ad id vi-
ti perficiendum concurrunt, præmit-
temus. Sic nobis primo se sistit septum

Septi-
mura
diaphrag-
matis.

transversum, Græcis diaphragma dictum, quod omni circumferentia musculofum, fibris a centro ad peripheriam tendentibus, in centro tendineum, mediam corporis cavitatem ab infima, transverso, simul obliquo, antèrius altiori, postèrius decliviori situ dissepiens, versùs thoracem convexum, abdomen versùs concavum, nervis partim a vertebralibus colli, partim ab intercostali ramo, & vago pari oriundis, satis capacibus instructum; binis foraminibus, quorum dextrum in tendineo circulo cavam venam, sinistrum in musculosa parte œsophagum, ac par nervorum vagum transmittit, pervium, variis undique adhærescit partibus. Nimirum antica parte costis, sternò, & musculis intercostalibus; media per tunicam pleuram, convexam septi superficiem cingentem, mediastino; ventriculo, non solum per nervos, ac exteriorem tunicam, a peritonæo productam, utrique communem, ac concavum septum investientem; verum etiam per stomachum, græcis *μάγδα* dictum, ipsi firmiter adnexum; hepatis, ejusque gibbosæ superficiei per ligamentum latum; & postica regione vertebris lumbaris per duas musculoso-tendineas appendiculas arcto connectitur vinculo.

§. III.

Diaphragmatis usus in respiratione negotio.

Vi hujus dictarum partium mutui vinculi necesse est, ut unius partis in loco mutationem sequatur reliquarum adhærentium motus: quod in naturali statu respirationis docet negotium. Namque sub hujus priori actu, inspiratione, partim musculis intercostalibus, costas sursum, simulque antrorsum trahentibus, partim ipsi musculosi septi fibris, a centro ad peripheriam contractis, & abbreviatis, hoc ex convexa in magis planam convertitur figuram: protinus hunc motum æmulantur vicinæ partes, & universum sursum antrorsumque trahitur abdomen, stomacho per abbreviatas septi fibras magis coarctato. Omnia hæc pristinam subeunt

conditionem, diaphragmate in expiratione ad convexitatem redeunte. Inde vero sequitur, quod ubicunque thorax & abdomen sursum, antrorsumque tolluntur, & pectoris ampliatur cavitas, ibi sit inspiratio; si contra, expiratio.

§. IV.

Jam si ad singultum fiat applicatio; hujus primum historiam, quamvis facillima cuivis sit diagnosi, curatius attendentes, sic habere deprehendimus. Concutitur pectus celeri impetu, cum sono acuto; sub qua concussione thorax & abdomen attolluntur, pectoris cavitas fit amplior, loquentibus sermo intercipitur, quin tanta sepe numero est vehementia, ut juxta *Doleum Encyclop. medic. Lib. 3. cap. 2. pag. 174.* totum contremiscat corpus, & costæ frangi videantur. Ipse sonus, qui jungitur, tantus nonnunquam est, ut canis latratus instar a transeuntibus in platea, & ædibus vicinis percipi possit. Conf. *Lazarus Riverius observ. 1. pag. 302. Thomas Bartholinus histor. anat. rarior. Cent. 2. histor. 4. pag. 175. Vitus Riedlinus obs. 31. pag. 67.*

Hist. ris singultus.

§. V.

Hæc cum phenomenon inspirationis collata luculenter docent, singultum esse inspirationis vitium, saltem sub ea contingere. Quemadmodum vero sub naturali inspiratione antecedere observatur motus musculorum intercostalium; sequitur transversus septi contractio, & tandem abdominis elevatio; hæcque omnia placido, ac lento procedunt gradu: ita e contrario in singultu, tanquam præternaturali inspiratione, primum observatur septi transversus contractio, & vi consensus sequitur motus connexarum partium, cuncta vero vehementer, & velocissime fiunt. Concussio sic velocissime septo, concutitur quoque gula & stomachus citissime: hinc aeris, continuo a nobis deglutiti portio, intra gulam comprehensa, magno impetu sursum per integrum pellitur

Ratio formæ singultus.

causa.

œsophagum; & tandem in fornicato palato, singultuosum illum efformat clangorem. Conf. LANGII. *Pathol. animat. Cap. 36.* Concussum denique septum, producto singultuoso sonitu, plus minus lento progressu rursus convexum redditur: i. e. fibræ musculares iterum prolongantur: hinc quies fit, & per intervalla redit convulsiva concussio.

§. VI.

Differe-
rentia
singul-
tus a
conti-
nuo se-
pii trā-
versi
spasmo

Dum ergo singultus est convulsio diaphragmatis velocissima, sed mox remittens, & per intervalla recurrens: distinguit sese ab ea spastica detentione, quæ diutius septum tenet rigidum, ac perpetuam spirandi caussatur difficultatem. Conf. GASPAR HOFFMANNUS *Instit. med. Lib. III. cap. 86. §. 6.* GALENUS *de symp. Lib. II. cap. 2.* Hæc accedere observatur colicæ convulsivæ; aut paroxysmis hysteriis vehementioribus; & a sonitu, singultientibus familiari vacua deprehenditur.

§. VII.

Differe-
rentia
inter
singul-
tum a-
cutum,
& chro-
nicum.

Ad hæc notanda omnino est differentia, quæ singultum chronicum intercedit, & acutum. Hic morbis acutis jungi observatur, ut febribus continis, malignis, exanthematicis, petilentialibus, inflammationibus nobiliorum viscerum &c. non modo brevioris exitus, verum ancipitis quoque eventus est. Contra chronicus longas ægritudines comitari solet, ut sunt hysteriæ, cachecticæ affectiones, vitata primarum viarum conditio, mala partium spiritalium conformatio &c. & in hac sua indole ad plures dies, hebdomades, menses, quin integros annos perdurare potest. Sic BARTHO- LINUS *Centur. 3. epistol. 61.* de muliere per biennium adeo graviter singultiente, ut a Damonè obfessa videretur; & *cent. 2. epistol. 4.* de singultu per quatuor annos infestante; alii alia exempla allegant: quorum numerus a MARCELLO DONATO *Lib. IV. hist. med. cap. V.* & SCHENCKIO *ibid. L. III. recensetur.*

Hoff. *Syst. Tom. VI.*

§. VIII.

Quod singultus sedem attinet, variæ ^{Sedes} medicorum de ea semper fuerunt opi- ^{singul-}niones. Veteres, & antesignanus HIP- ^{tus.}POCRATES *Lib. VI. aph. 39.* ventriculum solum accuserunt, & per ejus violentum motum, quo rem sibi infestam expellere conaretur, descripserunt. Verum, ne tali ratione illum cum vomitu vel rustibus confunderent, singultu agitari ea, quæ superiori ventriculi orificio inhærescunt, vomitu, quæ ejus fundum occupant, perhibuerunt. Vid. FORESTUS *obs. XII. Lib. XVIII. pag. 286.* Alii vero, quorum agmen ducit FELIX PLATERUS *Lib. II. de funct. lesion. Cap. V. pag. 376.* sedem in solo septo transverso collocarunt; cum priorem opinionem non omnibus phænomenis satisfacere viderent. Alii denique media incedentes via, primario quidem os ventriculi superius adfici, per consensum tamen semper diaphragma simul agitari autumarunt: quos inter nominandus est DOLÆUS *Encyclop. Med. L. 3. c. 2. p. 174.*

§. IX.

Mea vero sententia principalis ^{Notra} sedes, ac primarium hujus affectus orga- ^{senten-}non, in diaphragmate collocandum ^{tia.}est: siquidem absque hujus musculi transversæ ope nulla inspiratio, cujus præternaturalis effectus est singultus, fieri potest. Enim vero cum superius ventriculi orificium firmissime adhærescit septo illi; impossibile est, quin simul, una cum œsophago in hoc affectu patiat. Et hinc adparet fundamentum illius divisionis, qua singultus in idiopathicum & symptomaticum recte dispescitur. Ille enim est, si causa ejus materialis in ipsa transversæ septi substantia hæret; hic, si causa in ventriculo residet, & hujus vellicatio ad diaphragma propagatur.

§. X.

Causa singultus proxima est irrita- ^{Causa}tio vel stimulatio aut diaphragmatis, ^{proxia}aut stomachi, & hinc inducta harum ^{ma.}partium convulsiva concussio. Quamob-

N 3 rem

rem quo debiliore nervorum genere homines sunt præditi, eo facilius hoc affectu corripuntur: hinc infantes, pueri, ac senes ipsi præ aliis sunt obnoxii, adeo, ut diæticum quoque ac transitorium illum singultum, de quo nos non loquimur, & qui vel ex stomachi refrigeratione, vel haustu avidiori aut frigidiori, vel etiam risu suboritur, facillime incurrant. Sed & illa mediata ac remotiores causæ, quæ morbosum singultum, medentis auxilio dignum, suscitare valent, in his subjectis facilius vim suam exerunt: quas jam ordine suo recensere, animus est.

§. XI.

Causæ singul-
tus sitæ
sunt.
2] in eo
re frigi-
do.

Aeri, eique frigido ac humido, præsertim subjectis antea calentibus admissis, princeps debetur locus. Qui nudo vel leviter tantum tecto pectore, quique nudis præter consuetudinem pedibus, in frigidioribus ambulant pavimentis, quo teneriores fuerint, eo facilius singultum incidunt; & infantes, quorum vertex adhuc palpitans non bene tectus fuit, eodem affectu frequentissime corripuntur. De tri-duano singultu ex diuturniori in aquis mora, casum refert memorabilem CAROLUS RAYGERUS in M. N. C. dec. I. ann. VI. obs. 211. & majori attentione dignus est ille, cujus meminit RIVIERUS Cent. III. obs. 42. quod quædam puella, per totum hyemem singultu graviter vexata, omni vero ætate ab eo libera fuerit.

§. XII.

2] in 2
lumen-
torum
nimia
quantitate.

Ejusdem affectus causam ipsa alimenta præbent, vel nimia quantitate sumpta, vel inimica qualitate prædita. Sola avidior ingurgitatio, qua bolus bolum, haustus haustum trudit, & in superiori ventriculi orificio commoratur; hoc vellicando, singultum ut ut leviores producit: & sic FORESTUS Lib. XVIII. obs. 12. singultum a frusto pulmonis bubuli in œsophago resistente commemorat. Cibi quoque nimia quantitate ventriculum onerantes, eandem pariunt molestiam: id

quod pueri voraciores, & gula dediti testantur; & solum panem nimia quantitate ac aviditate ingestum, id vitii concitasse, notat EPIPHANIUS FERDINANDUS hist. med. 43. Potulenta, majori copia ingurgitata, maxime si externa acceperit refrigeratio, aut ipsa nimis frigida fuerint, tussim pariunt, exemplo heluonum, nudo inter pocula pectore versantium, & infantum lactentium, si iis cerevisia frigidior exhibeatur. TIMEUS A GULDENKLEE exemplum hujus affectus allegat in viro, qui valde calesfactus, nimium aquæ frigidæ cum nitro hauserat Lib. 3. Cas. V. pag. 115. & RIVIERUS de morb. infreq. obs. 1. singultum semestrem, a frigido haustu vehementissimum adnotat.

§. XIII.

Quæcunque assumtorum vel per se nimis sunt acria, vel ex variis causis intra ipsum ventriculum, in saburram acrem, viscidam, stomachum vellicantem desciscunt: morbum nostrum plus minus gravissimum inducunt. Quem fugit lactis & lacticiniorum corruptionem in ventriculo, singultientes reddere infantes; quale exemplum funestum narrat BARTHOLINUS Act. Med. Hassn. Vol. 2. observ. 28. Idem tenendum est de acribus, causticis, aut plane venenis. De singultu ex cicuta comesta, GULDENKLEE Lib. 7. cas. 4. ex euphorbio ibid. cas. 7. ex cepis, allio, & zingibere GATINARIAS de cognit. & cur. ægrit. p. 81. ex oleo vitrioli loco balsami sulphuris sumto BARBETTE prax. med. Lib. 4. cap. 2. p. 136. ex nimia usu juleporum acidorum, & emulsionum refrigerantium in acutis SCHENCKIUS Lib. 3. allegant notatu dignas observationes. Neque minus huc referenda sunt vomitoria ac purgantia drastica, maxime helleborata, quæ rodendo, stimulando, & inflammando ventriculum ac intestina, ad singultuosum disponunt morbum.

3] in al-
sumto-
rum in-
mica
qualitate
te.

§. XIV.

Citissimas & ut plurimum funestas septi

4] in materia

acridia-
phrag-
mati in-
cumben-
te.

sepi transversis concussiones excitant humores acriores, corrupti, multisque salinis partibus referti, si incumbant diaphragmati. Notum mihi est exemplum de homine, qui per decem & tres dies vehementissimo afflicto singultu, tandem obiit: cujus in thorace aliquot feri acrioris extra vasa natantis unciae post institutam cadaveris sectionem reperiuntur. Et huc fere pertinet singultus, qui a materia arthritica vel podagrica per metastasin ad septum transversum decumbente suboritur: qualem a retropulsa arthritide excitatum adnotavit GEORG. HIERON. VELSCHIIUS *Hecatoest. II. obs. 54.* Idem morbus contingit, si dysenteriae vel diarrhoeae, praesertim ab initio cohibita, & per opiata, vel alia adstringentia sufflammata fuerint: quem admodum observavi in *Not. ad Poter. cent. 11. cap. 47.* Neque raro erysipelati retropulso, aut in senioribus ac imbecillioribus haud satis vegere expulso jungitur singultus. Quae omnes causae nituntur materia acri, ac veluti caustica, nervosis sepi transversis partibus, vel orificio ventriculi superiori sepe insinuante.

§. XV.

Singul-
tis acu-
tus ab
inflam-
matio-
nibus.

Qui acutus audit singultus, jungitur morbis, qui sunt brevioris exitus. Ex iis primas tenent inflammationes viscerum nobiliorum, sic malum, illud sequitur vulnera ac inflammatio nes ipsius sepi, ut in paraphrenitide adparet; nec non ventriculi & intesti-
norum, adnotante FORESTO *Lib. 18. observ. 12.* phlegmonem hepatis, testibus CELSO *Lib. 2. cap. 7.* BAR-
BETTE *pr. med. Lib. 4. cap. 2.* cu-
jus pathognomicum signum dolor ad jugulum ascendens suppeditat. Ipsae cerebri, ac meningum inflammatio-
nes, gravesque vulnerationes, vi con-
sensus, quem haec partes per nervum
vagus cum septo stomachoque ha-
bent, eminus hoc symptoma produ-
cunt. Conf. HIPPOCRATES *Secl. 7. aph. 3.* & HEURNIUS *comment. in hunc aphor. pag. 469.*

§. XVI.

Idem vitii genus sociari solet febris
bus continuis, malignis, & exanthema-
tiosis &c. ubi variae remotiores con-
currunt causae. Aut enim junctae in-
flammationis causa sit singultus; id
quod cum primis in febre pestilentiali a
carbunculo, septum, aut ventricolum
obsidente, evenire asserit DIEMER-
BROECK *Cap. 13. §. 5. & Cap. 15. annot. 15.* aut si febrim legitimum de-
cursus praematuris anodynis, opiatique
turbatus fuerit, qualem memorabilem
casum recenset RIVERIUS *Cent. 3. observ. 17.* aut sudores repressos, &
exanthemata resistentia, vel repulsa
sequitur; aut acrem ventriculi labur-
ram comitatur, cujus exemplum in
febre hemitritica refert FORESTUS
Lib. 5. obs. 15. Hisce in casibus pericu-
losa simul adsunt signa, sitis magna,
debilitas insignis, vigiliae, delirium,
impudentia, ardor inextinguibilis,
motus maxillae inferioris tremulus,
nervorum distentio, vocis interceptio,
urina diluta &c. Contra vero si circa
dies criticos occurrit, ac reliqua signa,
maxime coctionis in urina fuerint bo-
na; nihil mali portendit, sed vomitu-
m criticum, aut alvi fluxum futurum
praenunciat, & his subsequitis cessat.
Saepius quoque has acutas febres ita se-
quitur singultus, ut cum ipsis perma-
neat, & per totam febrem simul exacerbetur; quales febres singultuosae,
aut lyngodes veteribus appellantur,
earumque exemplum in M. N. C. anno
4. *obs. 48. pag. 43.* allegatur: quoru-
rum etiam spectat memorabilis casus a
POTERIO *Cent. 2. cap. 47.* allegatus.

§. XVII.

Ad acutos & ancipites eventus sin-
gultus referendi quoque sunt, qui se-
cundum veteres inanitionem, seu ni-
mias humorum excretiones sequuntur.
Hyperemesin & hypercatharsin hoc
gravi symptomate supari, testantur
praeter experientiam HIPPOCRA-
TES *Secl. 7. aph. 3. & 41. & Secl. 5. aphor. 41.* & SYDENHAM. *meth. cur. febr. pag. 61.* Eundem affectum

27 febr.
bus jun-
ctus.

3 ab
inanitione.

post se trahunt cruoris vitalis nimiae ac incoercibiles effusiones, vel naturales per uterum, nares, hæmoptysin, vel per vulnera graviora concitata; sicuti idem HIPPOCRATES *Sect. 5. aph. 3.* significat. Quibus in casibus universales plerumque convulsiones, ac ipsum vitæ finem hæc concussiones singultuosæ, tanquam ultimi naturæ conatus, antecedere solent.

§. XVIII.

Chroni-
ci sin-
gultus
causæ.

Chronicus singultus natales suos quandoque debet sanguinis & humorum vitio: quando nempe illi, aut quadam acrimonia imbuti, aut, retentis consuetis excretionibus, ad vasa septi ac ventriculi copiosius congesti sunt. Hinc gravidis per ultimos gestationis menses, & foeminis hysteriis, quarum menstrua non rite fluunt, maxime familiaris est: quo nomine notabilis est casus a SCHURIGIO *parthenol. pag. 213.* allegatus, ubi refert, singultum foeminam quandam ante mensium eruptionem semper occupasse, hac vero facta protinus cessasse. Idem malum chronicum æque ac periodicum affligere solet cachecticos, & hepate affectos: ubi causa in bile, acriori reddita, & tunicas ventriculi ac duodeni nerveas vellicante, quaerenda est. Hinc talem affectum in cachectico tam diu durantem, donec vomitus sequeretur, observavit LENTILIUS *in Jatromu. pag. 286.*

§. XIX.

Offe-
sum pe-
ctoris
partium
nata
confor-
matio-
nes.

Offearum denique, quæ pectus cingunt, partium, & malæ conformationis vitia, ad chronicum interdum contribuunt singultum. Mucronata cartilago, si laxata, vel ob alias causas magis introrsum reflexa est, ut ventriculum stimulare possit, præsentem adfectum producere, observationibus deprehenditur: qualem a depressa hac cartilagine per tres menses durantem adducit FERNELIUS *Lib. 4. de part. morb. & sympt. cap. 3.* Eundem costarum luxationes, fracturæ atque contorsiones excitasse, docet experientia. Hinc idem FERNELIUS *loc.*

cit. pag. 568. singultum ex luxata costis ortum, ea reposita conquievissè refert; & RHODIUS *Cent. 2. obs. 61.* ejusdem ex compressione undecimæ dorsi vertebræ nati ac continui mentionem injicit.

§. XX.

Quod singultus prognosin attinet; Prognosis
neutiquam periculosus ille, qui visci-
ditates, cruditates, & acrimoniam
primarum viarum excipit; nec qui
hysteriis accidit, timeri adeo debet.
Multo minus periculi habet, si ex
refrigeratione vel potu frigido oritur,
modo non corpori sudanti nimius inge-
ratur: frequens quoque est infantibus
lactentibus & in his nil mali; plus vero
mali in senibus prænunciat. Novi
foeminam generosam 40. annorum,
quæ viginti annos quotidie adhuc sin-
gultu vexatur, sine sanitatis incom-
modo. Idem vero minus talis per
acutas febres, præsertim ardentes,
ac pestilenciales incidens, grave offen-
dit periculum; & si delirium inter-
veniat, aut nervorum dissentio, mor-
tiferum est. Qui causa inflammatio-
nis, maxime hepatis oritur, vix nisi
lethalem præfagit exitum. Æque per-
timefcendus ille, quem acriora pur-
gantia, emetica, ac venena post se
trahunt. Omnis ex inanitione singul-
tus, post alvum citam, largasque vo-
mitiones malos; post sanguinis pro-
fusionem, & capitis vulnera, pessimus. Quem accersunt dysenteria,
diarrhoeæ adstrictæ, erysipelas, poda-
gra, arthritis repulsa, periculo non
vacat. Singultuosæ senum hernioso-
rum febres, cum nulli ferme mede-
læ locum relinquant, mortiferae sunt,
teste FORESTO *Lib. 18. Cap. XII.*
Schol. Sternutamentum autem singul-
tui, maxime qui ex repletionem ori-
tur, accessisse utile est, & hunc ces-
saturum prænunciat.

Methodus medendi.

§. I.

Indica-
ti-nes
curatio-
nis.

OMnis singultus medelam non exposcit; siquidem levior ille ac diæticus vel inspiratione diutius protracta, vel animi quadam distractione, per dolorem in quodam corporis loco excitatum, aut sedulam alicujus rei meditationem, aut terrorem ex improvise excitatum, facile solvitur. Qui vero morbosus est, his non cedit; sed medica adgrediendus est manu. Tres vero potissimum in illo sanando sunt indicationes; quarum prior motuum præternaturalium, spasmodico-convulsivorum mitigationem; altera causarum materialium remoti-
nem, & tertia partium affectarum & debilitatarum restorationem indicat.

§. II.

Quæ
priori
satisfa-
ciat in-
dicatio-
ni.

Priori scopo satisfacturi veteres, opio & inde paratis utebantur medicinis, laudano opiato, mithridatio, philonio, diascordio Fracastorii, Theriaca &c. usque singultum se curasse hinc inde perhibent. Verum præfero leniora antispasmodica, & anodyna: ex quibus sunt succinum, cinnabaris, crocus, castoreum, quod vehementer laudant auctores, adeo, ut ALEXANDER TRALLIANUS, bonus inprimis auctor, illud quoque sub amuleti specie singultum sanare, sibi persuaserit. *Lib. 7. pag. 387.* Ego crebra doctus experientia, liquorem meum anodyno-mineralem omnibus longe præstantiorem judico, eumque his in casibus vel solum, vel tincturæ castorei nuptum exhibere soleo. Nec minoris efficaciam est spiritus nitri dulcis, cum refracta balsami mei vitæ dosi permixtus. Olei amygdalini unam vel dimidiam unciam cum aliquot olei anethi destillati guttulis quidam pro secreto habent.

§. III.

Salutem
primam

Comprimis vero, juxta alterius indicationis tenorem, causarum mate-

rialium remotioni studere decet. Quando itaque saburra quæcunque ventriculo inhærens, ejus orificium superius, stimulando, singultum produxit, ea corrigenda & blande vacuanda est. Si acris ac biliosa fuerit, absorbentia citrata, pulvis noster præcipitans, ex aqua frigida operæ facient pretium; viscida, plicis ventriculi pertinacius infixa, salibus digestivis, maxime li-
quore terræ foliatæ tartari, & radicibus, quæ resolvunt, simulque roborant, ut est radix yncetoxici, quæ simul anodynæ quicquam in recessu habet, angelicæ, calami aromatici, &c. votis satisfaciunt. Cocta materia evacuanda vel per vomitum erit, vel per alvum. Illo, ciendo conveniunt radix Ipecacuanhæ, vel omnium optime pulvis squillæ ad quatuor vel sex grana cum granis tribus nitri purificati. Alvum solvunt mannata, rhabarbarina, pilulæ aloëphanginæ; vel marocollinæ, aut de succino Cratonis aucta succini dosi præparatæ: commodissime hujusmodi pilulis aliquot grana massæ pilularum de sty-
race vel de cynoglossa admiscuntur; ita duplici effectu satisfaciunt. Tutissima quoque sunt enemata, leniter carminativa, maxime infantibus, qui ex lacte corrupto id vitii genus incur-
runt: quo in calu etiam sulphur antimonii correctum, vel aurum fulmi-
nans bene præparatum dosi concisa cum fructu adhibentur.

§. IV.

Si a frigore, vel quacunque alia causa cohibita transpiratio foveat malum; huic revocandæ omne studium impendere oportet. Conveniunt hoc nomine, præter externum temperate calidum regimen, affectarum partium fomentationes, potus tepidior, & largus, infusa theiformia ex herbis ac radicibus resolventibus, ac roborantibus confecta: ex quibus pul-
veres bezoardicos, ex succino, cornu cervi usto, antimonio diaphoretico, cinnabari, tantillo extracti croci, ac castorei paratos sumere juvabit.

Ex.

Singul-
tus, a
cohibi-
ta trans-
pira-
tione
lubore
curatio.

Excellens quoque hoc in casu remedium constituit spiritus bezoardicus Bussi, si cum liquore nostro anodyno, & essentia castorei permisceatur. In acutis & exanthematicis febribus superpressa transpiratio, præter rectum regimen, frictiones, & fixa diaphoretica votorum explebunt summam. In chronico singultu a refrigeratione suborto, & admodum refractario, potus vini Hippocratici levamentum præstat: præter id divinæ virtutis sunt balnea tepidiora; quæ & diaphoresin revocant, & partes spasmo contractas emolliunt: quemadmodum exemplo confirmat RIVERIUS *observ. in freq. 1.*

§. V.

Exanthematica retro-pulsa sunt revocanda.

Eadem medendi ratio obtinet locum in singultu a materia erysipelacea, arthritica, podagrica retrocedente, aut non satis foras pulsa suborto; in quo scilicet, præter diaphoreticos per dicta §. præcedente remedia obtinendam promotionem, materiam acrem ac inimicam a nervis phreniticis ad sua loca revocare expedit. Hoc sine blanda laxantia & clysteres divinæ ferme sunt virtutis: non minus rubefacientia, atque vesicatoria suris vel scapulis adplicata, detrahendo serum acre, magnum ferunt levamen. Nec opera luditur, si in podagra retrocedente pediluvia tepidiora crebro adhibeantur: quare etiam TRALLIANUS *lib. cit. pag. 386.* atque RIVERIUS *prax. pag. 407.* manuum in aquam calidiorem immersionem laudant.

§. VI.

Singultus ab acri ac drastico remedio inducti curatio.

Quandocumque a dato emetico, purgante, caustico remedio, veneno singultus excitatur; ea sunt adhibenda, quæ vim veneni castrant, & enervant. Quæ inter nihil præstantius est pinguius, oleis amygdalarum dulcium, olivarum, mucilaginosi, ipso lacte, ejusque cremore, tempestive, priusquam inflammatio locum occupaverit, propinatis; & sic involuto veneno, effrænes motus dictis superius anodynis compescendi sunt. Si vero malum a

veneno per contagium hausto, uti in peste, vel etiam morfu canis rabidi, ictu, ira effervescentis insecti provenit: tunc theriacalia, ipsa theriacalis aqua, theriaca cœlestis cum antispasmodicis, nitrosis, camphora, cinabari, diaphoreticis mixta optimum pollicentur levamen. Quæ curandi ratio locum quoque obtinet, quando a materia caustica, exanthematica, maligna, ad interiora a corporis superficie repulsa malum incidit; quo casu pulvis ex camphora aliquot granis & nitro compositus; nec non emulsionem ex amygdalis & seminibus quatuor frigidis majoribus, & aquis diapnoicis paratæ, præstantissimam ferunt opem.

§. VII.

Qui insignes cruoris vitalis effusiones insequuntur singultus; haud prius compescuntur, quam donec ipsis inanitionibus obex ponatur. Cohibere vero hæmorrhagias enormes decet internis temperantibus, tonicis, adstringentibus, externisque præsidis: quorsum in vulneribus commodæ læsæ partis deligationes pertinent. Sedato fluxu tutis anodynis insistendum, iisque efficacissima antiepileptica jungenda, & denique anæmiæ analepticis, & alimentis reficientibus succurrendum.

§. VIII.

Nec insuper habenda sunt remedia roborantia, maxime sub morbi declinatione. Ex iis eminent olea roborantia macis, menthæ, absynthii cum balsami mei vitæ quibusdam guttulis combinata, ac in aquis spirituosiss, tanquam commodo vehiculo exhibita. Tales sunt aqua spiritiosa cinnamomi, menthæ, melissæ, aquæ vitæ aromaticæ: nec non essentia carminativa Wedelii, aqua carminativa Dorncrellii, & ipse vini generosi haustus. Hæc remedium genera in singultu, qui a flatuum retentione, & facta ab iis ventriculi vellicatione proficiscitur, junctis clysmatibus carminativis, utramque curationis absolunt paginam. Inter topica opem quoque pollicentur linimenta antispasmodica,

Singultus ex inanitione curatio.

Roborantia.

paregorica & anodyna, præcordiis ad-
mota, quæ habeant oleum macis,
menthæ, absynthii, crocum, casto-
reum, camphoram &c. nec minus ce-
rata ac emplastra nervina, scrobicu-
lo cordis adplicata, ac ipsæ denique
partium affectarum per accommodata
vincula constrictiones

Cautelæ, cum cura specialiori.

§. I.

POTUS **I**N singultu, qui ab acrimonia vel
visciditate ventriculi suboritur, sæ-
pius solo potu tepido, copiose sumpto,
votis potiri licet: hic enim involvit
acrimoniam, diluit visciditatem, &
causam stimulationis removet. Om-
nis vero frigidus potus malum exa-
cerbat.

§. II.

Singul-
tus diar-
rhœas
exci-
piens.
Pessimi successus est singultus diar-
rhœis, vel dysenteriiis intempestive
cohibitis superveniens: quare ipsi cito
succurrendum. Tutissimum & effica-
cissimum hoc in casu remedium præ-
bent clysteres, ex emollientibus & le-
niter laxantibus, ipsa videlicet me-
dulla cassiæ, vel extracto rhabarbari
adjecto, & crebrius injiciendi: laxan-
tia oretenus exhibere minus consultum
est. Præstat potius biliosos acres humo-
res temperare, quod & magnesiæ,
& alia absorbentia, & inprimis serum
lactis dulce, potui datum efficient;
tumque jungere convenit interna ano-
dyna, externaque paregorica.

§. III.

Singul-
tus fe-
brium
acuta-
rum.
Febrium acutarum singultus, mor-
bi primarii curatione, quæ aequali dia-
phoreseos promotione absolvitur, et-
jam curatur. Tum maximopere ca-
vendum, ne adhibeamus remedia sa-
lina, multo minus laxantia, pilulas
aloeticas: aut regimen justo calidius,
vel potum calidissimum concedamus:
uti enim frigus, ita & excessivus cal-
or nervosis partibus, maxime si mor-
bo affectæ sunt, est inimicus.

§. IV.

Pari ratione in singultu a viscerum
inflammatione inducto, huic prospici-
endum est tusa, si recens fuerit
inflammatio in corpore plethorico,
proinus in pede vena; tumque da-
tis interne discutientibus, aliisque,
quæ sudorem movent, stagnantes suc-
cos resolvunt; quibus, urgente nimis
dolo re, blanda conjungere licet ano-
dyna. Cumprimis alvus injectis cly-
steribus, semper lubrica servanda;
externe camphorata crocata, sacculi-
que discutientes adplicanda, & pru-
denti prognosi famæ consulendum.

§. V.

Singultus cachecticis, & hepate af-
fectis superveniens, curatur remediis
bilem acrem corrigentibus, infusis re-
solventibus, hepaticis, attenuantibus,
amaris & evacuantibus; hisque non-
dum satisfaciuntibus nihil est, quod
vim thermarum, aquarumque mine-
ralium superet; de quibus notabilem
casum allegat BONETUS *med. Sept. Lib. V. Sect. V. obs. 6.*

§. VI.

Qui accedit hypochondriacis, & ut
plurimum suppressis excretionibus san-
guineis debetur, non cedit, nisi hoc
primario profligato malo. Tum vero,
si omnia fallunt, thermæ comprimis
Carolinæ, conjuncto ad roborandas
partes balnearum Toeplitensium usu,
operæ facient pretium. Scorbuticis cura
lactis asinini, acidulis Selteranis, in-
que tepesactis nupti, egregium polli-
cetur auxilium: quod jam commendat
PAULLINI *Onograph. Cur. Secti IV. cap. 3. §. I.*

§. VII.

Si costæ fractæ, distortæ, luxatæ
que singultum prodixerunt; luxatio-
nis repositio, fracturæ consolidatio,
ex chirurgico petenda foro, unicum
spondent auxilium. Cartilagini eni-
formi luxatæ, ac intus flexæ optime
medebuntur cucurbita cœcæ, scrobi-
culo cordis adplicatæ: quas cum primis
laudat VITUS RIEDLINUS *lin. med. anno 1695. mens. August. observ. 4.*

§. VIII.

§. VIII.

Anodynorum
usus.

Anodynorum in compescendo singultu cautum oportet esse usum: si multa materia peccat, hujus ante omnia studendum correctioni & eliminationi; præsertim si fuerit acris, caustica, virulenta. Hac enim nondum excussa, anodynus uti, nihil est, nisi oleum camino addere. Sicuti in omni morbo, ubi anodyna & sopiente virtute opus est, ita quam maxime in affectibus spasmodico-convulsivis, cujuscunque generis sint, opiata rarissime sola, sed cum accommodatis evacuantibus sociata & tutissima & præstantissima sunt. Et hoc arcanum vehementem opii vim cicurandi re vera est antiquissimum. Testatur id celebre illud medicamentum Aesclepiadis, quod recenset GALENUS *Lib. 8. de compos. medicam. Cap. 3.* & AVICENNA *Lib. 4. Fen. 13. tr. 5. c. 16.* & constat ex costis, croco, spica, asaro, mastiche, aloe, & opio; atque ad ejus imitationem confecta sunt pilula Rondeletii, Poterii, Plateri, Riverii, Wildegansii, Starckii, Anglicanae. Hos in asthma & tussi convulsiva, singultu & aliis dolorificis & spasmodicis morbis, pilulas aloephanginas, vel etiam nostras polychrestas, cum dupla vel tertia parte massæ pilularum de styrace vel de cynoglossa miscere, & cum fructu insignissimo usurpare consuevimus.

§. IX.

Singultus
levioris
cura.

Singultus a leviori causa exortus sine medicamentis sæpius feliciter sistitur, quando videlicet sub motu thoracis magis voluntario ipsum diaphragma cogatur, adeo ut plus fibræ ejus motrices tendantur vel relaxentur. Illud fit fortiori inspiratione, per cursum, per saltum, per vehementem equitationem; hoc vero per expirationem fortiolem, per vociferationem, & si thorax fascia, seu zona constringatur; quod simplex & extemporaneum sæpe est remedium. Eiusdem generis est sternutatio, quæ uti spontanea, docente id Hippocr. *Sect. 17. aphor. 13.*

singultum tollit, ita naturæ bene operantis minister, medicus, arte eam provocare debet. Et maxime, quando vel lenta & in flatu abiens materia ventriculi tunicis aut partibus proximis inhærescit, ad eam ipsam per vehementem expirationem, dum viscera abdominis & inprimis ventriculus vehementer conquatitur, deliciendam. Minime vero sternutatio arte producta locum habet, ubi inflammatio, vel subtilis caustica virulenta materia, altius nervosis partibus sese insinuaverit.

§. X.

Præservandi sine rectis rerum non naturalium usus, præsertim aeris frigiditatis evitatio, ex omni parte votis respondebit. Qui a longo morbo partes solidas debilitatas habent, se præcavebunt balneorum martialium prædicti usu, nec non remediis martialibus, conjunctis liquidorum potatione, motuque corporis sufficiente, usurpandis.

Præservatio.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

Virgo annorum quindecim, integro ciborum appetitu gaudens, & menstruorum fluxum nondum experta, variis autem molestiis illorum causa pressa, per tria anni semestria singultum patitur. Ille vero nocturno duntaxat invadit tempore, & primum vix omni hebdomade semel recurrit. At novissime singula nocte tanta vehementia infestat, ut in vicino conclavi dormientes singultuosam agitationem auribus percipere possint. Notatu etiam dignum est, quod si ipsa ab accedentibus ministris excitetur, & corpus ipsius in lecto loco moveatur, cesset singultus: neque enim per diem incidit, licet sæpius nimium indulserit epulis. Ceterum sana vivit; & quoniam graviora inde pertimescebat pericula, meum flagitavit consilium. Ego rebus probe pensatis, causam hujus peculiaris pathematis plethoram

Singultus
chronicus
nocturnus.

ex

ex mensum defectu judicans, primo omnium sanguinis per sectionem venæ in pede missionem administrandam duxi; deinde ad salutarem mensum fluxum procurandum laborem & motum corporis sufficientem & frequentem pediluviorum tepidiorum usum, & circa novilunii tempus pilulas nostras polychrestas, & alternatimve essentiam succini probe tartarizatam, præstantissimi ad hunc scopum obtinendum usus, semel de die assumendam commendavi. Quorum remedium ope & auxilio etiam, ut audivi, factum est, ut virgo ab hoc malo liberata optime valuerit.

Epicrisis.

Singultus tale est vitium, quod plures & diversi generis agnoscit causas; & compluribus etiam morbis tam acutis, quam chronicis sese associat. Quapropter quando medicus recte & circumspice vel de ejus eventu aut effectu, magis vel minus periculoso judicare, vel ad hunc morbum, qui nunquam fere non mali quidpiam post se relinquit, amoliendum accommodatam vult medicinam præbere; opus omnino est, ut in ejus causas paulo accuratius inquireat. In casu præsentis secundum Hippocratis sententiam a repletionem, per quam plethoram, sive potius nimium repleta a copiosius congesto sanguine diaphragmatis vasa intelligo, originem traxisse censui. Et hæc quoque fuit ratio, quare & venæsectionem, & menstrualem per accommodata medicamenta purgationem excitandam suasi; non siue subsequente egregio levamine.

Dignum præterea, quod observetur, in hoc casu est phænomenon, quod per somnum vehementioris hujus insultus facta fuerit accessio, & confestim per vigiliam cessaverit, cum alias singultuosa & convulsiva hæc passiones in somno & quiete conquirere, per motum vero & vigiliam exacerbari consuescunt. Sed cum in convulsionibus

asthmaticis idem sæpius evenire videamus, non sine ratione colligimus, humorum & sanguinis stagnationem, quam somnus procurat, pro vera horum malorum causa habendam esse.

OBSERVATIO II.

Vir quinquagenarius, temperamentum cholericum, a multis annis arthritidi obnoxius, vino fartus aliquando autumnali tempestate peregrinationem instituit; atque domum reveritus, præviis totius corporis horrore, ac lassitudine, adpetitusque prostratione, incidit in diarrhoeam. Quæ cum multis imi ventris torminibus stipata esset; accitus medicus præscripsit pulverem, qui corallia rubra præparata, cornu cervi ustum, & laudani opiatum granum unum habebat. Remiserunt equidem intestinorum dolores; at pressa pede sequebatur singultus molestissimus; & cum virium insigni jactura, perpetuisque vigiliis, per tres inhærebat dies; adeo, ut mox per dimidiam, mox totam horam, miserrime discrucieret ægrum, sumto vero insula tepidiori per unum alterumque horæ quadrantem semper conquiesceret. Spernebat quoque cuncta, utut præstantissima remedia; tandem vero, dato, quod ex hordeo & cornu cervi compositum erat, decocto; clysterem ex decocto raparum & oleo amygdalarum dulcium ano infundi; & præcordia cum abdomine, linimento spirituosum, ex aqua Anhaltina, theriaca, castoreo, croco, camphora, oleo nucis, balsamoque Peruviano confecto inungi, atque ligaturis constringi jussi; eo effectu, ut intra quinque dies æger convalesceret.

Singultus, ex cohibita per opium diarrhæa.

Epicrisis.

I) Discimus ex hoc casu, diarrhoeas non solum a colluvie acris, pituituosa, biliosaque, tunicas intestinorum vellicante suboriri posse: verum eandem non raro cohibita transpirationi debere: ubi conversus humorum, maxime ferro.

ferosorum motus, ad intestina potissimum vergit; id quod in nostro casu horripilationes totius corporis præcedentes sufficienter evincunt.

2) Male igitur egit Medicus, quod hanc criticam veluti, & salutarem evacuationem dato protinus opiato remedio conspexerit. Inde enim vix aliter fieri potuit, quin materia acris ac vitiosa per metastasin ad alias nervosas partes, maxime septi transversæ transferatur, ibidemque singultientes motus exciter; qui pertinaces, haud exiguum periculum, æqualem sanguinis circulum per partes male affectas impediendo, post se trahunt.

3) Itaque non aliæ sunt indicationes, quam ut primum alvus ad pristinas secessiones invitetur, deinceps liberior perspiratio restituatur, & denique motus convulsivi diaphragmatis compescantur. Priori scopo satisfecimus clysteribus, qui pure demulcentes & oleosi, minime vero salini esse debent, ne villos intestinorum nimis vellicent: alterum explevimus per decoctum tepidius, quo hausto æger sudavit egregie; & tertium obtinuimus illito præcordiis unguento nervino, & adplicatis subinde ligaturis; quas in hisce casibus veteres quoque insigniter collaudant.

OBSERVATIO III.

Singul. Vir annorum quinquaginta, tempe-
aus. lev. ramenti, sanguineo-phlegmatici, obe-
ahalis sus, per longum tempus insigni mæro-
febri re confectus, & per anni fere dimidium,
ardenti nocturno inprimis tempore, magnam
superve- extremorum refrigerationem passus
niens. est. In hoc rerum statu aliquando sine causa manifesta, insolita virium prostratione, languore, ciborumque fastidio prehendebatur: & quum insuper conatu vomendi detineretur, dedit ipsi medicus sene emeticum. Quo sumpto septies vomuit; & protinus tanta corporis debilitate, perperuis vigiliis stipata, prehendebatur, ut lectum petere cogeretur, & quando erigere se

volebat, animi deliquium incideret. Nullo de calore conquerebatur; attamen magnum ardorem circa superius ventriculi orificium persentisciebat, extrema frigebant, & sitis erat inextinguibilis, & hæc ad septimum usque diem, veram febrem ardentem notantia, perdurabant: quo singultus vehementissimus accedebat, & per nycthemeron, paucis intervallis interruptus, inhærebat. Tandem præter omnem opinionem totius corporis convulsivi accedebant motus; hisque vix horæ quadrantem explentibus, frustra datis bezoardicis, confortantibus, & antispasmodicis, ex hac vita discedebat. Dissecto cadavere, totum hepar, cum quadam septi transversæ, ac ventriculi parte, nigro colore tinctum, corruptum, & sphacelofum adparebat: in venis & arteriis parum cruoris reperiebatur, lien vero sanguine crasso turgebat, & cor penitus erat corruptum.

Epicrisis.

1) Singultum in hoc casu ab inflammatione hepatis, stomachi & diaphragmatis subortum fuisse, extra omne positum est dubium. Testatur enim hoc dictarum partium sideratio post mortem reperta; quæ semper præcurrentem habet inflammationem. Neque enim febris ardens aliam agnovit causam, quam partium internarum inflammationem; cujus symptomata fuerunt sitis inextinguibilis, & insignis interiorum, extremis frigescentibus, ardor.

2) Docemur ex hac observatione, neutiquam securum esse debere medicum, quando ægri absque causa evidenti de virium prostratione, appetitus jactura, agrypnia, pulsuque debili conqueruntur: hæc enim symptomata plerumque notabilem visceris aliqujus corruptionem, & vehementem indicant malignitatem. Quæ cum in nostro ægrotante præsto fuisse videatur, non dubium est, quin datum emeticum

ad excitandam prorsus inflammatio-
nem, & sequentem febrem ardentem
permultum, contribuerit.

OBSERVATIO IV.

*Singul-
tus
chroni-
cus.* Vir quinque & sexaginta annorum,
temperamenti phlegmatico-melancho-
lici, obesioris habitus, nocturno tem-
pore corpus sæpius frigori exponens,
cibis crudis, fumo induratis, potuque
cerevisiæ frigido uti solitus, somno
longius, motui corporis vero parum
indulgens, ante aliquot annos singul-
tu per quatuordecim dies durante,
atque per acidulas Egranas remoto
laboravit. Abhinc de continuo in re-
gione lienis gravativo dolore conque-
stus, tres ante menses iterum incidit
singultum, primum continuum, ac-
cum vomitu, alviq; fluxu stipatum,
dein intermittentem, & post usum
clysterum, fontis Egrani calide hausti,
anodynorum, maximeque laudani o-
piati, & massæ pilularum de cynoglos-
sa, nec non venæsectionis, intra duo-
decim dies consopitum. Elapso octi-
duo rursus recruduit, itidem cum ali-
quali diarrhoea, & vomitu junctus: &
adhibitis antispasmodicis mox conquie-
vit: remanente quadam inquietudine.
Verum non ita multo post rediit: acce-
dentibus præcordiorum anxietate, do-
lore ischiadico, pulsu mox debili, mox
forti, & inæquali, urina sedimentum
mucosum, ex albo & rubro mixtum
deponente, suffocationibus cardialgi-
cis, atque ruffi aliquali. Ordinaverunt
medici acidulas Egranas, cum sale
Sedlicensi acuatas: elixiria stomachi-
ca, incidentia, resolventia, diluen-
tia, pilulasque Becheri: nihilo tamen
minus malum eo usque contumaciter
inhæret: & inde meum quoque con-
siliū desideratum est. Ego hoc ma-
lum ex ingenti ventriculi & intesti-
norum atonia, & depravata alimen-
torum digestionē, indeque flatuum
prodeunte copia originem traxisse ar-
bitratus sum: & hinc conjecti, non
adeo feliciter anodyna & opiata ad

delendum singultum fuisse administra-
ta: cum potius hæc remedia atoniam
augendo, malum exasperent: neque
etiam adeo opportunum de acidulis
bibendis fuit consilium. Ordinavi ita-
que ulum liquoris mei balsamici, vi-
tæ dicti, cujus unam cum tribus li-
quoris anodynī partibus miscui, &
exterius eodem abdomen inungendum
curavi: quo ægrum insigniter leva-
tum audiui.

Epicrisis.

In Venioribus, & qui sexaginta jam
annos transgressi sunt, eadem causæ,
quæ alias in ætate juvenili vel virili
formaliter sic dictum Hypochondria-
cum morbum pariunt, qui spasmorum
& distensionum vehementia hypochon-
dria, & in iis sitas partes infestat,
cum alvo strictiori, vim & robur ven-
triculi & intestinorum magis destru-
endo agunt, & harum partium atoniam
efficiendo, ob congestionem vitiosorum
humorum, flatibus, borborygmis,
ructibus, alvi nimia laxitate molestias
creant. Et ob has etiam causas singul-
tus senili ætati familiaris est. Nam uti
omnes convulsiones, ita etiam singul-
tus vel ex nimia spastica strictura, quam
Hippocrates inanitionem vocat, vel ex
nimia atonia sive humorum præterna-
turali congestionē & infarctu, quæ
repletionis nomine venit, oritur: ex
quo intelligitur, perperam convulsio-
num species, si in senes incidunt,
narcoticis, & opiatis tractari.

OBSERVATIO V.

Generosus vir triginta & aliquot *Singul-
annorum, macilentioris corporis & tus post
sensibilioris animi, patre natus poda- soppres-
grico & hæmorrhoidario, ante sex jam sam ter-
annos doloribus podagricis subinde ve- tianam.*
xatus, superiori ætate ex iracundiæ af-
fectu & refrigeratione incidit in tertia-
nam cum vomitu & insigni æstu jun-
ctam; & post quartam accessionem
transmisso pulvere, qui ex cortice tra-
xini

xini & chinæ concinnatus videbatur, paulo largius per vices tamen sumto, febris ex toto fuit sublata. Sex elapsis diebus admissio sub venatione, cui nimium indulget, frigore; consueto die & hora accessionem febrilem rursus habuit, sed sine siti, sine vomitu, sine singulari æstu, sed horripilatione præcedente, de anxietate & dolore gravativo & constrictorio præcordiorum, nausea, cum extremorum frigore & magna inquietudine conquerebatur. Intercurrebant crebri & molestissimi singultus; alvus per aliquot dies nihil reddebat. Post quartum insultum a me petiit consilium, prostrato valde animo. Ego horum malorum causam, sentinam vitiosorum humorum in duodeno stabulantem iudicans, maxime quia nec ante, nec post sumtum pulverem antifebrilem & cessantem febrem purgatus fuit, clysteribus & infuso mannato rhabarbarino, extrinsecus cataplasmate emolliente & carminativo, præcordiis applicato & spasmos sedare, & alvum aperire necessarium duxi, non omisis ballamicis & stomachicis. Quam methodo feliciter cura expedita fuit.

Epicrisis.

Notabile in hoc casu illud fuit phenomenon, quod loco formalis febris tertianæ, spasmi tantummodo sine subsequente æstu circa præcordia, singultu admodum molesto stipati orti fuerunt a materia febrili pulvere ejusmodi terreo adstringente quasi fixata, & firmiter duodeni & ventriculi tunicis impacta. Erratum in eo maxime fuit, quod silente febre post sumtum pulverem, per epicrasin purgatio, quæ tum summe est necessaria, fuerit omissa. Nam spasmis febrilibus per ejusmodi artificia sublati, si non accommodata evacuantia, ad fomitem febris, qui tantummodo cicuratus fuit, foras ejiciendum offerantur, necesse est, ut si non redeat ipsa febris, aliæ perquam molestæ afflictiones inde se-

quantur. Quam observationem juniores præctici commendatam sibi habere debent.

OBSERVATIO VI.

Vir quadraginta annorum melan-^{Singultus in hemi-urico lethargio.} cholico-cholericæ complexionis, ad animi motus inordinatos valde proclivis, post vehementiorem iracundiam, frigidum assumpsit haustum, & extrinsecus quoque corpus nimium refrigeravit. Incidebat in tertianam continuam, quæ demum in hemitritæam desinebat; accedebat septimo die singultus, sed lenioris gradus. Vires valde erant prostratæ, adeo, ut etiam animi quædam defectio subreperet, præsertim si erecta erat statura. Pulsus erat debilis & frequens, omnibus remediis & a me & ab alio medico, quem antea consulebat, frustra adhibitis, die decimo quarto obiit.

Epicrisis.

Singultum febribus biliosis tam acutis, quam intermittentibus non raro supervenire, haud novum in arte nostra est observatum. Sed hoc forsitan non omnibus æque notum, ejusmodi singultuosas affectiones leniter & non sine magna concussione corporis succedentes admodum periculosas esse. Sphaceli enim circa stomachum & diaphragma præsentiam jam subindicant, qui etiam post sectionem in oculos incurrit. Ita etiam multoties observavi, senibus ex passione cardialgica, vel colica, aut marasmo, decumbentibus, singultum demum accedentem certum mortis esse prænuntium.

CAPUT V.

DE

MORBIS OESOPHAGI ET PHARYNGIS SPASMODICIS.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Diffinitio spasmodicorum œsophagi.

Rrior equidem in libris medicorum mentio de affectu, quem spasmodum œsophagi dicimus, injicitur: at ille admodum frequens est, & non modo graviorum agnitudinum symptoma, verum etiam principalem, & ut vocant idiopathicum constituit morbum, ut ipsi merito peculiaris debeat animadversio. Definimus vero illum, quod sit invita ac præternaturalis, vel ipsius cibalis fistulæ, quam Græci *δυσφαγία*, nos gulam adpellamus, vel illius principii, pharyngis nomine denotati, vel denique utriusque, & hinc totius œsophagi, late sumti, constrictio, aut rigida distentio a mucō irritante plerumque proficiens.

§. II.

Differentia spasmodicorum œsophagi.

Hinc mox adparet horum spasmodorum differentia. Quemadmodum enim totus œsophagus ab anatomicis in principium, seu pharyngem, & reliquum canalem dispescitur: ita, consulta experientia deprehendimus, illius spasmodi ratione loci diversum esse, & mox pharyngem solum, mox reliquam ac inferiorem gulam obsidere. Quibus tertia species accedit, qua totus ille canalis, una cum principio, ac reliquis vicinis partibus, gravi laborat distensione.

§. III.

Signa spasmodicorum œsophagi communia.

Omnes œsophagi spasmi, quacunque in regione contingant, hæc & inter se, & cum reliquis partium superiorum distensionibus, communia habent signa. Præsto sunt extremorum, maxime pedum refrigerationes; exter-

norum artuum tremores, ac rigores: alvinæ excretionis suppressiones: statum ad superiora regurgitationes: imi ventris stricturæ, dolores, murmura: præcordiorum angustia, vomendi conatus, cardialgia, urinæ tenues, aquosæ, pallidæ: pulsus duri ac magni &c.

§. IV.

Speciatim vero pharyngis solius spasmi hisce se prædunt notis. Deglutitio fit difficilis, dolore stipata, aut plane nulla, & nec solida, nec fluida transmittens: partium pharyngis coherentium, linguæ, laryngis, atque totius colli rigida constrictio, impeditus motus, ac dolor urgent; vexat suffocativa molestia, ac sensatio palii fascibus infixi, ac si quicquam inde vellet proserpere: vox perit: & hæc omnia sæpenumero per intervalla adfigunt, nec raro in universi generis nervosi convulsiones terminantur.

§. V.

Spasmodorum gulæ inferioris signa propria hæc sunt: Alimentorum libere deglutitorum quædam veluti subsistentia percipitur in ipso gulæ tubo, maxime circa superioris ventriculi orificium præsertim potibus frigidis obex quasi in iisdem regionibus videtur positus, majorque insequi observatur eorum haustum constrictio: calidi vero potus sæpenumero absque ullo impedimento canalem illum pervadere, & ventriculum ingredi percipiuntur. Dolor sentitur in spina dorsi inter scapulas: jungitur non raro anxius vomendi conatus mox inanis, mox cum ipso vomitu stipatus: nec infrequens est nausea, ac ructuum molesta explosio: & denique sæpissime muci limpidi per os contingit rejectio, ab ipsa vomitione penitus distinguenda. Quæ symptomata, si cum iis, quæ priori periodo recensuimus, concurrant, totum œsophagi canalem spasmo contractum esse testantur.

§. VI.

§. VI.

Differe-
rentia
spasmi
pharyn-
gis ab
ejus
atonia.

Quum vero hi affectus, cum aliis œsophagi morbis, ob similitudinem symptomatum facile confundi possint; explicanda erit illorum differentia. Primum quidem spasmi pharyngis ab ejus atonia & paralyti sunt distinguendi. Namque in dicta atonia, deglutienti perpetua vexat difficultas, ita tamen, ut solida liberius deglutiantur, quam fluida: conf. FORESTUS *Lib. XV. observ. XXX. Schol.* hæc enim sæpius in asperam delabuntur arteriam, & per os ac nares, summo cum suffocationis metu regurgitant. In perfecta paralyti, qualem TULPIUS *Lib. I. cap. 44.* allegat, omnis deglutitio aboletur, ut ægri fame perire debeant; simulque faciei pallor, & partium vicinarum magna mollities, ac flacciditas præsto sunt. Contra vero sub spasmo pharyngis, æqualis & fluida & solida deglutendi est difficultas, quæ per intervalla remittit; vasorum faciei conspicitur intumescencia, vultus rubor, partiumque affectarum rigor, sæpius dolor sentitur.

§. VII.

2) a fau-
cium in-
flamma-
tione.

3) a fru-
sto aut
tumore
pharyn-
gi in-
hæren-
te.

Facilius pharyngis spasmus discernitur ab ejus & faucium inflammatione sub angina; ubi fauces internæ tument, rubent, ardore peracuto uruntur, sitis est insignior, & gravis plerumque jungitur febris. Non minus medico imponere valet tumor, excrecentia, aut frustum quoddam pharyngi inhærens, aut laryngis præternaturale vitium, ut pregnatum inde deglutitionis impedimentum spasmo tribuat: videas FORESTUM *Lib. XV. observ. 28.* Hoc in casu candela cerea faucibus intrusa, aut instrumentum ab HILDANO *Cent. I. observ. 36.* depictum, haud raro rem manifestabit: & præterea in spasmo pharyngis cuncta signa, collectim sumpta, certitudinem parient.

§. VIII.

Differe-
rentia
spasmi
gulæ

Præterea spasmi etiam gulæ inferioris conveniunt cum aliis ejusdem affectionibus, & subsistentiam ciborum cum his commune habent symptoma.

Tales sunt obstructio gulæ a frusto cibi solidioris ipsi impacto. Vid. CON-SULT. MED. *Sect. II. cas. 63.* & FORESTUS *Lib. XV. observ. 28.* dein jusdem tumores, excrecentiæ, fundi, ver-rucæ in canale œsophagi suborientes; conf. A.N.C. *dec. I. anno 4. observ. 47. decur. 2. anno 8. observ. 96.* non minus glandulæ dorsales circa quintam dorsæ vertebra œsophago adnatæ, in præternaturalem dolorem elevatæ; quem admodum VERHAYEN *anatom. cap. X. de œsophago*, & HEISTERUS *compend. anatom. pag. 184.* adnotarunt. Hæc in casibus subsistunt equidem solidiores cibi, & remonentur; potulenta vero & calida & frigida plus minus libero gaudent transitu. Verum, si subsit spasmodica constrictio, notabile est, quod liberior sit fluidorum descensus, frigidorum difficilior; dolor est in scapulæ; & alia concurrunt signa, ab obturatione œsophagi per quamcunque rem præter naturalem facta, utique aliena.

§. IX.

Quo vero causæ & ratio mechanica horum symptomatum adpareant, non alienum erit, fabricam œsophagi paucis perstringere. Ab ultimis nimirum faucibus incipientis canalæ, quem œsophagum adpellant, latius & amplius in suo principio sortitur cavum, quod græcis pharynx, latinis infundibulum audit, & antrorsum linguæ radici, ossi hyoidi, laryngique, retrorsum colli vertebra arctissime connectitur. Moveretur variis musculis & dilatatoribus, qui elevant, dilatantque pharyngem, & constrictoribus, qui eundem claudunt. Horum unum revera par existit, quod tribus originibus ab osse hyoide, cartilagine cricoide, & thyroide exortum, pharyngem circum circa amplectitur, & œsophagei, vel sphincteris gulæ nomine venit. Illorum tria potissimum sunt paria, primum cephalo-pharyngæum, quod ab infima occipitis parte, & prima colli vertebra ortum, recta via in tunicas laryngis expanditur; alterum spharno-pha-

pharyngæum, quod a processibus ossis sphænoidei alaribus in latera pharyngis abit, & tertium stylo-pharyngæum, quod ab apophysi ossium temporalium styliformi, lateribus pharyngis inferitur.

§. X.

Fabrica
gulæ in-
terioris.

Finito pharynge, incipit canalis, inter asperam arteriam, & colli dorsique vertebra primam recto, circa quintam dorsi vertebra dextrorsum, & circa nonam lævorsum flexo itinere; atque per medium thoracem, & musculofam septi transversæ partem progressus, e regione undecimæ thoracis vertebra, cum orificio ventriculi superiori unitur. Ipse tubus ex quatuor constituitur tunicis: extima membranacea, tenuis, vasculosa, atque cellulosa pleuræ suos debet natales, gulamque vicinis partibus adnæsit. Altera carnea sive musculosa, fibris orbicularibus vel annularibus, hisque super longitudinalibus prædita: tertia nervea, ori, faucibusque communis, ac intra ipsum ventriculum, ad trium digitorum spatium extensa, glandulis ipisse obita, ad quas averfa parte vasa quædam tendunt, ex quibus accipiunt liquorem, saliva pinguiorem, in gulæ cavum stillantem. Quarta denique ac intima, lubrica mucagine obducta, villosa, ac multis emissariis undique cribri instar perforata est. Præterea cibalis hæc fistula innumeras sortitur glandulas, partim illas, quæ bombycum ovium longe minores, nerveam tunicam obident; facile conspiciendæ, si nervea tunica divulsa, carnea luci opponatur, vel gula in aqua maceretur; partim alias extra tubum positas; e quibus notari merentur dorsales, circa quintam dorsi vertebra gulæ adherentes, & thyroideæ, inter cartilagineas thyro-cricoidæam, atque œsophagum sita. Conf. VERCELLONII *differt. de glandulis conglomeratis œsophagi*. Neque vasis destitutus est hic canalis: arteriosa enim superius ab internis carotidibus, media parte ab aorta & intercostalibus, inferius a gastricis acci-

pit; venas superiori parte a jugularibus, media a ramo sine pari, & inferna a coronariis ventriculi mutuatur; nervosa denique a pari vago adipiscitur.

§. XI.

Pharyngis functio est deglutitio: cuius hæc est mechanica. Dum dorsum linguæ ope musculorum myloglossorum, stylo glossorum, & stylo-hyoideorum ad palatum adplicatur: radix linguæ, os hyoides, ac larynx musculis huic actioni servientibus antrorsum premuntur: pharynx vero posterius a constrictis cephalo-pharyngæis elevatur, antèrius a stylo, & sphæno-pharyngæis dilatatur. His harum partium actionibus, ante membranas, colli vertebra & pharyngem cingentes, sub velo palatino, uvula, tonsillisque, & supra laryngem, atque pharyngem, amplius redditur spatium, majusque cavum: tum vero deglutienda, dorso linguæ imposita, inter eam, & palati fornicem premuntur: & sic pressa, supra laryngis rimam, operculo cartilagineo seu epiglottide clausam, veluti per subjectum pontem, in cavum illud faucium propelluntur. Tunc actio antagonistarum excipit: namque hætenus elevata, antrorsumque compressa lingua, larynx, os ypsiloides pristina restituantur figura: laryngis maxime cartilagineæ explicatæ ad pharyngem premunt, hacque actione deglutienda, in cavo hærentia ulterius pellunt: quæ laxatis simul pharyngis dilatatoribus, constrictoque œsophago magis protruduntur, & sic constricto rursus pharynge, sub hoc in cavo gulæ hærent.

Functio
pharyn-
gis.

§. XII.

Tum excipit actio fistulæ cibalis; quæ hæc per motum peristalticum, vi tunice musculosæ ipsi proprium, & a parte superiori deorsum naturaliter tendentem, assumpta jam deglutita, & sub pharyngis sphinctere hærentia, ad ipsum perducit ventriculum. Namque dum hæc tunica & dilatatione & constrictione alternante, illa vi fibrarum longitudinalium, hæc annularium

Functio
gulæ in-
terioris.

peracta; œsophagum mox coarctat, mox dilatat; accedente hujus in hominibus perpendiculari situ, sensim deorsum premuntur quæcunque assumpta. Descensus hic facilius redditur, rore glandularum, assidue in gulam stillante, eamque lubricante; nec non ciborum resolutionem adjuvante. Protrusus ergo hac ratione ad cavum ventriculi alimentis, caro musculi inferioris diaphragmatis, gulam ibi transeuntem stringens, hac parte stomachum claudit.

§. XIII.

Ratio
forma-
lis spaf-
mi pha-
ryngis,
ejusque
sympto-
matum.

His præmissis facillimum jam erit naturam ac formalem rationem spasmodorum œsophagi introspicere. Si pharyngem primum consideremus; mox patet ex ante dicta deglutitionis fabrica, quod ejus musculis contractis, ea fieri vix possit; quoniam læso organo, ipse actus læditur. Dum porro musculi dilatatores, qui posteriorem potissimum infundibuli regionem occupant, præternaturaliter convelluntur, & anteriorum magis in conglobatam figuram trahuntur, resultat sensus infixi faucibus pali. Quando vero musculus œsophageus, una cum coherentibus laryngis, linguæ & ossis hyoidei musculis contrahitur; loquendi fit difficultas, & suffocatoria molestia. Quum vero omnium spasmodorum indoles sit, ut mox gravius, mox mitius infestent; patet etiam, cur spasmi pharyngis per intervalla exacerben-
tur.

§. XIV.

Spasmi
gulæ in-
ferioris,
ejusque
sympto-
matum
ratio.

Pari modo, quum spasmus gulæ inferioris, in tunica, quæ ipsam ambit, musculosa, ejusque fibrarum orbicularium æque ac longitudinalium stritura violenta ponimus; inde omnium, quæ ipsam comitantur, symptomatum rationem reddere poterimus. Dum enim in loco quodam vel pharyngi, vel ventriculo proprii, contractio obinet; omnino deglutita alimenta subsistunt in eo canale; eundemque aggravando, inverso motu peristaltico revomuntur. Si frigidus assumitur potus, mo-

re frigore solemn, spasmus exacerbat: & æque ut solida, in ulteriori descensu præpeditur: contra vero tepidiora potulenta, demulcendo fibras spasmō strictas, libero in ventriculum gaudent itinere. Porro œsophagus variis ligamentis, colli dorisque vertebriis connectitur; hinc illo contracto, dolor ad membranas dorsi vertebrias cingentes præpagetur, necesse est. Inde liquet ratio doloris, qui inter scapulas in nostro affectu sentitur: de quo FORESTUS Lib. 13. obs. 31. Schol. dicit: *Omnis œsophagi dolor in spinam dorsi incumbit, in quam gula quoque reclinat & adhærescit.*

§. XV.

Quæcunque causæ vel pharyngis musculis, vel tonicam œsophagi carnem vellicare ac stimulare valent, illæ horum spasmodorum mediatae dicuntur. Quemadmodum vero illæ causæ, vel immediate in eas, quæ sedem morbi constituunt, partes: vel in alias remotiores agunt, a quibus illæ per consensum afficiuntur: ita spasmi illi sunt vel idiopathici, vel symptomatici. Quod si igitur ex larynge primario convulso, ex ventriculo, ex intestinis, aliisque partibus, spasmus ad pharyngem, adque gulæ canalem defertur, audit ille symptomaticus.

§. XVI.

Ex causis itaque, spasmos œsophagi idiopathicos inducentibus, præcipuum locum sibi vendicant animi pathemata: inque primis gravis excaecescencia, maxime si paullo post largior potus frigidus assumatur. Inde convelli pharyngem, & hinc lædè deglutitionem, observatione quadam inferius comprobabimus. Ex eadem vero, præsertim inter pastum, gulam quoque inferiorem contrahi, atque deglutitum bolum in ea obhærescere, nec non vomitu sæpius reddi, quotidiana innotescit experientia.

§. XVII.

Peculiarem in ciendis gulæ, maxime inferioris distentionibus potentiam obinet fastidium: adeo, ut hoc absque

Differ-
entia spaf-
morum
œsophagi
in
idiopa-
thicum,
& sym-
ptomati-
cum.

Causæ
spasmo-
rum œso-
phagi
sunt
1) ani-
mi affe-
ctus.

2) Spas-
ticum
fasti-
dium.

disto œsophagi spasmo contingere ne-
triquam possit. Quod si enim hujus ef-
fectus attentiori animo consideremus;
docebit observatio, sub ea 1) menti
ideam rei alicujus ingrata suboriri; 2)
ejusque averfationem; 3.) hanc inse-
qui vel deglutitionis impedimentum,
4) Vel assumptorum in œsophago sub-
sistentiam, & stricturæ sensationem.
5) Deinde jungi nauseam. 6) Haud
raro accedere vomitum, & 7) ipsam
animi defectionem. Si ergo fastidium
definire, dicerem, quod sit adver-
sa rei cujusdam ingrata idea, cum
spasmo œsophagi, & ventriculi con-
juncta.

§. XVIII.

1) Im-
aginatio
fortior.

Ad pertinentes œsophagi spasmos,
cum insigni averfatione stipatos, sola
sæpius imaginatio disponere solet. No-
tabilis hinc est observatio, quæ in A.
N.C. centur. VII. observ. 61. pag. 125. le-
gitur, quod mulier quædam per omnia
sana, atque robusta, nec hysterica,
nec spasmodicis adstrictionibus obnoxia,
omnis quidem generis & esculenta, &
potulenta, absque ulla difficultate as-
sumere valuerit; simulac vero hostiam
capere vellet, non solum ab ea insigni-
ter abhorruerit, verum etiam, licet
summa vi intrusa ac deglutita fuerit,
eandem tamen in ventriculum non per-
tingentem, sed in gula persistentem
vomitu reddiderit. Nec dissimilis ca-
sus exstat in iisdem A.N.C. dec. III. an.
no I. observ. 79. de viro, qui ex nimio
Tabaci usu, deglutitionis ac descensus
ciborum illud incurrit impedimentum,
quod pro ratione imaginationis mox
fuit levius, mox gravius.

§. XIX.

4) Al-
sumta
caustica.

Eundem affectum progenerare va-
lent medicamina, ac assumta, acrida,
planeque venenosa; quæ vellicando eas
nervosas ac musculosas partes, earun-
dem stricturas inducunt. Sic HOECH-
STEDERUS mentionem facit adstri-
ctionis gulæ ex potu vini Malvatici, in
quo radix consolidæ majoris infusa fuit
obs. dec. III. Eo magis hoc contingit, si
assumta caustica fuerint, ut adeo non

Hoff. Syst. Tom. VI.

mirum sit, quod juxta FORESTUM
Lib. XV. obs. 30. puer quidam ex aquæ
fortis haultu, insignem pharyngis oc-
clusionem, cum ipso suffocationis me-
tu inciderit. Præsertim mercurius su-
blimatus ejus est indolis, ut gravi fau-
cium constrictione, sui assumptionem
prodat; vid. FORESTUS loc. cit. pag.
150. Vellicando quoque gulæ inferioris
spasmodum excitant insecta deglutita: id
quod adfirmant de sanguifugis cum
potu assumtis RHASES Lib. 9. ad Al-
manz. cap. 56. & RHODIUS obs. cent.
2. observ. 72. de lacertis fauces irrepem-
tibus GESNERUS Lib. 2. de histor.
anim. C. de lacerta. de pediculis devo-
ratis HEURNIUS de morb. cap. 7. de
anguilla viva deglutita PLATERUS
lib. 2. obs. &c.

§. XX.

Præterea spasmus & pharyngis, &
gulæ inferioris prodici potest a cruore
vitali in iis partibus stagnante, vasa-
que distendente; quarum distentio-
num fidissimus comes est spasmus.
Tali ratione huic morbo obnoxii non
raro sunt hypochondriaci; in quibus vi
spasmodum ac flatulentiarum intestina-
lium, cruor vitalis ad superiora com-
pellitur, facileque stagnat in œsopha-
go. Cumprimis ex universali humo-
rum, maxime serosorum dyscrasia id
vitii contingere potest; si nimirum li-
quor ille lymphaticus, quem tot glan-
dulæ in gulam secernunt, fuerit visci-
dus, & acris: quo in casu multum mu-
ci visceri excreatur, cum mali levami-
ne. Quorsum pertinere videtur exem-
plum a WEPFERO observ. medic. pract.
obs. 117. pag. 531. recensitum, quod vi-
ro cuidam septuagenario, assumta in
media quasi persisterint gula, & cou-
que adfixerint, donec vomitu fuerint
reddita.

Humo-
rum vi-
cium
calum
viciu.

§. XXI.

Vi consensus, quem gula cum ven-
triculo, & intestinis fovet, ex horum
vitio, gulæ spasmus suboriri potest.
Sic ex faburra acrida, biliosa ventri-
culi & intestinorum, id mali facile gene-
ratur; uti de lacte in ventriculo concre-

Spas-
mus
ex o-
phagi
ex vitio
prima-
rum
viarum.

to testatur FORESTUS *Lib. XVIII. obs. 13.* Vermes in ventriculo, vel intestinis hospitantes, ad eundem affectum contribuere, auctores sunt HERCULES SAXONIA *præl. pract. Part. II. ca. 7. §. 4.* & HENRICUS ab HEER *obs. 16.* & THONERUS *Lib. 2. obs. p. 94.* In ipsa ructuum explosione, atque vomitu concurrunt spasmus œsophagi: nisi enim hic sua actione, & peristalsi inversa, ejectionem humorum e ventriculo secundaret, fieri nulla ratione posset, ut tanta cum celeritate & impetu per superiora ingens sæpe humorum copia ex ventriculo, imo intestinis exturbaretur.

§. XXII.

Spasmus œsophagi generis spasmodicis ac convulsivis affectibus jungi observatur spasmus œsophagi. In suffocatione hysterica semper summa colli ac faucium coarctatio, & constrictionis quidam sensus non secus, ac si laqueo injecto fauces præcluderentur, percipi docet experientia. Vid. ETTMULLERUS *Oper. practica. P. II. Sect. III. cap. III. pag. 963.* & HELMONTIUS *tract. de asthma & tussi §. 31.* Gulæ porro constrictionem viris colica convulsiva, Colique vocant, laborantibus evenire, non raro est; & notari meretur singularis casus, quem de colica gravem cephalalgiam ac maniam cum coecitate, & impedita deglutitione inducente refert HOEFERUS in *Hercule medic. pag. 185.* Non minus ipsæ epileptica ac convulsivæ accessiones hoc secum vehunt symptoma, ut vel difficillima, vel nulla plane soleat esse deglutitio: quemadmodum præsertim in incubo observare licet, ubi præter strangulationis sensum, linguæ impotentia & deglutitionis impedimentum adsunt. Idem vitium opisthotono familiare est; quemadmodum ex casibus de his morbis a FORESTO *Lib. X. obs. 112.* & 113. recensitis liquet. Nec denique omittendi sunt morbi acuti, præsertim febres malignæ; quibus non modo deglutiendi difficultas, verum

etiam gulæ inferioris constrictio jungi solet.

§. XXIII.

Paucis adhuc meminisse juvat nauseæ, quæ nihil aliud est, quam convulsio œsophagi levior, cum inverso ejus motu peristaltico, & hinc pendente vomituritione, quin vomitu, aut saltem lymphæ plus minus viscidæ ex gulæ glandulis rejectione sæpius stipata. Pro causa occasionali agnoscit omne id, quod vel ipsum œsophagum, vel tunicam ipsius nerveam, in ventriculum prolongatam ibidem vellicare potest; ex quo hæc constrictio per consensum ad gulam propagatur. Deprehendimus generatim 1) nauseam plerumque nunciam esse infrequentis vomitus, 2) omnem vomendi conatum, ac cardialgiam comitari, 3) absque iis cum frequenti mucilimpidi, qui nihil nisi lymphæ ros ex œsophagi glandulis vi spasmorum expressus est, rejectione sæpius occurrere; & non raro vermium in primis viis hospitantium præsentiam indicare. 4) Plerumque alias ventriculi cruditates consequi; quæ cum jejuno ventriculo sint acrioris, tunc potissimum nauseam movent, sumto cibo delinendam. 5) Antecedere graviore capitis affectus, vertigines, apoplexias, animi deliquia, maxime si per consensum ex ventriculi orificio ortum trahunt: ubi quædam veluti aura ex stomacho ad caput adspirare videtur, tumque attoniti concidunt, sensuumque privantur exercitiis. 6) Ex eodem fundamento nausea sollicitat hypochondriacis, aliisque morbis, quorum fomes in primis officinis existit, laborantes. 7) denique in principio malignarum febrium accedere plerumque solet nausea.

§. XXIV.

Quod prognosin attinet, haud infuso per habendi sunt spasmi pharyngis idiopathici; quoniam, accedente præsertim mala medicatione, in contumacem degenerant habitum. Qui ab assumtis acrioribus proveniunt, periculo non

Nauseæ
nature

Prognosis
spasmodicorum
œsophagi

non vacant, metumque faciunt inflammationis: & qui hystericas sæpius invadunt, præfagiunt apoplexiam. In vulneribus, si ex convulsione accidat læsa deglutitio, malum, teste ETTMULLERO *Oper. præf. Par. 1. pag. 57.* Notabilis quoque est HIPPOCRATIS aphorismus, dum *aph. 35. Sect. 4.* Si febre, inquit, detento repente collum intorquetur, ut vix deglutire queat, nullo existente tumore lethale est. Spasmi gulæ inferioris, ex iracundia inter epulas provocati, viam cholerae, febribusque biliosis facile sternunt; & qui, universali humorum dyscrasia, nervosque generis debilitate nituntur, chronicum malum constituunt, cum insequente corporis tabe. Nausea in malignis sub initio accedens robur naturæ indicat: in peste vero maxime perniciofa existit, teste FORESTO *Lib. 18. observ. 14. Schol.*

CURATIO.

§. I.

Indica-
tiones
curato-
ria.

QUum spasmi œsophagi, sive in pharynge, sive in media gula obhærescant, neglectat temporis opportunitate, non modo in chronicum statum transeant, verum etiam denegata alimenta capiendi facultate, facile tabem post se trahere possint: digni omnino sunt, qui tempestive congruis adminiculis oppugnentur. Hæc vero ex binis potissimum fontibus defumuntur; quorum alter remedia spasmi sedantia, alter vero talia, quæ causas eo contribuentes removere possint, præbeat.

§. II.

Exter-
norum
us.

Prior finis obtinetur per antispasmodica, & anodyna, discutientibus nupta, tam interna, quam externa. Quo autem gravior est restrictio, eo consultius est ab externis curam ordiri: quoniam interna sine maxima difficultate vix deglutiri possunt. Ex iis quædam sunt, quæ adfluxum humorum ad inferiora derivando, & circulum san-

guinis æqualem reddendo, spasmi vim frangunt: quorsum pertinent clysteres ac pediluvia. Illi ex emollientibus, additis roborantibus parari, & bis terve iterari, hæc tepidiora, immixtis paullo profundius pedibus, adhiberi debent. Quæ autem localia ad ipsam affectam partem applicari possunt, sunt fere linimenta paregorica, simulque nervina: quæ parari possunt ex aqua Anhaltina, spiritu salis ammoniaci, Essentia croci, nucistæ, castoreo & camphora; balsamum quoque vitæ, idque, vigente morbi impetu, liquore anodyno minerali permixtum est quoque ægregium. Quod etiam, paucis guttis saccharo exceptum, & in ore detentum, aut lente deglutitum operæ faciet pretium: quo etiam sine theriaca aliquot granis sub lingua detenta, tumque rursus reddita, laudem meretur. Nec denique in relaxando spasmo destituitur fructu vesica bovina, decocto emolliente calido plena, & affectis locis admota.

§. III.

Ex internis antispasmodicis laude digna sunt olea amygdalarum dulcium, olivarum, cum spermate ceti remixta; pulveres antispasmodici, ex cinnabari, pulvere Marchionis, succino præparato, extracto croci & castorei parati; vel qui habent nitrum, & unum alterumque camphoræ granum; nec non liquor meus anodynus vel solus, vel cum essentia castorei, spiritu bezoardico Bussii, aut cornu cervi succinato remixtus, aut spiritus nitri dulcis, cum paucis guttulis olei chamæmeli veri, vel macis maritatus. Quibus in statu magis chronico cum fructu alternis circiter diebus interponuntur pilulæ antispasmodicæ, quas ex extractis millefolii, chamomillæ, hyperici, mithridatio, extracto croci, castorei, oleoque destillato macis vel menthæ parare soleo.

Internæ
antispas-
modicæ.

§. IV.

Sopitis paullulum spasmi, causis materialibus obviandum, circum-

Cura-
tio ma-

Q. A.

spas-

si ab as-
sumtis
venena-
tis or-
tis.

spiciat, quænam earum in culpa sint. Quod si enim assumpta acrida, venena, purgantia ac emetica drastica malum produxerint: in principio statim eorum vis obtundenda mucilaginosi, oleosi, ipsisque lacticiis: quare profunt ju-
scula valde pingua, aquæ tepidioris haustus ad nauseam continuatus, ut sub-
orto leni vomitu, venenum rursus ex-
pellatur. Interdum acida vim veneni castrant; quibus gulæ constrictionem, a sumto vino Malvatico cum conso-
lida cocto subortam curasse se perhi-
bet HOECHSTETTERUS *loco supra citato*: eandemque a potu aquæ for-
tis natam, mucilage cotoneorum fe-
liciter sanavit FORESTUS *loc. cit.*

§. V.

Spasmi
gulæ ab
ira inter-
pastum
curatio.

Quando vehementior exandescen-
tia inter ipsum pastum, gulæ spasmum
infert; bilis plerumque effusio in ven-
triculum simul contingit. Quo in casu
præter motuum sedationem, bilis con-
temperanda est, ne corrosivam ac vi-
rulentam acquirat indolem, tumque
blandis emeticis, vel cholagogis ex-
turbanda. Temperant vero bilem ab-
sorbentia, ac mucilaginosi, ut deco-
ctum avenæ vel hordei: eliminant
optime mannata, rhabarbarinis nu-
pta, vel per vomitum, eadem cum
uno alteroque tartari emetici grano
acuata, aut radix Ipecacuanhæ. Sed
cavendum, ne mox ab ira sumatur
purgans, aut emeticum.

§. VI.

Spasmi
gulæ ab
universali
sanguinis
dyscra-
sia, nati
sanatio.

Quod si vel totius humorum massæ
dyscraasia, vel maxime primarum via-
rum colluvies acris ac viscida, diutur-
niori gulæ spasmo viam straverit: ea-
rum impuratum & correctioni & eva-
cuationi, illi quidem per incidentia,
resolventia, digestiva, absorbentia,
huic per mannata, rhabarbarina, pi-
lulasque balsamicas peragendæ, omnis
opera navanda est. Quam autem valde
pertinax ac rebelle huic curationi sæ-
pius sit malum; non præstantius aquis
medicatis erit medicamen: quas inter
Sedilicenses aquæ per quatuor circiter
dies potæ, & his subjunctæ Egranæ ma-

ximam merentur laudem: Non mi-
nus in hypochondriacis, ubi simul san-
guineæ excretiones, per uterum, vel
hæmorrhoides sunt cohibitæ, præter
venæsectiones, motum corporis, &c.
thermæ Carolinæ decenter usurpatæ
omnem curandi paginam absolvunt.

§. VII.

Nausea, quæ ab acribus, acidis, Nausea
viscidis primarum viarum sordibus, curatio.
originem ducit, eandem, quam brevi
ante recensuimus, exigit curationem.
Egregiam præsertim utilitatem præstant
insula ex herbis & radicibus, resolen-
tibus, aromaticis, & evacuantibus pa-
rata vinosa. In nausea cum oris ama-
ritie stipata, commendat GABEL-
CHOVERUS *Cent. 1. cur. 14.* radicem
armoraciz cum vino Rhenano infusam,
& omni mane haustam. Si ab assumto
foetido, sordidoque cibo nausea cum
fastidio surrexerit; aut vomitum ciere
juvat, aut cortices citri vel aurantio-
rum masticare, vel vino generoso
uti. Quando inter grassantes febres
malignas, quidam citra manifestam
causam, nausea corripitur: tum
statim lene vomitorium, ex radicis
Ipecacuanhæ granis quindecim propi-
nare convenit: quo sæpius fit, ut ex-
turbato contagio, aut ipsa febris præ-
vertatur, aut saltem in suo decursu
reddatur mitior atque benignior.

§. VIII.

Curatio spasmodorum œsophagi chro-
nicorum, qui ex nervosi generis debi-
litate nituntur, ac crebro recurrunt,
magis dieteticis, ac alimentis, quam
pharmacis potentioribus absolvetur.
Seligenda scilicet pro potu ordinario
sunt decocta ex scorzonera, ci-
choreo ac cinnamomo parata; vitanda
cerevisia omnis; parce bibendum vi-
num generosum. Victus esse debet sa-
cillus, parvus; largior contra exercita-
tio corporis. Roborando ventriculo
inservient Elixiria balsamica, absque
spirituoso parata menstruo: sanguinis
bundantia, statim ejus missionibus im-
mune.

Cura
spasmo-
rum œ-
sophagi
chroni-
corum.

nuenda, & sordium in primis officinis generatio, blandis laxantibus præpediendi. Cum primis animi affectus, nutrices spasmodorum, omni studio fugiendi; & denique fontes Carolini, subjunctis balneis Tœplicesibus in usum vocandi.

Cautelæ, Præcticæ.

§. I.

Cautela circa pediluvia.

QUI in spasmodis œsophagi sopientis, ad detrahendum a superioribus humorum affluxum, pediluvio uti velit; videat, an pedes nimis sint frigidi: tum enim pediluvia ad tempus differre juvabit, atque pedes primum frictionibus, ac subpositis illis lagenis, aqua calida plenis probe fomentare. Quod etiam de venæsectionum usu tenendum est.

§. II.

Circa venæsectione.

Si faucium constrictioni, robur faciei, vasorum inflationes, & magnæ arteriarum capitis pulsationes junguntur; ob imminenti apoplexiæ metum vena est secanda. Ubi porro hysterica vel hypochondriaca symptomata, ac suffocationes veluti sunt præsto; itidem sanguis mittendus; sed neutiquam in brachio, siquidem paroxysmi inde exacerbantur; verum potius in pede.

§. III.

Circa topica in spasmodicis guttulis inferioribus.

Quando spasmus gulam magis inferiorem obsidet; linimenta ac externa reliqua non tam pectori ac præcordiis, quam potius spinæ dorsii sunt adplicanda: id quod præsertim JOHANNES LANGIUS *epist. medic. Par. 2. epistol. 43. pag. 178.* ex Aetio, Galeno, & experientia commonstrat. Namque cum œsophagi canalis, immediate cum spinâ dorsii connectitur, vis remediorum, huic illitorum, eo certius ad illum penetrabit.

§. IV.

Topica in suffocationibus hysteris.

In paroxysmis suffocativis hysteriarum, ubi semi mortuæ jacent, ad eas excitandas, insignioris usus sunt, præ-

ter clysteres, graveolentia, volatilia oleosa, castorina &c. naribus adplicata, aut plumæ perdicum, aliaque fœtida accensa: quippe quæ motus effrænes consopendi egregiam vim habent.

§. V.

Ad exasperandum, & magis confirmandum tam pharyngis, quam gulæ inferioris spasmus, nihil magis con-tribuit, quam vehementiorum purgantium usus. Præstat his semper blanda laxantia, mannata, rhabarbarina, balsamica, aut concurrentibus flatulentis, clysmata oleosa & carminativa subungere.

§. VI.

Quæ febribus acutis supervenit, faucium constrictio, præter conveniens regimen, medicinis antispasmodicis, & antepilepticis sublevanda erit: quo spectant pulvis Marchionis, nitrum cum camphora mixtum, tinctura bezoardica Michaelis cum mixtura simplici maritata &c. Opiata enim & crassiora adstringentia his in casibus veneni instar se habent.

§. VII.

Idem symptoma, si vermicibus, primas vias obsidentibus, easque vellicantibus jungitur, non cessabit, nisi his eliminatis. Tum vero cum purgantibus caute mercandum est: & si mercurialia exhibeantur, protinus super bibere juvat oleum amygdalarum dulcium, ne intestina ab illis nimium vellicentur.

§. VIII.

Quandocunque adstrictio œsophagi tanta fuerit, ut vel nihil alimentorum transmittat, & justo diutius inhærescat: tunc, ne contabescant ægri, ano infundere convenit clysteres lacteos ac nutrientes, de quibus videas LANGIUM *in epistol. medic. Lib. 1. epistol. 80. pag. 361.*

§. IX.

Ad convulsivos œsophagi motus cum primis pertinent pectoris clangoræ concussiones, quæ teneris infantibus inter epilepticas affectiones evenire, & vul-

Purgantium nota.

Cura spasmodi œsophagi in febribus acutis.

Cura eorum, a vermicibus inductorum.

Clysterum nutrientium usus.

Clausura gossæ concussiones infans.

volgo pro singultuosis commotionibus venditari solent. Re autem vera nihil sunt aliud, quam convulsivæ œsophagi, & vicinarum partium concussiones; & plerumque tristes sunt nuntii, cum morbo ad extrema ventum esse. Medico tunc nihil superest, quam ut blandis antepilepticis, anodynis, & analeptis pugnet, instantemque mortem pronunciet.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

Spas-
mus co-
stus œso-
phagi.

Verbi quidam divini minister, ab obitu uxoris tristissimus semper olim hypochondriacis spasmodicisque motibus, caput potissimum in consensum trahentibus obnoxius, tanta subito pectoris, gulæ, laryngisque constrictione prehendebatur, ut nec vocem edere, nec spiritum trahere, nec deglutire quicquam valeret, insuperque velut attonitus prosterneretur. Ab hac vero accessione media nocte invadente, per sponte sequutos copiosissimos sudores, prorsus liberatus; eandem tamen sequenti mane post assumptum calidissimum Theebois potum rursus incidit: & quanquam variorum externorum usu, adminiculorum ad rationis integritatem mox rediret, retinuit tamen & loquendi impotentiā, & deglutienti, spirandi; summam difficultatem. Adplicatis venæsectione, frictionibus, spiritibus nervinis, theriaca sub linguam posita, masticantibus, interneque, quantum fieri poterat, datis anodynis, tenacissimus, ac copiosissimus mucus non ore solum reddebatur, verum etiam non quidem vomitu, sed anxio tantum vomendi conatu, eructabatur. Laxatis hinc per septem horas constrictis linguæ vinculis, sermonis quædam rediit facultas: ipsaque pharyngis rigida detentio aliquantulum soluta fuit, ut liberius deglutire valeret: spasmus tamen gulæ inferioris, & pectoris angustia adhuc urgebat, adeo, ut deglutita

in ipso œsophago stagnare, nec ad ventriculi cavum pertingere posse viderentur. Nec vero ullæ medicinae, nec antispasmodici pulveres, nec anodynus liquor, nec pediluvia, nec spermaceti in oleo amygdalarum dulcium solutum, nec alia quicquam opis adferre valebant. At enim vero, cum camphoræ duo scrupuli, in oleo olivarum soluti, ex errore uno haustu asumerentur, sonica quidem insequiebantur symptomata: æger vero ab omni constrictione fructum, brevique post a toto morbo liberatus fuit.

Epicrisis.

Ferax est hic casus utilissimis observationibus; quarum has notabimus.

1) Morbus hic generatim apoplexiæ levioris nomen meretur: quæ pro causa nullam nec sanguinis nec feri extravasationem agnoscit, sed sola spasmodica ac rigida detentione, nervosarum in cerebro, & circa nervorum principium sitarum, nec non vicinarum oris, linguæ, faucium, laryngis, œsophagi, totiusque sæpè numero pectoris partium absolvitur. Hæc vero debetur humorum crassorum, plus minus viscidorum ad dictas partes congestionem & stagnationem: quare relaxato spasmus, mucus viscidus expuitur, ac e gula eructatur. Atque talis apoplexiæ species, hypochondriacis admodum familiaris est; & hinc hypochondriaco-spasmodica appellari meretur.

2) Constricta in hoc affectu fuisse pharyngem, musculos linguæ, ossis hyoidis, ac laryngis, vel loquendi impotentia, spirandi ac deglutendi difficultas indicant. Constrictio autem canalis gulæ inferioris, & ipsius superioris orificii ventriculi, ex assumptorum libere deglutitorum in medio œsophago subsistentia patet.

3) Obortis sudoribus, remittunt spasmodicæ constrictiones, a particulari humorum congestionem factæ. Sub illis enim æqualis succorum per totum corpus redditur circuitus; qui

ſopitis nondum ſpasmis, fieri nequit.

4) Sumto potu calidiſſimo rediit pa-
roxysmus. Quemadmodum enim ma-
gnum frigus nervos vehementer af-
ficit, & ad ſpasmus proritat; ita et-
iam nimius calor, vellicando nervoſas
œſophagi ac faucium tunicas, ad ead-
dem diſponit moleſtias.

5) Adhibita remedia non contem-
nendi ſunt uſus: præſertim autem cam-
phoræ tam inuſitata doſi uſurpatæ ef-
fectus eſt peculiaris. Illius virtutem
antiſpasmoticam, tutam, & ab omni
commotione, uti vulgo creditur, vacuam,
peculiari diſſertatione de uſu
camphoræ interno jam demonſtravi;
& aſſeverare certa fide poſſum, quod
id remedii genus granis circiter duobus
cum nitro permixtum in diſcutiendis
humorum ſtagnationibus, ad ſuperficiem
pellendis ſudoribus, & exanthe-
matibus, atque relaxandis interna-
rum partium conſtrictionibus divinæ
fere ſit virtutis.

OBSERVATIO II.

Spasmus
Pharyn-
gis.

Vir quidem admodum bilioſæ conſti-
tutionis, ex nimia iracundia, & per-
peram inſuper datis medicinis, poſt
prævias quaſdam adſtictiones, in gra-
vem demum incidit pharyngis conſtri-
ctionem, & præſertim diarrhœam hiſce
poſſiſſimum notis manifeſtam. Per
intervalla acceſſit magna deglutitionis
difficultas, & moleſta pali faucibus in-
fixi ſenſatio, qua ſimul percepit, ac ſi
quid ex ore foret ejiciendum, ac veluti
proſerpere vellet, ut etiam medicus
cum ægotante putaverit, vermem ibi
reſidere & ſuum affectare exitum, at-
que ideo multa anthelmintica, & ſuc-
cum citri ordinaverit, quem æger in-
ſigni quantitate devoravit. In acceſ-
ſione partes extremæ, ſub æſtate etiam
calidiſſima, valde frigefcebant, & quan-
doque contremiſcebant: malum ab ad-
miſſo frigore ſemper ingravavebat; al-
vus erat ſicca & obſtruſta, abdomen
ſtatibus diſtentum, appetitus & ſomnus
valde exiguus, pulſus durus, urina

limpida, inſignis ad iram propenſio;
horumque omnium ab aſſumpto quo-
dam purgante ſumma exacerbatio.
Conſultus ego, morbum hunc, jam
ultra tres meſes durantem oppugna-
turus, ordinavi pro potu decoctum
temperatum, & in illo nonnunquam
cochlear unum olei amygdalarum dul-
cium forberi juſſi. Tum pilulas præ-
ſcripti antiſpasmoticas, quas §. III.
ſuperius recenſui, eaſque quotidie ſum-
endas ſuaſi: præbui etiam mixturam
ex liquore anodyno, oleo chamæmeli
vero, abſynthii, & de cedro, bis quo-
tidie capiendam; nec non pediluvia,
& externam faucium & œſophagi cum
balfamo meo vitæ inunctionem com-
mendavi: quibus factum eſt, ut in-
tra paucas hebdomades æger conva-
leſceret.

Epicriſis.

1) Spasmus pharyngis, quem & de-
glutitionis impedimentum, & pali
faucibus infixi ſenſatio produnt, in no-
ſtro caſu debetur vehementi exande-
ſcentiæ, & perversæ medicationi: ſi-
quidem purgantibus vehementioribus,
ac ſpirituoliſ tractatum fuiſſe ab initio
morbum percepi. Jam vero notiſſi-
mum eſt, & iracundiam, & purgan-
tia per ſpasmoticas canalis magni ali-
mentaris, qui œſophago, ventriculo,
ac inteſtinis abſolvitur, conſtrictiones
ſuum edere effectum: qui in præſenti
caſu circa pharyngem præcipue ſeſe ex-
ſeruit.

2) Hunc medicus, vermem, quem
ſubefſe putabat, occiſurus, cum mul-
tis irritantibus, anthelminticis, ac
acidis, magis auget, ac confirma-
ret; anſam quoque præbuit, ut per
totum corpus propagaretur, & extre-
morum frigus, alvi adſtictionem,
urinæ limpida miſtionem, pulſumque
durum poſſe ſe traheret. Teſtatur quo-
que hic affectus ſpasmoticam ſuam in-
dolem, 1) eo, quod per intervalla
redierit, & 2) ſub illo animus valde
ſenſibilis, & ad iracundiam faciliſſimus
ſuc-

fuerit redditus : quæ duo momenta (spasmodicis morbis semper fere sunt propria .

3) Meretur hic pharyngis spasmus vocari idiopathicus ; quem semper in constrictione musculorum dilatatorum pharyngis , quæ sensum globi in faucibus producit , collocandum esse putamus . Tum enim vicinæ partes , lingua , os hyoides , & larynx spasmi vacuitate plerumque gaudent ; quare in ejusmodi casu , nec linguae impotentia , nec suffocationis ac laryngis constrictionis notæ adsunt . Contra vero symptomaticum vocamus , qui has vicinas partes , & in pharynge œsophageum saltem musculum tenet contrictum ; unde quidem deglutitio æque ac in idiopathico difficilis est , at nulla palisensatio , quoniam dilatatores a constrictione liberi sunt . Quamobrem si hunc casum cum præcedente conferamus , in hoc idiopathico , in illo symptomatico pharyngis spasmum offendemus .

4) Curatio solis antispasmodicis , & stagnantes in pharynge humores discutientibus , ac derivantibus , adornanda est . Prioris generis remedia fuisse pilulæ , & mixtura andyno-roborans ; alterius balsamum vitæ extrinsecus illitum ; & tertii pediluvia : quorum ope in hisce casibus , ubi magis vitium motuum , quam humorum peccat , tantum non semper votis potiri licet .

OBSERVATIO III.

Spasmus Vir quinque ultra sexaginta annos
gulæ in- natus , strictioris habitus , & vasis ca-
terioris, pacioribus instructus , ex hæmorrhoi-
& ven- dum suppressione , aut ad minimum
triculi . irregulari fluxu , variis hypochondri-
cis molestiis , per aliquot annos solici-
tatus , ventriculi post assumptionem
parcissimi etiam cibi inflationem , alvi
obstructionem , quandoque proflu-
vium , adpetentiam fere caninam ,
dorsique cruciatum toleravit . His de-
mum omnibus , ea supervenit afflictio ,
ut libera quidem deglutitione cibos po-

tumque devoraverit : cum autem ven-
triculum vellent ingredi , in œsopha-
go quasi vinculi contrictio hære , nec
ulterius progredi posse viderentur : ea
tamen differentia , ut calidi potus li-
bero gauderent transitu , frigidi autem
malum exasperarent , & fere regurgi-
tarent ; quibus denique sæpenumero
muci vomibunda accedebat rejectio .
Ego cum ex impedito sanguinis per vi-
cera imi ventris circulo , & hinc facta
ejus in canale intestinorum stagnatio-
ne , horum , ventriculi , & œsophagi
spasmum derivandum esse putarem ,
ordinavi ad sanguinis progressum æqua-
lem reddendum , infusum theiforme
ex herbis salviæ , veronicæ , summi-
tatibus millefolii , floribus chamomil-
læ , semine fœniculi , & aniso stella-
to confectum , maneque bibendum .
Præbui pilulas meas ballamicas , quo-
vis tertio die capiendas ; atque pulve-
rem , qui habebat radicem ari , pim-
pinellæ , corticem cascarillæ , cinnamo-
mi , succinum præparatum , sal tartari ,
nitrum depuratum , & oleum de
cedro , circa prandendi tempus sumen-
dum dedi , non minus liquorem ano-
dynam , essentia castorei nuptum per
vices propinavi : flatulentias clysteri-
bus oppugnavi , rectum vivendi genus ,
& pro potu decoctum temperatum
commendavi . Et denique ad promo-
vendas hæmorrhoides venæsectionem ,
ac hirudinum adplicationem suasi , eo
effectu , ut redeunte ab his hæmorrhoi-
dum fluore , sensim cum morbo in gra-
tiam rediret ægrotans .

Epicrisis.

Quicunque symptomata in hoc mor-
bo præsentia , cum signis , quæ supra
§. V. spasmis gulæ inferioris propria
diximus , rite contulerit , facile depre-
hender , pharynge a spasmis libero ,
inferiorem gulam iis agitatam ; quin
constrictionem eam per totum ventri-
culum ac intestinorum canalem fuisse
propagatam . Horum vero omnium
prima origo debetur inordinato hæ-
mor-

morrhoidum fluiori: quo sanguinis perimi ventris viscera, maxime intestina circuitus impeditus fuit. Unde exceperunt spasmodici motus; hisque legitima chyli depuratio, & humorum excrementitiorum eliminatio perturbata est: hinc accumulata in ventriculo cruditates acida, biliosaque, vellicarunt præsertim tunicam illam nerveam, quæ ab œsophago, per trium digitorum spatium in ventriculi cavum protenditur: ex qua spasmus ad gulam usque propagatus constrictivum ibidem sensum procreavit; quo assumti cibi in ipso subsistere coguntur, & coacervati per os rursus expelluntur.

Tali igitur in casu sola antispasmodica ac anodyna mali causam non tollunt; licet ad mitigandos motus spasmodicos multum inserviant. Sed in tali subiecto, quod fluxum hæmorrhoidalem dispositum antea, & huic adfuetum fuit, huic revocando, omnis impendenda est opera. Cui quidem scopo, & hirudines, & venæsectiones, & pilulæ balsamicæ adprimæ satisfecerunt. Præterea in eundem finem, licet remotius, & proxime magis ad resolvendas & incidendas ventriculi cruditates, & æqualem humorum circulum restituendum, collinearunt reliqua medicamina.

OBSERVATIO IV.

Con-
tinnu-
macissi-
mus gu-
la infe-
rioris
spas-
mus.

Fœmina, triginta annorum, pallido vultu, ac strictiori corporis habitu prædita, & chlorosi obnoxia, ante tres annos primum gravida, de capitis doloribus, præcordiorum angustis, & pedum tumoribus conquesta fuit: quorum symptomatum priora duplici venæsectione, hoc sola pedum ligatura debellavit. Deinceps altera vice gravida, iisdem adflicta molestiis, iisdemque liberata remediis, feliciter superavit partum, lochiisque rite succedentibus, per decem abhinc septimanas, ab omni morbo vixit immunis. His elapsis accessere œsophagi distentiones, quibus primum

semel bisve dumtaxat quavis hebdomade, & quidem post deglutitum ultimum bolum alimenta in gula hæere videbantur, & multo demum potu ad ventriculum deprimi debebant. Sed aucta paulatim est hæc molestia, & sub singulis se exferere cœpit epulis, adeo, ut solidis vesci nequiverit, nec nisi liquida assumere potuerit: quin linctibus, gargarismatibus, aliisque medicinis frustra adhibitis, tandem eo pervenit, ut misera nihil plane nisi calidam cerevisiam deglutire valuerit. Videbatur enim ipsi tuberculum quoddam fauces obsidere, ac ciborum descensum remorari; quod tamen & per intervalla dumtaxat, & non eodem semper sensit loco, dum modo in pharynge, modo in media, modo infima œsophagi regione hæere observabatur. Juncti erant ructus, qui ex ventriculo ascendentes, & ad hoc sic dictum tuberculum pertingentes, statim recidebant, neque eructari poterant, denique assidua vexabat nausea. Accitus medicus, spasmum subesse ratus, propinavit interne potum, culam laxantem, & cremorem hordei cum oleo amygdalarum dulcium potari iussit: externe cataplasma emolliens, atque discutiens, & linimentum ex balsamo vitæ nostro, & spiritu vini applicuit. Nec irritus horum fuit effectus, siquidem non solum omnibus liquidis liberum reddebatur iter; verum etiam, postquam absque ulla tussi, insignis viscidæ pituitæ copia vomitu excernebatur; & tuberculi sensatio, & nausea, & ructuum molestia evanescebant. Neque vero minus solidiores cibi adhuc subsistebant, & demum molestia œsophagi constrictio iterum accedebat; cujus adeo conscia erat ægrota, ut non solum clarissime sentiret, num œsophagus constrictus, an relaxatus fuerit; sed quoque evidenter perciperet, ipsum post assumptos tepidiores potus relaxari. Et hæc adflicto cum copiosissima mucii viscidæ excreatione, oris perpetua amaritie, & colli, dorisque magno dolore per-

pertinacissime inhæsit; donec adhibitis ex meo consilio, interne aquis Sedlicensibus, & elixirio viscerali Egranis, externe balsamo vitæ applicato fuerit debellata.

Epicrisis.

Quemadmodum omnis spasmus vel in uno loco fixus, stabilis, ac rigidus est, vel per totum membrum decurrit: ita hoc præsertim in œsophago observamus. Ad posteriorem classem pertinentem nausea, ructus, vomitus, quin etiam singultus; qui affectus omnes absolvuntur, motu œsophagi peristaltico inverso, & spasmodice aucto, ubi scilicet spasmus ab inferiori parte incipiens, ad fauces usque decurrit. Contra vero rigida œsophagi contractio, in eo potissimum morbo, quem nos spasmus gulæ *αὐτὸς ἑστὶν* vocamus, & supra descripsimus, occurrit; atque reliquæ spasmorum species symptomaticæ sæpius junctæ deprehenduntur.

2) Talis morbus est ille, de quo præsens agit observatio; quæ pro causa agnoscit cruditates viscidas, acres, biliosas in ventriculo subsistentes, resistente oris amaritie, nec non viscidos humores in ipsis œsophagi vasis stagnantes. Quod si vero & in horum causam remotius inquiramus, nulla se offert alia, quam depravata digestio: unde etiam factum esse credo, quod licet medicus convenienti medela spasmus gulæ debellaverit, ille tamen recruduit, quoniam ad roborandum ventriculum nulla subinde cura fuit directa.

3) Tuberculi in œsophago sensatio nihil est aliud, quam tunicæ musculosæ spasmodica conglobatio, quæ propterea mox in hoc, mox altero loco sese exseroit, & per hunc vagum ac incertum circuitum se distinguit a præternaturali tumore, huic canali innato.

4) Videre etiam ex hoc casu licet, quam pertinax ac magna possit esse gulæ contractio, adeo, ut ne vapores

quidem halituosi, per ructus & ventriculo elevati, pervadere potuerint; sed ad locum stricturæ devenientes iterum relabi debuerint.

OBSERVATIO V.

Vir quidam, trium & quinquaginta annorum, valde pituitosus, victus exactissimam servans rationem, vitæ vero sedentariæ nimium deditus, nec unquam sanguinis missionibus per venæsectiones, aut scarificationes adsoletus, & flatulentis admodum obnoxius molestis, ultra jam triginta annos tussi quadam cum levi asthmate junctæ, singulo mane multum pituitæ excuriente, laboravit; quæ vernali præsertim, & autumnali tempore exacerbata, per aliquot hebdomades, gravius adflixit. Hic ante quatuor circiter menses ex improvise eam incidit molestiam, qua summi cibi, utut minutissime concisi, in œsophago circa superius ventriculi orificium subsistebant, nec nisi hausto potu detruhebantur. Paulo vero post hæc affectio ita invalescebat, ut cibi æque ac potus in gula, veluti detenti subsisterent, ac coacervati, vomitus quadam specie rursus eructarentur: attamen liquida, si tepida fuerint, parca quantitate assumere valebat. Infestabat hoc incommodum per periodos; adeo, ut interdum etiam cibi ad ventriculum deferri potuerint: prorsus tamen, frustra adhibitis varii generis medicamentis, cedere recusabat. Verum tribus abhinc hebdomadibus assumpta caro iterum subsistebat, nec cum potu ad ventriculum perducere, nec vomitu reddi poterat, magnamque creans molestiam. Tandem capiebat ager proprio instinctu oleum olivarum cum melle; & ab hoc ultra mensuram unam mucii tenacissimi una cum detenta carne eructabat. Inde quidem melius habebat, adeo, ut ad minimum jusculis vesci potuerit; & ubi recidebat malum, eructato sponte mucio, cujus excretionem adhibitus quidam spiritus

Spasmus gulæ inferioris, cum reiectione multo mucii.

anifatus cum saccharo mixtus adjuvabat, rursus remittebat. Verum paulo post gravior reddebatur status: siquidem constrictione gulæ, ciborum & potuum descensum impediens, majores capiebat vires, adeo, ut appetitu integro gavisus nihil fere comedere posset, ideoque corpus sensim contabesceret. Accedebat virium collapsus, frequens corporis tremor, atque frigus, maxime si vel aeri liberiori se exponeret, vel in eructando mucro occupatus esset. Præterea noctu præsertim mox in gula inferiori circa stomachum, mox in superiori circa fauces, sentiebat tuberculum quoddam, instar ovi columbini, quod emissis ructibus evanescere quidem videbatur, mox vero recurrebat. Verum plerumque nec ructum edere, nec singultire valebat: quod si autem hi motus succedebant, non solum levamen totius mali inferebant, verum etiam si assumptorum quidpiam in gula hærebat, illud vel per os reddebatur, vel in ventriculum deferabatur. Notabile etiam erat, quod quæ jam ingressa erant ventriculum, vomitu nunquam rejicerentur; sed hoc duntaxat mucus, eibus, vel potus in gula remoratus excerneretur. Addebatur insuper, post assumptum nuper purgans, gravis inter scapulas dolor; nec molesta erat ulla ventriculi gravitas. Quando vel frigidus potus parum ceperit, vel frigidum aerem inspiraverit protinus exacerbabantur omnia.

Epicrisis cum consilio.

1) Quantum causarum cognitio ad curandum morbum præstat momentum, vel hæc docet morbi historia. Medici enim, quorum plures consulebat ager, in varias quidem abierunt opiniones; nulla tamen rei conformis erat. Quidam enim accusabant ventriculi atoniam; alii scirrhum œsophagi tumorem; alii nimiam pituitam ventriculum, & œsophagum obsidentem. Priores duæ causæ prorsus

a veritate sunt alienæ; ut enim alia momenta ipsis contraria taceam, vel id eas refellit, quod malum per intervalla revertatur. Tertia est tantum remota; cui in acceptis ferenda proxima, quam non aliam subesse iudico, quam spasmus œsophagi pertinacem.

2) Testantur hunc cuncta symptomata. Primum quidem subsistentia ciborum in gula, potuum calidorum liber transitus, constrictionis remissio, & a frigore revocatio, dolor inter scapulas, sensatio tuberculi in gula, extremorum frigus, corporis tremor &c.

3) Notabile est, ructus solvisse constrictionem gulæ. Dum enim hæc in uno loco pertinax inhæret, ac fixa est; ructus vero non nisi inverso motu peristaltico totius canalıs absolvitur: facile patet, cur illa strictura vehementiori existente, & singultuendi, & ructus emittendi potentia fuerit prohibita; item cur si ructuosi motus major vis fuit, hæc resistantiam fixioris stricturæ superaverit.

Cum hic affectus & huic similes fomitem & materialem suam, a qua progigauntur, causam potissimum in ventriculo, siue potius duodeno stabulantem habeat; videlicet vitiosorum & crudorum acido-biliosorum humorum saburram, qui continuo pravas exhalationes in superjacentes nervosas partes emittunt, curandi methodum ego ita instituere solitus sum, ut pulvere absorbente & salino deterfivo, leniterque nitroso, convenienti dosi & tempore, præmisso vel blandiori emetico ex radice ipecacuanhæ, vel pilulis, quæ ex nostris polychrestis & extracto panchymagogo Gr. compositæ sunt, excretionem sufficientem materiæ peccantis promoveam, & demum convenientibus stomachicis roborantibus, digestionis negotium in meliorem & naturalem statum reducere annitar. Quæ remediorum genera si intentioni minus respondeant, quod fit, quando hypochondriaca vel hysterica sic dicta passio hujus morbi fundamentum est; tunc omnino ad validiora, usum vide-

licet

licet aquarum thermalium vel acidularum, ad balnea quoque, ad peregrinationes pro mutando aere & corporis motiones confugiendum erit, qua methodo etiam hic æger convaleuit.

OBSERVATIO VI.

Spasmi
gulæ ex
mucositate
ipsi im-
pacto.

Vir illustris, annorum quinquaginta, constitutionis satis robustæ, victui duriori, carnibusque fumo induratis longo abhinc tempore adsuetus, & vini, nec non spiritus vini potui valde deditus, in animi excandescentiam proclivis, parum adperit, & excusso mane somno, magnam in faucibus & ore percipit ariditatem. Tum e lecto surgens sub cordis scrobiculo quandam perentiscentiam molestiam, ab humore glutinoso, ibi firmiter impacto, qui tam vehementem caussatur irritationem, ut illustris æger magno impetu ac labore illum excreando rejicere anitatur, non sine ingenti thoracis, atque totius corporis concussionem, rubore faciei, sudoreque totum corpus occupante. Tandem aliquot cochlearia, modo insipidi, & mucosi, modo biliosi & acidi humoris eructantur, idque jam per aliquot duravit menses. Consultus ego, primum ut a remediis stomachum roborantibus, & aquis vitæ spirituosius, quibus se absque ullo solamine permultis fuisse usum scribebat, nec non omni spiritus vini potu prorsus abstineret, monui; & potius suasi, ut victu molli, tenuique, ac acidulis Egranis, ineunte æstate uteretur; pro potu ordinatio aquam thermalem Piperinam, quam in promptu habebat, usurparer, coenam intermitteret, atque pulverem nitrosum præcipitantem, cum haustu aquæ fontanæ, cubitum iturus caperet. Ex quibus consiliis insigne percepit allevamentum.

Epicrisis.

Non pauca in praxi medica occurrunt eorum exempla, quibus noctu

humiditas mucosa, sive pituita in faucibus, ipsoque œsophago concrescit, & intus firmiter inhaerescit; quam deinde magno, & sæpe frustraneo conatu expellere moliantur. Humor hic non ex aspera arteria, ejusque glandulis, nec ex pharyngis, aut laryngis glandulosa tunica; nec ex pituitaria, quæ basilarium involvit; sed ex glandulis ipsius œsophagi, quæ tunica nervea ablata in conspectum veniunt, & pressæ per vala excretoria ac foraminula, quibus præditæ sunt, humorem stillant, suam ducit originem. Hæ igitur glandulæ, sicubi a vaporibus acerbis, acidis, vel etiam calidis, ex ventriculi vel duodeni sinu elevatis vellecantur, fundunt lympham, quæ facile concrescit in mucum, qui tam mole, quam qualitate inimica tunicam musculoso-nerveam, ad ejusmodi spasmodico-convulsivum proritat morum. Hinc facile patet, tali in casu, nec calida & aromatica, nec spirituosius proficere; quippe quæ lympham magis viscosam, & humores biliosos magis acres reddunt & volatiles: quibus temperandis longe majori efficacia potus diluentes, fontesque medicati potius interserviunt.

CAPUT VI.

DE

MOTU VENTRICULI
CONVULSIVO,
SIVE VOMITU.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Vix quicquam in humana vita frequentius occurrit vomitu Definitio vomitus
namque nec ullus hominum erit, quin vomuerit, nec pauci sunt morbi, qui vomitu tanquam molesto complicantur symptomate. Nihil autem aliud est, quam œsophagi, ventriculi, & maxime duodeni, motus perturbatus.

ristalticus, præter naturam inversus, & ad convulsivam contractionem usque auctus, quo contenta ventriculi, vel intestini simul duodeni per os rejiciuntur.

§. II.

Non quidem obscurus est affectus, qui, ut dignoscatur, signis egeat: attamen eo attentius concurrentia symptomata & adfectiones observare convenit, quo magis causæ id vitii genus producentes variant. Generatim sciendum est, quosdam ad vomendum valde faciles, a levissima causa disponi; alios vero minus promptos, atque magis inani, molestoque vomendi conatu urgeri. Illi a schola medica vocantur evemeti, & sunt inprimis infantes præ adultis, feminae præ viris, & viri laxioris habitus: hi dicuntur dysemeti, & sunt strictioris habitus corporis, brevioris colli, omnesque robustiori nervorum systemate præditi.

§. III.

Vomitum antecedere & comitari sæpius solet molestissima nausea, cum tensione & gravitate in epigastrica regione, oris amaritudine, ardore, mortu, inappetentia: adeit quoque magna præcordiorum anxietas; inquietudo; multum salivæ tenuioris in os stillat, multumque sputur, accedit vertigo, oculorum caligo, & obtenebratio, capitis gravitas, faciei rubor, tremor inferioris labii, & cum primis anxia cardialgia; atque tandem post laboriosam, & inanem eructationem, contenta in ventre extruduntur. Quæ adfectiones sat luculenter spasticam & convulsivam ventriculi & annexarum nervosarum partium subversionem ostendunt.

§. IV.

Materia, quæ per vomitum rejicitur, dum varia est, diversas vomitibus imponit denominationes. Saburra mucosa, chymosa, ciborum nondum penitus dissolutorum reliquæ rejectæ, vomitum pituitosum constituunt; biliosa colluvies biliosum exhibet; eadem ab admixtione aliorum humorum, vel acidorum,

& corrodentium subnigricantem corruptum, viridem, æruginosum, porraceum spargit. Interdum vermes & insecta rejiciuntur; nonnunquam stercorea materia ex imis revoluta intestinis expellitur; quandoque pus redditur & saniosa materia; quin carnosam instar polypi membranosa massam in ventriculo generatam, vomituque expressam fuisse testatur casus *Med. consul. p. 207.* insertus. Effertur non raro sincerus sanguis, & vomitus tunc dicitur cruentus; & interdum idem ater corruptusque vomitur, tumque morbus audit niger *Hippocratis*; cujus utriusque non faciemus mentionem: quia in parte systematis nostri therapeutica II. id jam factum est.

§. V.

Sedes materiæ, quæ evomitur, proximè quidem ipsi inhaeret ventriculo; cujus aque ac vicinarum partium præternaturali motu illa eliditur: at vero ex aliis & remotis etiam partibus, hepate, pancreate, per ductus, ex liene, ex ipsa quoque sanguinis & humorum massa, ex habitu corporis, ut in tumoribus per vasa & glandulas huc adducitur. Causæ, quæ sensibilem nervosam ventriculi substantiam ad systalticum & compressorium motum irritant, non tantum in ipso, sed etiam in aliis vicinis & remotis partibus nervosis, quærenda sunt, cum subinde animadvertamus plurimis spasmodicis adfectionibus per consensum vomitum accedere. Quæ præcipua momenta ut clarius & rectius intelligantur, & e re fore arbitror, ut accuratorem ventriculi & duodeni fabricam secundum recentiorum & probatissimorum anatomiarum descriptionem præmittamus.

§. VI.

Primum igitur notandæ veniunt tunicæ ventriculi, quarum quatuor ipsi tribuuntur, extrema est membranacea, a peritonæo oriunda, & cum tunica concavum diaphragma cingente continua: altera est musculosa, quæ duplici constructa fibrarum serie, externa quæ fibras habet longitudinales, longitudinem ventriculi abbreviantes; interna vero partem quosdam, a cardia ad pylorū excu-

Sedes vomituum.

Fabrica ventriculi membranacea.

rentes, & utraque orificia ad invicem coarctantes, partim alias circulares, latitudinem ventriculi amplectentes, hancque contrahentes exhibet. Tertia, quæ huic subjacet, tunica audit nervea, fibris tendineis, oblique per ventriculolum decurrentibus prædita, prioribus amplior, hinc rugas formans, & glandulis multis referta. Quarta dicitur villosa ex papillis nerveis, & extremis vasculis, villorum instar erectis concinnata, & mucagine, quam dictæ plorant glandulæ, obducta. Ceterum inter tunicam anteriorem, & musculosam, hanc & nerveam; atque hanc & villosam triplex conspicitur substantia cellulosa, vasa sanguifera copiosissima continens.

§. VII.

Fabrics
ventri-
culi va-
sculosa.

Deinceps considerari merentur vasa ventriculi. Arteriæ sunt duæ gastricae, dextra, sinistraque & coronaria. Nam quæ postquam arteria aorta inferior, perforato circa spinam septo abdomen ingreditur, protinus spargit arteriam coeliacam, quæ in tres ramos dispescitur: prior est hepaticus, a quo suboritur 1) pylorica, 2) gastrica dextra, 3) duodena arteria: alter est coronarius, qui ventriculolum innumeris ramificationibus amplectitur: tertius est splenicus, qui ad lienem tendens exhibet 1) arteriam pancreaticam, 2) gastricam sinistram, quæ cum dextra constituit gastro-epiploicam. 3) Ipsam epiploicam, 4) vasa brevía, quorum alterum est venosum. Per hunc arteriarum nexum patet, quantus sit humorum circuli per dictas partes consensus. Venæ sunt coronariæ, gastrica dextra, sinistraque, & alterum breve vas. Omnes oriuntur a vena portarum, cujus truncus sub duodeno ad pancreas tendens, primum venas cysticas, pyloricas, duodenales; dein tres, interdum duos ramos suppeditat, quorum primus splenicus dat coronariam, gastricam sinistram, pancreaticam, epiploicam, & vas breve venosum; alter mesaraicus major intestinalis & gastro-epiploicam; tertius hæmorrhoidalis internus, gastricam dextram, & duodenalem. Unde liquet,

prædedito sanguinis in uno viscere circuitu, illum ad alterum regurgitare. Lymphatica vasa comitantur venas; nervi arterias. Hi vero nascuntur partim a pari vago, partim intercostali ramo. Per vagum duobus ramis ab utroque œsophagi latere descendens, toti ventriculo innumeras ramificationes tribuit, tumque ad formandos nervi intercostalis plexus concurrir. Hic enim perforato diaphragmate, juxta arteriam coeliacam format ganglia semilunaria; unde in dextro latere surgunt plexus hepaticus, & renalis dexter; in sinistro nascuntur plexus lienaris, stomachicus & renalis sinister: ex hepatico & renali dextro, nec non ganglio semilunari suboritur plexus mesentericus superior; cujus interventu dicti in utroque latere quinque plexus adeo ununtur, ut partes ab illis suos nervos mutuantes, arctissimo gaudeant consensu.

§. VIII.

Attendi porro meretur fabrica duodeni, quod cum ventriculo ratione tunicarum, nervorum, vasorumque convenit; & a pyloro incipiens, tres format flexuras. Prior occurrit, dum a ventriculo oblique, deorsum, simul retrorsum tendit, circa cujus finem inseritur ipsi ductus cholidochus, bilem, succumque pancreaticum secernens. Deinceps cum dextrum ambit renem, alteram exhibet flexuram; qua accumbit pancreati; tandemque juxta spinam, reni sinistro appropinquans, tertiam suppeditat, super qua feruntur & arteria, & plexus mesentericus superior: cujus contractio protinus hæc intestinum afficit. Ceterum illud reliqua intestina capacitatis amplitudine, contra communem sententiam, quæ angustius dicitur, longe superat.

§. IX.

Hæ binæ partes, ventriculus nimirum, & intestinum duodenum, quod ventriculus minor non immerito vocari potest, insigni nexu non modo invicem, sed etiam cum aliis nerveo-membraceis gaudent partibus. Connectuntur enim 1) cum œsophago, per ipsarum tunicarum, quæ utrique parti eadem sunt,

Fabrics
duode-
ni,

Consen-
sus ve-
næ, seu
ac inte-
stini
duode-
ni
cum
aliis
parti-
bus.

sunt, communionem, & hinc cum ipsa fauces, & os cingente tunica coherant. 2) cum toto intestinorum canale, non modo per tunicarum earundem pro- tensionem, verum maxime vi plexus superioris mesenterici, a quo cuncta intestina suos nervos mutantur. 3) cum omento, quod ventriculi parti anteriori firmiter annectitur. 4) cum septo transverso, per ramulos e nervo vago & intercostali, nec non tunicam exteriori & septi & ventriculi superfici- cie communem; & illius respectu cum 5) nervosis, ac membranaceis pecto- ris partibus; nec non 6) musculis ab- dominis. 6) cum ductibus biliferis, non tantum per cholidochum canalem, duodeno insertum, verum maxime per plexum hepaticum, qui furculos dat duodeno, ac ventriculo, cumque plexu stomachico, intervntu mesenterici su- perioris communicat. 7) cum pancrea- te, cui firmiter adhærescit duodenum. 8) cum renibus, per plexum renalem dextrum & sinistram, qui cum stoma- chico connectitur; 9) cum capite & ce- rebro, nec non corde per nervum va- gum, qui his partibus communis est.

S. X.

Vi tonicæ musculosæ, ejusque fibra- rum §. VI. superius recensitarum, œso- phago, ventriculo, cunctisque inte- stinis communium, proprius istis par- tibus est motus quidam vermicularis, quem etiam peristalticum vocant. Hic consistit in dictarum partium alternan- te constrictione ac relaxatione; & a parte superiori deorsum tendit: in ventri- culo, variis modis eum contrahendo, arctando, rursusque dilatando, dia- phragmatis & musculorum continuo, qui sub respiratione fit, motu adjutus, ciborum & digestionem, & per pylo- rum expulsionem secundat: in intesti- nis, humorum laudabiliorem per chyli- fera vasa resorptionem, & excremen- titiorum ad inferiora protrusionem, & per anum eliminationem peragit.

S. XI.

Quandocumque vero hic peristalticus motus, deorsum vergens, ad præter-

naturalem, spasmodicam vel convul- sivam intenditur motionem, oriuntur intestinorum tormina, dolores circa pylorum cardialgici, spasmus sic di- ctus ventriculi, colicæ passionem, & alvi profluvium. Quod si autem idem hic motus, præter spasmodicam con- tractionem invertatur, & ad superiora tendat, cogit primum contenta ex in- testinis in ventriculum; aut si jam in ipso fuerint, ea sursum trahit, tumque fit vomitus. Sub hoc enim pylorus cum adnexo duodeno pariter, ac anterior & inferior ventriculi portio, contra- ctis violenter fibris longitudinalibus, & circularibus, ad superius orificium con- trahuntur; contenta ipsius ad hoc ad- plicantur; continuante a tergo spasm- impetu in œsophagum coguntur; & motu illo inverso per totam golam pro- pagato, ad os feruntur, & eructantur. Adjuvant hunc motum violenta dia- phragmatis, & musculorum abdomi- nalis per consensum facta constructio, & parietum ventriculi facta inde com- pressio: hinc post singulas vomitiones, difficilem spirationem adhuc continua- re, & abdominis regionem plus minus gravi dolore affici, in comperto est; quid quod in animalibus post devora- tum emeticum dissectis, pressionem ventriculi a diaphragmate ac musculis abdominis rectis potissimum oculis in- tueri licet. Quidam ex medicis Anglis hac in opinione sunt, fibras stomachi ni- hil prorsus ad vomitionis actum conferre.

S. XII.

Verum quo debiliores sunt ventricu- li fibræ, & quo mobilior, majorique copia rejicienda saburra præsto est, eo facilius fit vomitus. Quod si vero ro- bustiores fuerint fibræ, ut in dysme- tis; aut causa vomitus in humore te- naci, viscido, plicis ventriculi firmi- ter in hærente, vel materia acri, cau- stica nervis insidente consistat; tum gravis fit vomitio, atque fonticis stipa- tur symptomatibus. Namque antec- edunt primum gravissima cardialgiæ, immanes nausea, præcordiorum an- xietates, inquietudines, laboriosæ,

Sym- ptoma- tum de- scriptio & ratio.

Motus peristaltici u- sus.

Forma- lissatio vomitu- sus.

ac inanes eructationes, molestæ abdominis, contentarum partium, maximeque diaphragmatis concussiones, hinc singultuosæ agitationes; claro documento, magnam subesse ventriculi convulsionem, ad expellendam noxiam materiam haud sufficientem. Frequentissimum tunc est, ut convulsio ventriculi ad ductus biliferos propagetur, & hinc fiat effusio bilis ad duodenum, & ventriculum; qua eructata, nihilominus continuat vomitio. Motus ille ascendit per œsophagum, & lympham ex ejus ac faucium glandulis exprimit; cujus multum spuitur. Compressis porro per vehementissimas concussionem ventriculi, & adnexarum partium vasis sanguiferis ibidem sitis, eruo majori copia & impetu ad superiores partes, atque caput compellitur; ejus vasa infarcit, membranas nerveas distendit, & ad similem spasmus proritat. Hinc sunt faciei rubores, capitis dolores, oculorum caligines, vertigines, tremor inferioris labii, atque non raro totius nervosi generis convulsivæ, ac epilepticæ commotiones.

§. XIII.

*Differē-
tia vo-
mitus in
idiopa-
thicum
& sym-
pathi-
cum.*

Causa, quæ ad vomitum disponit, proxima est vellicatio vel stimulatio fibrarum ventriculi ac duodeni nervearum; vellicans autem materia hæret vel in ipsis illis partibus, vel in remotioribus, vi nervorum cum istis connexis. Hinc resultat differentia vomitus in idiopathicum, & sympathicum; ille causam materialem in ipso ventriculo vel saltem duodeno habet; hic eandem remotius in inferioribus intestinis, duodeni biliferis, renibus, capite &c. hærentem agnoscit, & consensuali magis vitio motuum nititur. Ideo facile patet, nullam esse monarchialem illam potentiam, quam suo pylori rectori tribuit HELMONTIUS, a quo semper stricturæ, & inversi motus initium arcessendum esse putat. Quamvis enim nonnunquam illa fiat; attamen non raro ex infimis intestinis constrictionis principium suboriri, vel stercorei testantur vomitus.

§. XIV.

Inter causas itaque vomitus materiales, in ipso ventriculo hærentes, accusanda primum venit nimia assumptorum quantitas; quæ fibras ventriculi nimium aggravat, & ultra spheram elasticitatis distendit, donec, facto rapidiori fluidi tenuissimi & sanguinis adfluxu, in convulsivum motum actæ, inimicam sibi materiam expellere moliantur. Ex hac causa obnoxii sunt vomitibus 1) helvones ob potum nimis haustibus ingestum; 2) infantes teneri, ob lac copiosius sumtum, vel datos præmature solidiores cibos; quo in casu non sine ratione pylori angustiam, solidiora nondum transmittentem accusat KERKINGIUS *spicileg. anat. obs. 20. 3.*) homines a morbis, & tolerata sub iis inedia debilitati; in quibus parrior quoque ciborum, maxime solidorum quantitas vomitum ciere potest; 4) Pueri voraces, qui & crebris vomitionibus, & frequenti singultu vexantur.

§. XV.

Concitat deinceps vomitum saburra vitiosa in ventriculo contenta; quæ non raro a cibis crudis, dyspeptis, fumo induratis, salitis, aliisque incongruis non bene concoctis relinquitur. Hinc sunt vomitus pituitosi, qui eveniunt 1) hominibus, qui debilitate ventriculi præditi sunt, simulque voraces, 2) qui mollioribus cibis adsueta, victum subeunt crassiorem, 3) qui gulæ indulgent, simul vero diuturni somno, vitæque sine motu desidi sunt dediti. Eadem saburra, mora temporis acida redditur, & accedente ob iracundiam, aliasque forsitan causas ex duodeno bile, acrior evadit; unde ex ventriculo fiunt biliosi vomitus.

§. XVI.

Omnes vero biliosi vomitus, maxime si vel chronici, vel periodici fuerint, fomitem suum in duodeno habent. Aptissimum fovendæ saburræ hoc intestinum est, propter flexuras, quibus pollet; & quoniam in eo bilis chymoso succo affunditur. Hæc si iners fuerit, vel languente intestinorum tono, sta-

*Causæ
mate-
riales
sunt ni-
mia as-
sumto-
rum quan-
tita-
tas.*

*a) Si
burra
ventri-
culi.*

*3) Ho-
mor bi-
liosus
in duo-
deno*

gnaverit, nec rite cibis permisceatur, aut accedentibus acidis humoribus magis in ſua craſi pervertatur; aeris ac veluti cauſtica redditur; & vellicando parit vomitus biliſoſos, virides, æruginoſos, quin & nigros. Namque bilis ab acido forti fit viridis; & ſi diutius ſubſiſterit, nigrum inducit colorem. Inde etiam acidiffima evomi ſolet materia, quæ dentes ſtupefacit, atque pavimenta, vaſaque argentea arrodit. Talem vitriolacei ſaporis obſervavit HENRICUS ab HEER obſer. 29. & ego in Not. ad POTERIUM Cent. 2. caſu 93. recentui calum, ubi per vomitum materia inſtar aquæ fortis corroſiva fuit reſecta, quæ cum limatura martis, in verum abiit vitriolum.

§. XVII.

Ejuſmodi vomitibus ex duodeno originem trahentibus vexari ſolent 1) hypochondriaci ac melancholici, in quibus ob languidum inteſtinorum tonum, non modo cruditates acidæ ac viſcidæ ex cibis in ventriculo & duodeno relinquuntur; ſed bilis quoque iners eſt adeo, ut loco chyli generoſioris, magnus fiat proventus humorum acrim, acidorum, cum bile corrupta, i. e. temporis mora nigra facta mixtorum, hinc nigrorum, quos veteres a liene proficiſci aytumarunt. Hi vero humores omnino vellicant duodenum, ac lenſibilem pylorum: unde facile ſubvertitur ventriculus, maxime, cum hæ partes ad inverſionem motus perſtaltici per ſe ſint pronæ. 2) Scorbutici, quorum tota humorum maſſa ſpiſſa eſt, ac impura. 3) cachectici, quorum bilis vappida exiſtit, nec diſſolvendis penitus cibus ſufficit: unde in iis vomitus magis biliſoſo- viſcidi ſunt. 4) Infantes, lac impurum, a matris exandefcentia acidum factum ſugentes; quibus frequentiffimi ſunt vomitus præſſi, æruginoſi, virides. 5) Febre quartana affecti.

§. XVIII.

Concitant porro vomitum aſſumpta qualitate noxia. Sic cibi nimium pingues, horæ, fermentefcibiles, maxime ſi ſaburra quædam biliſoſa in ventri-

Hoff. Syſt. Tom. VI.

culo ſcateat, acriorem fermentationem ſubeundo, vomitum movent. Idem faciunt cibi ingrati cum ſaſtidio aſſumpti; eo magis, ſi nimium pingues ac oleoſi fuerint. Huc quoque pertinent acria, ac principio ſubtili cauſtico prædita, ſicuti ſunt omnia vomitoria; nec non ſubjecta venenata, ova barbi piſcis, de quibus conf. TIMÆUS a GULDENKLEE Lib. 3. cap. 7. nec non fungi venenati, quorum mentionem injicit HILDANUS Cent. IV. obſ. 34. De venenis iſtis, arſenico, mercurio ſublimato res notiſſima eſt; quippe quæ ob ſumme cauſticum principium, præter vomitus graviffima inducunt convulſiva totius corporis ſymptomata: id quod de vomitoriis atque purgantibus acrioribus etiam eſt ſtatuumdum.

§. XIX.

Non minus humor ſubtilis aeris nervoſis ventriculi partibus incumbens graviffimas excitat vomitiones. Tranſfertur ille nonnunquam per metaſtaſin a materia arthritica, eryſipelacea, podagrica, ſcabioſa, ulceroſa, purpuraſca, topicis intus acta, nec non a diarrhœis ac dysenteriiſ cohibitis. Sic nati ab ulcere præmature conſolidato vomitus exemplum recenſet J O H. RHODIUS Cent. 2. obſ. 65. & de podagra retropulſa, ad id vitii genus diſponente calum allegavi in CONSULT. MED. Sect. IV. caſ. CLXX. pa. 690. Eadem ratio eſt, quod in variolis, morbillis, febribusque malignis, ac exanthematicis, atrociſſimi ſiant vomitus: ſiquidem miasma horum morborum acre, & cauſticum, obſidendo nerveas ventriculi fibras, id mali inferit. Hinc quoque arceſſenda eſt graviffimi vomitus in peſte cauſa; ubi diſſectio cadavere HELMONTIUS lib. quem inſcribit tumul. peſt. pag. 54. ventriculum eſchara obductum; & DIEMERBROECK de peſte Lib. IV. hiſt. 15. eundem carbunculo occupatum, ſe viſiſſe perhibent.

§. XX.

Cruor vitalis ad vaſa ventriculi, & ſanæ adnexatum partium, majori copia guſ-

Vomitus hypochondriaci.

aſſumpta qualitate noxia.

ad ven-
ticuli
conge-
ſtus.

congeſtus, ea graviter diſtendendo, vomitum producere ſolet. Hinc il- lum patiuntur 1) ſceminæ gravidæ, primis geſtationis menſibus; dum ni- mirum ob retenta menſtrua cruor ad ſuperiora regurgitat, qui grandefcen- te fœtu, in quibuſdam poſt quartum menſem plerumque ceſſat: qualem notabilem caſum allegat PETRUS LOTICHIVS *Lib. V. obſ. 7. pag. 442.* 2) ſceminæ, quibus non fluunt men- ſtrua. Sic PANAROLLUS *ſect. 1. obſ. 22.* meminit puellæ, quæ nondum menſtruata, per ſeptem integros an- nos, ſimulac cibos caperet, illos revo- muit, prodeuntibus vero menſtruis, ab eo malo liberata fuit. 3) viri, qui- bus ſuppreſæ ſunt hæmorrhoides, ubi ſanguis ad venam portæ majori copia reſluit. Quibus in caſibus non rarum quoque eſt, vomitum cruentum ſub- oriri.

§. XXI.

Aut ear-
diæ vi-
tiū vo-
mitum
produ-
cas.

Ipſe ventriculus præter naturam con- ſtitutus vomitum ciet. Primum qui- dem oriſcium iſtius ſuperius, vel ſpaſ- mo, vel alia cauſa præternaturali occluſum, ſimilem parit affectum, qui vero non verus vomitus dici poteſt, & magis ad ſpaſmum gulæ inferioris per- tinet: ſiquidem cibi priuſquam deven- rint in ventriculum, cum muco in gu- la contento rejiciuntur. Similes caſus videas apud WILLISIUM *pharm. rat. par. 1. ſect. 2. cap. 1. pag. 17.* FERNE- LIUM *Lib. VI. paſſol. cap. 1. & COITERUM obſ. chirug. pag. 121.* ubi cardia ſcirrho, & tuberculo duro obturata ſunt.

§. XXII.

Pylori
vitium
ſit cau-
ſa vo-
mitus.

Aliter ſe res habet cum pyloro, ex cujus præternaturali conſtitutione, ac obſtructione, chronicæ, perpetuæque propullulant vomitiones: adeo, ut ſe- re regulæ inſtar ſit, quod quid diu, ma- xime a ſumptis epulis vomuerunt, ſi- mulque contabescunt, pylorum habe- ant male conſtitutum. Sic ipſum præ- durum, ac ita ineraſſatum fuiſſe, ut ni- hil ciborum transmitteret, reſert SAN- CHEZ *L. obſ. p. 376.* Eundem ſcirrho-

ſum proſus deſcribunt SALMUTH *obſ. 20. cent. 1.* WILLISIUS *Pharm. rat. P. I. ſect. 2. c. 1. p. 55.* A. MED. BE- ROL. *Dec. II. vol. III. p. 45.* nigricantem & arroſum MEIBOM. *diff. de vomitu* §. 31. a deglutito nummo obſtructum KERKRINGIUS *ſpic. anat. obſ. 1.* quibus in caſibus ad finem vitæ moleſtæ vexarunt vomitiones.

§. XXIII.

Sympathicus vomitus oritur primum ab irritatione tam œſophagi, quam inteſtinorum. Hinc ſæpiſſime ſit, ut a pluma vel digito, faucibus tantum intruſo, & œſophagi principium titil- lante, ſtatim ventriculus, præſertim humorum copia onuſtus ſubvertatur. Deinceps converſi motus perſiſtaltici initium profundius ab inteſtiniſ ordiri ſæpius, & per conſenſum ad ventricu- lum propagari, docent vomitus a dolo- ribus inteſtinorum colicis, tormino- ſis &c. prognati, quo in caſu ingens ſæpenumero humorum varii coloris & conſiſtentia copia eructatur. Conf. HILDANUS *ſent. IV. obſ. 32. & 35.* MARCELLUS DONATUS *hiſt. mi- rabil. Lib. IV. c. 3.* viginti ſaburræ libras, vomitu quotidie rejectas fuiſſe aſſerit. Ipſe vidi in ſenibus hernioſis, ubi ingens inteſtinorum portio prolapſa fuit, per plures annos inſignem ac mirabilem amurcæ quantitatem quovis tertio vel quarto die, vomitu redditam fuiſſe.

§. XXIV.

Tali ratione inteſtinorum vitio vo- mitus ſupervenit 1) eorundem diſten- ſionibus a flatibus & fœcibus, ſimile ex- emplum allegante DODONÆO *obſ. med. 37. 2)* pertinaci colicæ ſpalmodi- cæ, teſte experientia. 3) contumaci alvi obſtructioni, ut ſit in morbo ſpaſmodi- co vago, in quo clyſteres injeſti una cum ſtercoribus per os redduntur. 4) in morbo ileo & herniis, 5) dyſenteria, annotante PLATERO *obſerv. p. 875.* 6) vermibus, inteſtina ac ventriculum rodentibus. Vid. AMATUS LUSI- TANUS, *Cent. 1. curat. 5. cent. 3. cur. 20.* Ipſe novi puellam ſeptem annorum, quæ de inmanibus cardinalgiis, convul- ſio-

Sympa-
chicus
vomitus
oriſura
Aridu-
ra inœ-
ſtineri.

Vomi-
tu a co-
lica,
ileo &
herniis,
vermi-
bus.

tionibus, continuisque vomitionibus conquesta, tandem grandem per os excrevit vermem, & paullo post defuncta est. His in casibus sæpenumero universalis motus peristaltici est inversio; quæ ab intestino recto incipiens, ad fauces usque ascendit, cunctaque intestinorum contenta per superiora vehit, & expellit.

§. XXV.

Vomitus a vitio ductuum biliferorum. Per consensum quoque; gravis vomitus fit, a vitio ductuum biliferorum in hepate. Quemadmodum vero hi ductus, eodem ac intestina modo, & constrictivo, & dilatatorio gaudent motu: ita eorundem & præternaturalis constrictio, & nimia laxitas ad vomitum contribuit. Priori modo non modo ipsa bilis violenter in duodenum, & ex hoc in ventriculum, retrogrado itinere exprimitur, hujus tunicas vellicat, & hinc revomitur; verum etiam ipse ductorum canalium spasmus, per plexus hepatici, & stomachici consensum, ad ventriculum propagatur. Posteriori ratione per laxatos tubulos bilis nimia copia in duodenum effunditur.

§. XXVI.

Vomitus biliosus a causa. Respectu hujus causæ, vomitum movent 1) ipsa emetica, atque purgantia fortiora, quæ tam ventriculum, quam ductus biliferos in spasmum agunt, quibilem effundit in duodenum. 2) gravis iracundia, præsertim inter ipsum partum, quæ etiam ab iracunda matre, ad infentem infantem, ubera trahentem, perniciosum edere valet effectum 3) in ipsa febre tertiana ob spasmum primarum viarum, vomitus biliosus cum euphoria fit 4) nec non in cholera, febribusque biliosis 5) in malo hypochondriaco, ubi spasmi viarum primarum urgent 6) denique calculi vesicæ felleæ, aut concretiones biliosæ in illa, spasmum excitant, biliosos vomitus producentem: quales notabiles casus in M. N. C. anno 6. dec. 1. obs. 20. & Sculteto armament. obs. 61. exstant.

§. XXVII.

Vomitus a calculo. Nihil est familiarius, quam quod nephriticos & calculosos affectus comi-

tentur nausea, vomitus, & tormina intestinorum: eo magis si calculi hæreant in sensibilibus ureteribus, aut etiam renibus, quales observationes legi possunt apud Bonetum *sepulch. observ. 60.* Ita meminit celebrem Medicum & Botanicum hujus loci sexagenarium ex calculo in medio ureteris sinistri firmissime hærente & impacto per trimestre spatium continuis vomitionibus cum ciborum fastidio perseverantibus, subsequente tandem virum collapsu & corporis contabescencia, ante quindecim annos mortuum: aliquot septimanis ante obitum de corrupto & foetido materia, quæ ejiciebatur, odore & sapore quærebatur, ipse existimans, urinosum laticem, qui parcius reddebatur, esse permixtum. Frequentissime etiam fit, ut a spasmo ventriculi & intestinorum silentes hætenus nephritici paroxysmi resuscitentur. Ratio in promptu est. Namque dum ren sinister per suum plexum nervosum, interventu mesenterici superioris cum stomachico coheret; dexter autem per similem plexum immediate cum hepatico, & stomachico connectitur; & insuper duodenum hujus renis involucris firmiter junctum sit: facile patet, cur quidem utriusque renis, dextri tamen præ sinistro spasmi vomitum, sæpenumero biliosum, tamque vehementem moveant, quantum vix præstiterit emeticum. Notabilis hunc in finem est observatio, quam Meibomius *diff. de vomitu §. 27.* recenset, quod calculi renibus impacti primum horrendos induxerint vomitus, hisque cessantibus, tantum œsophagi concitaverint spasmum, ut quasi exsilire ex ore quidquam videretur.

§. XXVIII.

Vomitum quoque per consensum fieri comites affectuum capitis; docuit jam Hippocrates, dum *Lib. 6. aph. 50.* Quibus, inquit, divisum est cerebrum, bis febrem, & biliosum vomitum supervenire necesse est: & in Coac. prænot. cap. 3. §. 3. 1. quibus cerebrum vulneratur, febris plerumque ac bilis vomitus accedit. Et notum est unicuique chirur-

Vomitus a capitis lesionem.

gorum, capitis ac cerebri, hujusq; membranarum, inflammationes, vulnera graviora atque contusiones, vomitum sequi: neque minus idem accidit, gravioribus partium nervosarum capitis spasmis, uti cum primis in atroci illo dolore capitis, quem clavum vocant hystericum; in rebelli cephalalgia, hemisrania, vertigine, apoplexia spasmodica &c. Quæ omnia per consensum, quem ventriculus, vi paris nervorum vagi, cum capite fovet, contingunt: ejus etiam cum pari quinto connexio in causa est, quod vomitus excipiant difficilem dentitionem.

§. XXIX.

Vomit
us a
caussa
externa.

Ad externas magis causas, quæ ventriculum comprimendo, ac irritando, vomitum movent, referri meretur mucronata cartilaginis depressio: quales casus *Barbette anat. Lib. 1. cap. 4.* & *Deckerus prax. Barbet. pag. 126.* recenset. Hanc ob causam virgines etiam, quæ rigidis illis lignis, quæ Planchette dicunt, sua præcordia coarctare solent, ad vomendum sunt faciles. Huc quoq; pertinet vomitus imaginarius, qui ex visis, aut tantum auditu perceptis ingratissimis rebus suboritur. Non minus hoc loco commemoranda vomitio est, quæ a frigore extrinsecus ventriculo admissio nascitur: item quæ a motu corporis vorticoso, & in navi a non assuetis instituto proficiscitur.

§. XXX.

Vomit
us cri
ticus.

Datur vomitus criticus, quando scilicet causa materialis, quæ ipsum produxit, ipso vomitu eliminatur, qui valde salutaris est, & interdum observatur in iracundis, & cachecticis cholericis; nec non in febribus & intermittentibus & acutis, circa dies potissimum judiciales. Hac enim ratione ventriculus, duodenum, vasa hepatis biliaria, pancreas & intestinorum canalis atque glandulæ a succis & humoribus vitiole ibidem collectis expurgantur, qui alias massam sanguineam ingredientibus, varia inferre possent mala, quæ ab istis foras projectis timenda non sunt. De tali salutaris vomitu egregia sunt, quæ habet

Cellus l. i. c. 111. vomitus, inquit, utilis est plenis & biliosis omnibus, si vel nimium se replerunt, vel parum concoxerunt. Nam si plus est, quam quod concoqui possit, periclitari, ne corrumpatur, non oportet; si vero jam corruptum est, nihil commodius est, quam id quæ via primum expelli potest, ejicere; itaque ubi amari ructus cum dolore & gravitate præcordiorum adsunt, ad hunc protinus confugiendum est.

§. XXXI.

Causarum diversitatem produunt concurrentia signa. Pituitosi vomitus, cum dolore circa ventriculum gravatissimo, cruditates in primis viis hærentes, indicant: biliosi chronici, & periodici, nimiam ductuum biliferorum laxitatem significant: chronici per multos annos durantes, cibos semicoctos simul eructantes, visceris cujusdam læsionem ac scirrhum portendunt. A calculo subortum vomitum colligimus ex juncto in regione lumbi dolore, cum urinx immutato fluxu, & sabuli excretionem. Complicati vero vultus pallores, intestinorum dolores ac rosiones, cum frequenti sputatione, nariumque pruritu, vermium suspicionem movent. Ceterum judicio opus est, ut ex aliis, quæ concurrunt, symptomatibus veram vomitus causam exploremus: quoniam hac latente, palliativa tantum conceditur curatio.

§. XXXII.

Omnis critica vomitio salutaris; symptomatice, mala, & ab acrimonia subtili caustica, nervos vellicante, pessima. Omnis vehementior vomitus, periculo non vacat: movere enim potest abortum, excitare herniam, & non sine noxa ad retropulsionem materiæ arthriticæ, podagricæ, ac erysipelacæ disponere. Inde ruptum esse omentum perhibet *Ath. Medic. Berol. dec. 2. vol. 3. pag. 33.* ipsumque ventriculum lacerari, auctor est *Sanchez observ. pract. pag. 376.* Biliofi vomitus, maxime virides, porracei, æruginosi, metu periculi terrent, & inflammationem

Causa
rati
diagnos.

Pro
gnosis.

minantur. Vomitus qui fit a vermi-
bus, ventriculum arrodentibus, ple-
rumque perniciosus: lethum prænun-
ciat, quando lumbricus mortuus ejici-
tur, & antea gravissima symptomata
& atroces artuum convulsiones simul
& semel cessant, quod evenit, si spha-
celus superveniat a quo etiam vermes
enecantur. Omnis quoque fœtidus vo-
mitus, quia internam corruptionem
indicat, mali ominis est. Sebaceus
corrosivi acidi humoris copiam, qua
pinguia coagulantur, in ventriculo
generari & plerumque intolerabilem
ardorem seu sodam parere indicat.

Ubi ingens crassi instar bovinæ bi-
lis bruno colore tincti humoris copia
ad libram dimidium vel unam vel
sponte vel arte vomitur, quod non
raro in lentis febribus accidit, pri-
mum a ventriculo intestinum magna
atonía adfectum esse, certum est in-
diciu.

Vomitus ultra semestre spatium vel
amplius continuus cum lento astu &
corporis extenuatione haud incertam
ulcerosi ventriculi suspicionem alit:
qualem casum ante quinquaginta an-
nos, cum Mindæ Westphalorum ar-
tem exercerem, vidi & observavi dis-
secto post mortem corpore.

Methodus Curatoria.

§. I.

Indica-
tiones
curato-
riæ.

Quemadmodum vomitus criti-
cus, quo humores copiosi va-
rii generis rejiciuntur, saluta-
ris est, & nullam exigit fere cura-
tionem, ut potius promoveri nonnun-
quam debeat: ita symptomaticus,
qui removenda causæ sæpius est mi-
nus accommodatus ac sufficiens, tanto
magis sollicitam & providam exigit
curam. Et hæc binis potissimum ab-
solvitur indicationibus, ut scilicet pri-
mum convulsivam illam, ac effrænem
ventriculi motionem provide conso-
liamur; & deinceps causas materiales
oppugnemus, iisque medeamur.

§. II.

Primæ indicationi satisfaciunt an-
tispasmodica, roborantia, anodyna
a lenioribus ad fortiora ascendendo.
Sunt ejusmodi remedia crocus & ca-
storeum in pulveris, essentia pariter,
ac extracti forma; theriaca coe-
lestis, cum pulvere succini & absor-
bentibus, cornu cervi, cancrorum ocu-
lis, & coralliis rubris maritata. Ex
his confecti pulveres, cum aquis spi-
rituosus ac vinosus, quales sunt aqua
florum tilia, liliorum convallium,
chamomilla, melissa, mentha, ce-
rasorum nigrorum, cinnamomi &c.
non sine singulari fructu adhibentur.
Inter roborantia laudem merentur
nux moschata, flores macis, cardamo-
mum, cinnamomum, costus verus, ea-
ryophylli, cortices citri, & aurantio-
rum, radices gentianæ rubrae, calami
aromatici, galangæ, herba majora-
næ, rorismarini &c. & ex his parata
olea pariter ac essentia. Omnibus ve-
ro in hoc malo appropriatis & specifi-
cis mentha crispa palmam præripit:
nam ex ea paratum genuinum oleum
mirifice & sedandi & roborandi sine o-
mnibus fere medicamentis potest admi-
sceri. Ex anodynis efficacem non mi-
nus ac perquam tutam virtutem liquori
meo anodyno tribuere possum, maxi-
me si cum balsamo vitæ meo permiscea-
tur. Et si denique potentioribus opus
fuerit anodynis; in usum vocari pos-
sunt pilula de styrace, Wildegansii &
Laudanum Sydenhamii liquidum.

Quæ
motus
ventri-
culi con-
vulsi-
vos lo-
pant.

§. III.

Ubi hæc adhibentur, non sine fru-
ctu conjungi possunt, topica regioni
epigastricæ admovenda, quæ motuum
ferocitatem aliquantulum coercedi
vim habent. Quo nomine commenda-
ri merentur, olea destillata roborantia
mentha, caryophyllorum, aucilla, ab-
synthii, macis, de cedro &c. cum bal-
samo Peruviano in unguentum redacta,
nec non epithemata, ex spiritu matri-
cali, theriacali, aqua reginæ Hungariae,
essentia croci, & cataplasma ex Spiritu
vini camphorato, fermento panis,
aceto

Exteri-
orum
usus.

aceto vini acerrimo, balfamo Peruviano additis aliquot olei macis & menthæ guttulis conferri poſſunt. Non levioris virtutis eſt emplaſtrum de cruſta panis, cum balfamo Peruviano, & una alteraque olei cujuſdam deſtillati guttula malaxatum: quibus denique ſuperimponere decet ſacculos calidos & reſolventes & roborantes. Perquam utile etiam eſt noſtrum vitæ balfamum, præcordiis & regioni epigaſtricæ illitum.

§. IV.

*Vomit-
tus pi-
tuitoſi
curatio.* At vero ludetur utique omnis opera, ſi his ſolum utamur, nec ad cauſſam materialem tollendam ſimul reſpiciamus. Vomitus itaque, qui dicitur pituitoſus, & a cruditatibus primarum viarum, hiſque impacto mucro viſcido dependet, optime curatur ipſo vomitu, maxime ſi ille ad eliminandam penitus ſaburram non ſit ſufficiens, & magis moleſto vomendi conatu, nauſea ac cardialgia vexat. Tunc enim præmiſſis incidentibus, ac digeſtivis, ut ſalibus neutris, radice ari, & cum primis ſquillæ, ſuccurrendum eſt leni emetico, quale conſtituit aqua tepida, butyro inſuſo permixta, & copioſe hauſta; vel etiam radix hyeſecacuanhæ in pulvere propinanda. Infantibus vero ex lacte congrumato, vel meconio intra ſinum ventriculi contento vomituriſſimis, convenit oxymel ſquilliticum, cum ſyrupo de rhabbaro mixtum exhibere.

§. V.

*Cuſa
vomitus
bilioſi.* Bilioſus vomitus, qui a digeſtione labefactata proficiſcitur, & fomitem ſuum in duodeno habet, præter abſorbentia & blanda laxantia mannata ac rhabbarina, perfectam admittit ſanationem, ex inſtauratione roboris ventriculi ac inteſtinorum: quam remota, ſenſim ſaburra, Elixir noſtrum viſcerale, diutius, & cum conjuncta recta vivendi ratione, & corporis exercitatione uſurparum, feliciter præſtabit. Et uti hoc bilioſi vomitus genus chronicum eſt; ita magis acuti, & ſæpius ſontici eventus eſt illud, quod a

vehementiori ventriculi ac ductuum biliferorum ſpaſmo, ab iracundia concitato, originem trahit. Tum convenit bilis acrimoniam diluentibus, acidulis remediis, ſpiritu nitri dolci, ac vitrioli, abſorbentibus, ebore foſſili, cancerorum lapidibus &c. contemperare; ſpaſmodicos vero motus blandis antiſpaſmodicis ac anodynis delinire; junctis evacuandi fine, potiunculis rhabbarinis. Ubi vero ſubeſt coagulum aut calculus felleus, ei reſolvendo non eſt præſtantius ſubſidium thermis Carolinis, aut acidulis quibuſdam tepide adhibendis. Ubi nimia vaſorum biliarium laxitas vomituum chronicorum cauſſa fuerit; conducunt roborantia, ex quibus palmam obtinet cortex chinæ, caſcarillæ, eſſentia gentianæ, & tincturæ martiales, in aquis vinoſis propinandæ.

§. VI.

Qui ab acri materia, nervis ventriculi inſidente ſuboritur vomitus, & a retropulſa podagra, arthritide, aut intus acto eryſipelate natales mutatur: præter blanda ſedantia, & motus expulſioni materiæ minus proportionatos coercentia, exanthematicæ materiæ revocationem expoſcit. Hanc obtinere licet, dato pulvere diaphoretico, qui ſanguinis motum una cum peregrina materia foras educit, eo ſeſilicis, ſi refracta camphoræ doſis ipſis addatur, & externe clyſteres, frictiones, & pediluvia conjungantur. Ubi venena, vel venenati cibi malum produxerunt, nihil certius auxilium præbet, quam largiſſimus lactis, & pinguium potus, mox ab initio porrigendus; quo & ſpicula veneni obrunduntur, & hoc una cum liquido vomitu rejicitur. Hinc multis etiam medicis in more eſt poſitum, ut vomitum, qui in peſte, febribusque malignis a miſmate, tunicas ventriculi ſtimulante concitatur, data cum potu tepidiori ſufficienti radice ipecacuanhæ adgreſſiantur, tumque acida cum diaphoreticis maritata exhibeant; ſed cave, ne vomitum hoc in morbo concites, ſi

*Vomit-
tus ab
acri, ve-
nenata
materiæ
ſuboritur
curatio.*

jam inflammatio ventriculi præsto fuerit.

§. VII.

Vomitus a saburra intesti-
norum
curatio.

Sæpius saburra acris, acida, biliosa ad intestinorum volumen devoluta cum colicis doloribus vomitum excitat: quo in casu oretenus exhibere convenit 1) diluentia ac demulcentia, decoctum avenæ, cornucervi, serum lactis, vel oleum amygdalarum dulcium ad aliquot cochlearia; 2) antispasmodica, ex quibus liquor anodynus mineralis cum aliquot guttulis olei macis verimaritatus, & cum aqua frigida exhibitus, omnibus palmam reddit dubiam; potest quoque Laudanum Sydenhamii in usum trahi; atque etiam Spiritus vitrioli rectificatus vel solus vel cum Liq. anodyno mixtus & cum aqua frigida propinatus, idoneum in vomitu, si temperamentum est cholicum, remedium existit. 3) blanda laxantia, quæ inter clysteres cunctis reliquis palmam eripiunt, junctis oretenus manatis, rhabarbarinis, vel etiam salibus thermarum solutis. Clysteres ex solo lacte parati in vermium præsentia sunt convenientissimi: quibus etiam obviam eundem est resolventibus amaris, atque laxantibus mercurialibus, si modo sub horum usu sufficiens lac aut oleum amygdalarum exhibeatur.

§. VIII.

Præservativa
methodus
metho-
dus.

Præservativa methodus locum habet maxime, ubi ex nimia primarum viarum laxitate cruditate perpetuus fit proventus, & inde periodica eveniunt vomitiones. Tum regio ventriculi pariter, ac dorsi circa primam lumborum vertebra, cui per ligamentum quoddam annectitur ventriculus, ab omni frigore munienda est. Cibi saluti, acidi, crudi, infumati, dyspepti studiose vitari; nec pro potu cerevisia, sed decoctum quoddam conjuncto vini veteris generosi, potissimum Burgundiaci usu, adhiberi debent. Nocet quoque nimis somnus; magis vero utilis est moderata corporis exercitatio. Ad tempus sub epulis, Eliziriis visceralibus uti; nec non

balnea martialia, & remedia liquida ex marte parata usurpare expediet. Et denique per vices blando laxante canalem alimentarem purgare juvabit.

Cautelæ practicæ:

§. I.

Vomitones, materia nondum remota, adstringentibus & anodynis sistere velle; perniciosissimum est; sopitis enim moribus, graviora succedunt symptomata, magnæ præcordiorum anxietates, cardialgiæ, inquietudines &c. Quamobrem roborantibus etiam ante excretionem materiæ datis, plane non cedere solet vomitus. Locum hæc remedia tantum habent, ubi motuum magis vitium subest, nec amplius peccat materia, sive inter motum & materiam nulla est proportio, vel si hæc paulo subtilior, parcaque mole peccaverit, & motus vomibundi sint vehementiores.

Cautela
circa se-
dantia,
& robo-
rantia.

§. II.

Hinc si vomitus in infantibus præsertim ac pueris a tussi ferina convulsiva, ob consensum, quo ventriculus cum septo transverso pollet, provocatur, tunc omnino expedit sedantibus ac anodynis illum coercere, Cui scopo serviunt syrupus papaveris albi, & rhæados, extractum croci, oleum amygdalarum dulcium cum spermate ceti permixtum, necnon pulvis Marchionis, cum succino, cinnabari, & uno alterove grano theriacæ coelestis datus utilissimus erit. Extrinsecus alvo intundi possunt clysteres; & pectus, atque regio epigastrica mungiturimento, quod habeat butyrum majale viride & rubrum, axungiam taxi, vulpis, pinguedinem castorei, & pauxillum olei hyoscyami.

Vomitus a
tussi co-
vulsiva
provo-
cati
curatio.

§. III.

Vomitum gravidarum ex regurgitatione sanguinis ad ventriculum, qualis etiam in puellis, foeminisque a menstruum retentione, & in viris ab hæ-

Curatio
vomitus
a conge-
stione
hæ-

sanguis
nis ad
ventri-
culum.

hæmorrhoidum suppressione oritur; temperantibus, blandis laxantibus, clysteribus, roborantibus, & optime venæsectione, aut excretionum debita revocatione, profligari potest. Emetica his in casibus data veneni instar sunt, & vel cruentam movent vomitionem; vel, uti mihi aliquoties videre licuit, inflammationem ventriculi causantur funestam.

§. IV.

Emetica
post ira-
cundiâ
pessimi
sunt ef-
fectus.

Biliosus vomitus, qui post iracundiâ, maxime inter paltum movetur, cum spasmo præcordiorum, caute tractandus, & curatio potissimum ad relaxandum spasmum dirigenda est. Multis in hoc casu familiare est, vomitoria vel purgantia propinare; sed etiam atque etiam omnes sinceros horror medicos, ut ab his summo pere abstineant remediis. Funesta enim non raro ex illis observavi symptomata, ac lethalem sæpenumero ventriculi inflammationem: quod prolixius olim in dissertatione de vomitorio post iram veneno deduxi.

§. V.

Vomi-
tionum
matuti-
narum
curatio.

Quando conatus ad vomendum, quin ipse vomitus circa tempus matutinum invadit, qui frequens esse solet iis, qui nimis spirituosos potibus, præsertim circa somni tempus utuntur: tum & pulveres præcipitantes, acidam cruditatem involventes, & ea, quæ digestionem roborant, ut pulvis stomachalis BRICKMANNI, conditi cortices citri ac aurantiorum &c. conveniunt.

§. VI.

Vomi-
tus
chroni-
cia mæ-
rore cu-
ratio.

A diuturno mœrore si chronicus, quem aliquoties observavi, certis intervallis nascitur vomitus: præstantissimum auxilium deprehendi in analeptis & maxime omnium in balsamo meo sic dicto vitæ, ejusque interno pariter ac externo usu, præsertim si equali portione cum liquore anodyno combinetur. Non minus proficit balsamum embryonum, aqua cinamomi cydoniata, ac vinum generosum.

§. VII.

Quando vomitus, tanquam symptoma paroxysmi febrilibus jungitur, quod pluries evenit in quotidiana & simplici & duplici: convenit, si nihil contraindicet, lene emeticum propinare. In variolis & morbillis facta eruptione critica sponte cessat, & mixtura ex aquis destillatis, succo limonium vel citri, & sale ablynthii concinnata egregiam quandoque operam præstat, quæ etiam in tertianis suo usu haud caret.

§. VIII.

Ex calculi dolore abortum vomitum instar omnium, liquor meusanodynomineralis, vel spiritus nitri dulcis bene præparatus sedat ac consopit. Conveniunt quoque clysteres oleosi, balnea aquæ dulcis, nec non oleum amygdalarum dulcium, interne sumtum, atque antispasmodica. Vomitus herniosorum, ac iliacorum raro remittit, nisi emolliatur atque reponatur tumor herniosus.

§. IX.

Equidem HIPPOCRATES l. 6. Epid. vomitum vomitu curari scribit; quia vero alias contraria contrariis curantur, nonnulli medicorum hoc dicto similia similibus curari posse existimant. Sed error est: si enim vomitu curatur, etiam per contraria fit sanatio: nam sæpe iste fit a vitiosa humorum ibi stabulante saburra & male concoctis in ventriculo succis, quos natura extrudere sua sponte molitur. Quod si non sufficienter valet præstare, arte adjuvanda. Quapropter monendi sunt tirones practici, ne hoc dicto abutantur, vel illud perperam applicando obstant. Nam pessime peccare posset, qui ubi acris caustica materia ventriculi tunicis inhaerens, vel sanguis in vasis stomachi stagnans vomitus causa esset, eum vellet arte præsertim paulo activioribus proritare.

§. X.

Ad vomitum nimium sedandum plurimum juvat in lecto jacere & quiescere; nam corporis commotio protinus

Vomi-
tus fe-
brilis
curatio.

Vomi-
tus a
calculi
curatio.

Ubi vo-
mitus
vomitu
curetur.

Quies
sedat
vomitu-
nus

nus eum irritat & auget: quæ obſervatio in praxi multum ulus atque utilitatis adfert.

§. XI.

Vomitus febrilium exanthematicorum.

In febrilium exanthematicarum principio e.g. peſtis, eryſipelatis, variolarum natura ſæpius molitur vomitum, qui neutiquam ſiſti vel adſtringentibus tractari debet: tum utilia ſunt, quæ leniter cuticularem excretionem procurant: nam ubi exanthemata in corporis ſuperficie apparere incipiunt, ſponte vomitus ceſſant.

§. XII.

Vomitus hystericalium.

Vomitus hystericalium contumaces non repente debent cohiberi per medicamenta opiata vel adſtringentia: vidi vehementes artuum convulſiones & miras præcordiorum anxietates ſucceſſiſſe: quibus ceſſantibus vomitus redibant.

§. XIII.

Vomitus a ventriculi debilitate.

Ubi vomitus frequentiores ſtomachum infeſtant, eumque infirmum reddunt, ciborum & diætæ exacta eſt habenda ratio: præſtat parum cibi & tantum idonei, conſeſtu facilis, ſed crebrius aſſumere: quibuſdam lac dulce cum pane candido confert, ſed non omnibus: potum aquæ fontanæ purioris & frigidæ ad firmandum ſtomachum & a vomendi conſuetudine præſervandum plus, quam aliud potus genus conferre, experientia edoſtus aſſeverare poſſum. Vinum Gallicum dictum Pontack generoſum & adſtringens, item Burgundiacum præ aliis & maxime vino Rhenano, quod hypocondriacis præfertim minus utile, eligendum eſt: juſcula ex carne aſſa meliora illis, quæ elixa parantur.

§. XIV.

Vomitus curatio, a reſpectu aborti.

In morbis ubi natura motu quodam ſalutari critico in infeſto humore ad corporis ſuperficiem propellendo occupata eſt, ſicuti evenit in arthriticis, eryſipelaceis affectionibus, cauſſime externa ſunt applicanda, & inter hæc præcipuè camphorata. Vidi non ſemel a ſpiritu vini camphorato, certis in caſibus utiliſſime applicato, corporibus

infirmis podagra, hepatitide, pleuritide ſpuria, quæ etiam rheumatismi ſpecies ſunt, relegata inde materia nocente ad ventriculi & inteſtinorum nerveas tunicas vomitus, & cardialgias ſingultuoſas ſumme anxias, inde oborta fuiſſe. Quo caſu ſi quis imprudenter adſtringentibus & opiatibus vomitiones ſiſtere, vel purgantibus vitioſam materiam per alvum depellere velit, iſ proſecto quam facile in corporibus infirmioribus lethalem inflammationem inducere poterit.

§. XV.

Immoderatio & diuturnior gravidarum vomitus, qui prioribus maxime menſibus fit, præſertim in iis, quæ tum veneris uſui nimium indulgent, & plethoricæ ſunt, ſanationem per ſpirituoſa, ſtomachum roborantia, vel adſtringentia, aut opiata minime recipit. Sed iteratas ſanguinis miſſiones intalo & quietem animi & corporis exigat. Ego potu aquæ fontanæ purioris, frigidæ, plus in eo, ſi nimius eſt, & abortum minatur, ſopiendo, quam aliis, remediis præſtitit. Quando vero analepſi opus eſt, unicum cochlear aquæ cinnamomi cydoniatæ a cibo ſufficit.

Curatio vomitus gravidarum.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

VIR triginta circiter annorum, iracundiæ ſupra modum indulgens, jam aliquot abhinc annis, magnis imiventris torminibus, vomitione plerumque ſtipatis agitatus fuit. Laxantia, & cumprimis pilulæ polychreſtæ conſumpierunt quidem ſemper hoc malum; ſed ex levi cauſſa iterum recruduit. Et per noviffimum ſemestre ſævi in umbilicali regione dolores, cum gravâ cardialgia, atque acidis vomitibus quotidie ſerme invaſerunt; adeo, ut licet interdum per unum alterumque diem conquieſcerent, paullo tamen poſt eo acerbius infeſtarent. Vomitu primum reddebantur ingeſta minus digeſta, poſt vero humores acidi, pontici;

Vomitus curatio, a reſpectu aborti.

ſtoporem dentium, ardoremque faucium inferentes eructabantur: quid? quod niger interdum vomitus magna in quantitate exciperet. Cunctis vomitu rejeſtis, levabantur dolores; hi vero ſunt iterum cibis ſtatim redibant cum borborygmis, & fluctuatione abdominis conjuncti. Alvus ſubinde ſemper erat clauſa, nec niſi ſuppoſitoriis laceſſita reſpondebat; & urinae parum mehebatur. Si vomitio per aliquot ſucceſſive dies urgebat, leſto prorſus affixus erat miſer: contra vero vomitibus per quosdam dies ſilentibus, mox recuperabat vires, & magno fruebatur adpetitu. Tandem accedebant cedematoli pedum tumores, & abdomen infra umbilicum durum erat tenſumque. Quo in rerum ſtatu me accedebat, meamque anxius flagitabat opem. Ego niſi boni ſuſpicatus, prater pulverem abſorbentem, ordinavi blanda laxantia, & Elixir viſcerale baſſamicum: quod, licet primum levamen ferre deprehenderetur, paullo tamen poſt juſto videbatur calidius. Hinc ſilum curationis abrumpebat, & mali ſui majora in dies perſantiſcebat incrementa.

Epicriſis.

1. Quoniam in praſenti affectu urinae parcius redditur, alvus obſtructa eſt, vires conſumptae, abdomen durum tenſumque, & pedes tumidi ſunt, juſtiſſime accuſatur cachexia, in tympanitidem, vel hydropem aſcitem vergens, & vomitus conjunctus reſte vocatur cachecticus.

2. Tale malum ſuam originem a tono ventriculi & inteſtinorum prorſus deſecto, & inverſo repetit; nec paucam laſi hepatis aut lienis ſuſpicionem movet. Hinc enim fit, ut primum omnium langueſcat diſeſtio, qua cibi aſſumpti mox indigeſti reduntur, aut in cruditates viſcidas, acidas, & a permixta bile, quae ſtaginando iners redditur, nigras dehinc: quae accumulatae tormina inte-

ſtinorum pariunt, tumque vomitu rejiciuntur.

3. Neque enim adpetentia, qua ſub vacuitate vomitionum gavifus eſt aeger, a naturali ventriculi robore, atque vigore ſuos mutuatur natales; ſed non niſi ab acidis primarum viarum cruditatibus derivanda eſt.

4. Si conſulamur experientiam, deprehendemus, rarius convaleſcere cachecticos, vel etiam hydropicos, qui omnia ingeſta, ſive ſimilia alimenta, ſive medicamenta ore rejiciunt. Namque ex alimentis nihil omnino retinetur, aut ſane parum, & ne hoc quidem, quod in chylum commutatur, ob bilis ac liquoris fermentativi inertiam, motuſque perſtaſtici debilitatem, in ſuccos generoſos ac ſpirituoſos tranſire poſteſt. Inde vitales humores acres redduntur, ac ſicciores, motuque inteſtino aſſidue perennante magis atteruntur: quamobrem calor tandem hecicus, ingens languor, & debilitas corporis, tabes, ac ipſa denique mors ſequuntur.

5. In tali rerum ſtatu eſt quidem omnino medela locus, ubi nondum invaluit malum: quando vero atonia nimias jam cepit vires & viſcerum quaedam laſio acceſſit, fruſtranea certe eſt ac irrita omnium medicaminum efficacia. Tum enim nec thermae, quae alias in ejuſmodi morbis adhuc recentibus tollendis ſunt efficaciffimae, tuto adhiberi poſſunt; tantum abeſt, ut earum uſu hydropem, atque mortem magis acceleremus, quoniam debilitas partium ſolidarum impedimento eſt, quo minus hauſta aquarum moles iterum excernatur.

OBSERVATIO II.

Virgo viginti annorum, vita ſedentariae addiſta, & potu pariori, more ſequiori ſexui ſolemni uſa, ob menſtruorum minus ordinatum fluorem, ſumſit aliquando per quosdam ſucceſſive dies inſuſum purgans, quod folia Sennae ſine ſtipitibus, helleborum nigrum,

Vomit
tus poſt
nimias
alvi de-
jeſtio-
nes.

grum, polypodium, herbas uterinas, cephalicas, & species aromaticas habebat. Inde alvum quidem copiose deiecit: at quum absoluta potatione, irae exardesceret, paulloque post fructus horæos ingurgitaret, prehendebatur enormi vomitu. Hic enim per plurimos dies contumaciter insistebat, & assumpta quævis, alimenta pariter, ac medicamenta eructabat; languentibus sensim viribus, & alvo existente obstructa. Quare consultus ego injiciendos curavi clysteres emollientes, cum liberaliori salis communis dosi, stimuli loco remixtos; & regioni præcordiali imponendum chartæ bibulæ, balsamo vitæ meo imbutum frustum. Intrinsecus dedi pulveres temperantes ex lapidibus cancrorum, nitro, pauxilloque theriacæ cælestis compositos; hosque cum liquore anodyno alternari jussi: quibus obtinui, ut paucio tempore hæc adfectio molestissima cessaret.

Epicrisis.

1) Notari in hoc casu meretur, quod alvi defectiones a purgante concitatas, enormes exceperint vomitiones. Fieri hoc solet in ejusmodi potissimum subjectis, quæ impuros succos, & præsertim copiosam in hepate collectam foveant bilem; quippe quæ, si vita sedentaria, potus parcius, ac mensium defectus accesserint, ad vehementes tam per alvum, quam vomitum excretiones, valde sunt proclivia; longæque magis si levis irritatio, vel persumtum purgans, vel vomitorium, vel excandescens, vel etiam cibos fermentescibiles facta fuerit. Tum enim fit, ut non modo contenta ventriculo & intestinis actu inharrentia rejiciantur; verum etiam colluvies vitiosorum humorum ex toto corporis habitu, ad adfectam partem ruat, ibidemque subtiliorem serosam portionem dimittat.

2) Idem contingit in nostro casu: postquam enim infuso laxante alvus nimium irritata fuit; hujus excretionem

cessante, remanet utique aliqualis ventriculi ac intestinorum debilitas. Quum itaque gravis paullo post accessisset iracundia, cujus vis in spasmodica primarum viarum strictura consistit; ac subinde fructus horæi assumpti fuerint: hi, adaugendo motum fermentativum, stimularunt nervosas ventriculi tunicas. Unde non solum intestinorum peristaltis, restante alvi obstructione, inversa; sed omnis fere ex toto corpore humorum motus ad ventriculum directus est: quare non potuit non contumax ac diuturna infestare vomitu.

3) Quod si igitur tali in casu, injectis clysteribus, & hinc procurata alvi defectione, humores a ventriculo derivemus; biliosam hujus saburram datis temperantibus obtundamus; effrænes motus, exhibitis blandis anodynis consopiamus; & applicato extrinsecus balsamo vitæ debilitatum ventriculi robur instauremus: vix fieri potest, quin brevi tempore nostris votis potiamur.

OBSERVATIO III.

Vir obesus, quinquaginta annorum, corpore aliquando insigniter calefacto, frigidum copiose ingerebat potum, ipsumque ventriculum frigidiori exposebat auræ; unde statim vehementer debilitatus, adpetitu deiciebatur, æstu præter naturali urebatur, & assiduus torquebatur vomitionibus. Has medici coercere molientes, propinabant remedia adstringentia, opiata, & electuaria ex conserva rosarum, hæmatite, spirituque vitrioli parata. Verum crescebat magis malum, & perlex durabat hebdomades; tum enim vires prosternebantur, corpus contabescibat, frigoreque percellabatur, continuus circa ventriculum vexabat dolor; alvus contumaciter adstricta nihil ferme reddebat, & urina, quæ primum flammea erat, clara limpidaque sine sedimento mingebatur. Data nervina & anodyna ad tempus sistebant

Vomit. in-
congrue
tracta-
tus le-
thalis.

vomi-

vomitum, ſed mox ſequēbatur inſignis præcordiorum anxietas, non niſi a recurrente rursus vomitu mitigata: injeſti etiam clyſters hunc revocabant. Quare ad ſudorem eliciendum, exhibebatur inſuſum calidum herbarum mentharum, maſtichis, accinamomi: at ejus ne guttula quidem promanabat, licet antea magnam ſudandi proclivitatem habuerit. Adaugebat potius hoc inſuſum vomendi vehementiam; accedebat vertiginofa moleſtia, atque tandem mirum in modum emaciatus, tranſactis ſub hoc malo duodecim hebdomadibus, animam exſpirabat.

Epicriſis.

Nihil eſt, quod tam vehementer & tam ſubito naturalem ventriculi functionem, motumque & tonum valet deſtruere, ac valde frigidus potus, corpori calefacto & ſudore diſſuſiſſimo ingeſtus; utpote qui ſanguinem in ventriculi vaſis mox coagulat, ejuſque liberum progreſſum ſiſtendo, per multa & horrenda, quæ innumeris mihi conſtant exemplis, incommoda producit. Inde enim ſpaſtica & anxie circa præcordia ſtriſtura & anguſtia, nauſea, inappetentia, vomitiones, phlogoses, & exaſtuationes ſanguinis moleſtæ ſuccedunt; quæ niſi convenienti medicina arceantur, vel cito in inflammationem vel in exulcerationem, in heſticam febrem tranſeuntem, uti in noſtro caſu factum, terminantur. Ex eo jam liquido patet, quam imperite & imprudenter medici illi agant, qui mali originem non attendendo, crebras vomitiones & dolores adſtringentibus & opiatibus compellere volunt; cum potius, ubi talis ſubeſt cauſa, quæ cruorem fundendo & reſolvendo, liberiores ſanguinis per vaſa circuitum promovent, convenientia remedia & interne & externe cito admovenda ſint. Tanta fuit in noſtro ægro ſpaſmi in ventriculo violentia, ut valde remotas etiam nervoſas partes, vias nempe urinarias, corticem corporis cutaneum

& opticos in cerebro nervos in conſenſum ſive ſimilem ſpaſticum motum pertraxerit. Veriſſimum enim HIPPOCRATIS eſt dictum: Ventriculi conſuſio omnium conſuſio.

OBSERVATIO IV.

Generoſus vir triginta annorum, acutioris ingenii & conſtitutionis cholericæ, profundis mentis meditationibus in Matheſi & Philoſophia ſupra modum inhærens, ingentem toti corpori contraxit imbecillitatem. In regione epigaſtrica per intervalla tenſivas & ſpaſticas conſtriſiones, & vomendi conatus perſenſit; quæ pathemata per exceſſum in vino non parum aucta fuerunt. Aliquot jam per annos de dolore tenſivo & ardente in dextro hypochondrio verſus ſcrobiculum cordis conqueſtus eſt. Tuſſi quoque catharali, hyemali præſertim humido tempore, crebrius eſt obnoxius. Per annum vero & amplius ſingulis fere menſibus, vehementi in dextro hypochondrio præcedente dolore & ſpaſmo, vomitus, quibus copioſa & viridis bilis ejicitur, experitur. Poſtea evacuata bilioſa illa ſaburra appetit, & melius habet. Interdum etiam circa regionem lumbarem perſenſit dolorem, & poſt largiorem vini potum multum ſabuli per urinam ſecedit. Petiit nuper hic eruditus vir, cum hanc urbem tranſiret, a me conſilium. Ego ſuaſi ut proximo vere vel acidulas Schwalbacenſes vel thermas Emſenſes ipſi vicinas biberet, & a ſeriis ejuſmodi & profundis mentis ſtudiis abſtraheret, & aquam pro potu ordinario cum quarta parte vini dilutam biberet. Caterum quia alvi erat adſtriſtoris, frequentiores paſſularum rhabarbarinarum uſum commen-

Vomitus a bilis in duodecimæ ſtagnatio.

Epicriſis.

Cauſam hujus vomitus bilioſi & periodici ego a bile in veſicula fellea nimium congeſta & ſtagnante deducendam

dam eſſe exiſtimo. Mea namque eſt ſententia, in hypochondriacis, in quorum numero etiam præſens æger eſt, bilem viſcoſiorem nimia ſepius in quantitate in veſicula fellea colligi, ubi deinde mora acrior reddita, motu perſtaltico, quo etiam gaudet hæc capſula, inverſo, copioſe in cavitatem duodeni effunditur; idque non tantum in veſicula fellea, ſed etiam in ductibus hepaticis biliſis fieri, ut nimis inſarcti & diſtenti a ſtagnante humore biliſo cum impetu & vehementia ſeſe interdum exonerent, autumo. Cumque sæpe in ſimilibus a copia ſtagnantis bilis in ſuis receptaculis enatis affectibus, non ſine inſigni fructu aquis medicatis mineralibus, utpote quæ hepatis obſtructionibus referendis & expediendis aptiſſimæ ſunt, uſus ſum; ita quoque hic in vomitu biliſo periodico tollendo egregium effectum ab earum uſu repetendum fore judicavi.

OBSERVATIO V.

*Vomitus diu-
torius ex
tonia
primari
vitiu.* Splendida perſona, annorum quinquaginta, conſtitutionis tenerioris a multo jam tempore ventriculi inſtationibus laboravit, adeo ut circa ſcrobiculum cordis tumor inſtar ovi gallinæcei conſpiceretur; & alvus ordinario eſſet pigrior. Hic vir magni nominis æſtivis menſibus ob loci mutationem & peregrinationes frequentiores ſatis commode habebat. Cum vero autumnio fructibus horræis ſucculentioribus, præcipue pomis Perſicis, & uvis maturis incredibili in quantitate veſceretur, per totam fere hyemem ægrotabat. Aliquot enim a prandio horas tenſiones circa præcordia cum vomendi conatu, extremorum frigore & corporis laſſitudine experiebatur; poſtea vomitus ſucceſſerunt valde pituitosi, qui quando paulo largius vinum Rhenanum bibebat, erant acidiffimi, ut dentes ſtupeſacerent, & argentea vaſa viridi colore inſcicerent. Nunquam autem vomitus vehementiores fuerunt, ac ſi alvus adſtrictior, & conſtitutio aeris

aquilonaris eſſet, aut ſi cibos induratos, pingues, quibus delectabatur, ſupra modum aſſumeret. Vomitus interdum erant nigricantes, qui Medico & adſtantibus ſuſpicionem cruoris intermixti afferebant. Sed ego poſtea in conſilium vocatus, cum tales vomitiones & amurcam viſcidam ex bruno-nigram obſervarem, eam ab aqueo phlegmate liberavi, & in cochleari argenteo, facta evaporatione, exſiccavi; quæ ſtammæ admota ardebat, minime vero ſcetorem ſalis volatilis, qualem ſanguis accenſus ſpargit, naribus exhibebat. Accuratori itaque facta inquisitione, ante quatuor dies decoctum ſuccoladæ ſplendidum hunc virum potaſſe intellexi. Quare ex hoc, vomitus, qui putabatur cruentus, cauſam clarius aperui; præſertim cum cognoſcerem ex familiaribus, crebrius ægrum uti hoc decocto, & vomitus ſemper eſſe gravioreſ; quando toſſis cathartalis inſeſtaret, alvus eſſet ſtrictior, & ipſe ad ſomnum conciliandum deſtinatis uteretur pilulis. Ceterum integer erat adpetitus, ſed vir ſplendidus non modo diæticæ leges ſpernebat, verum nec cujuſvis generis medicamina, utut ipſi proficua aſſumere volebat. Interim optimum levamen a potu aquæ frigidæ, pulvere lapidum cancrorum, & eſſentia corticum aurantium cum Julepo quodam ſumto perſenſicebat; atque etiam a potu thermarum Carolinarum egregium experiebatur auxilium.

Epicriſis.

Frequentiorum, quibus hic ægrotans adfectus eſt, vomitionum origo non niſi magnæ ventriculi ac inteſtini duodeni atoniæ, ac debilitati, quam fructus horræi, inſigni copia comesti nimium auxerunt, in acceptis eſt ſerenda. Quando enim virtus harum partium perſtaltica deſtructa & labefacta eſt; ſtagnant in iis cruditates, ac biliſi humores, & ob eandem diuturniorem moram, corruptionem potiſſimum

acidam ſubeunt. Talis itaque mole pariter ac acrimonia nociva colluvies ſtimulat nervoſas tunicas, eaſque ad motum præternaturalem, vomitus cauſſam proritat. Docemur præterea ex hoc caſu, vomitus nigros non ſemper a ſanguine, in ventriculum effuſo, ſuos natales mutuari; nec quovis periculi metu terreſcere: ſed ſæpenumero ab alia cauſſa proſiciſci, quæ hoc in affectu potui ſuccoladæ debetur. Quapropter opus utique eſt, ut ejuſmodi amurcam vomitu rejeſtam, medicus rerum phyſicarum atque medicarum probe peritus, per comoda experimenta rite examinet, tumque demum iudicium de ea ferat.

OBSERVATIO VI.

Vomit-
us diu-
turni a
ventri-
culi de-
bilitate
poſt fe-
brem
ardentē
relictā.

Vir annorum quadraginta, arti venatoriæ deditus, naturæ robuſtioris, ante quadriennium, vehementi motu & curſu diutius continuato deſatigatus, ſudoreque diſfluens, ad reſtinguendum ſitis incendium, frigidæ cereviſiæ hauſtum largiorem ingurgitavit. Inde vero factum eſt, ut protinus cunctis viribus dejeſtus, prævia horripilatione, in continuam ardentemque febrim, aſſiduus vomitionibus, præcordiorum anxietatibus, atque delirio ſtipatam incideret; quæ per ſex integras perdurabat hebdomades. Quibus elapſis, naturæ magis beneficio, quam remediorum, quorum pauca aſſumerat, ope, divina favente gratia convaluit. Verum ab hinc tanta infirmitate affectus permanſit ventriculus, ut huc uſque crebris vomitibus cum naſea junctis fuerit obnoxius. Hi enim priori biennio ſingulis binis hebdomadibus inſeſtabant; poſthæc autem quovis menſe redibant, & hunc morem adhuc dum ſervant, inſtar febrilium ſemper invadentes acceſſionum. Namque primum circa epigaſtricam regionem & hypochondria tenſivum, atque gravativum perſentit dolorem, quem horror & refrigeratio pedum manuumque, mox totius corporis excipit; hunc ſequitur ingens cum vomitibus æſtus, atque tum magna humo-

rum, & interdum puræ lymphæ copia rejicitur: qualis paroxyſmus per duodecim circiter horas adſigit. Simulac ille invadit, lectum petere tenetur æger, ſequæ quietum continere; quoniam ad levem corporis agitationem, cum crebrioribus vomitibus, majores junguntur præcordiorum anxietates. Reliquo tempore adeſt quidem aliqualis appetitus, ſed non niſi cibos cocto faciliores, juſcula, ova ſorbilia, pulſes ex oryza, milio, & lacte conſectos, aut fructus horraos & varias olerum ſpecies cocta aſſumere poteſt: contra carnes, cum primis inſumatas atque piſces non ſolum magno averſatur ſaſtidio, verum majores quoque ex illis ſentit moleſtias. Si frigus admiſerit corpori, aut vehementiori animi induſſerit pathemati, protinus revocatur mali acceſſio; qua finita, ſatis bene habet, ſuoque commode fungitur officio. Quum meum peteret conſilium, ſuaſi, ut puram aquam ſimplicem cum quarta vini parte remixtam biberet, & ob alvi, de qua conquerebatur, ſegni- tiem, inſuſum rhabarbarinum cum paſſulis interdum ſumeret; præterea vero Elixirio meo viſcerali, cum extracto ablynthii, & aliquot baſſami vitæ guttulis permixto uteretur.

Epicriſis.

Gravia ſunt, & innumera mala, quæ a potu frigido, improvide, & corpori calenti ingeſto proſiciſci deprehenduntur. In hoc enim ægotante inde pullulavit febris acuta, vomitibus ſtipata, qui poſthæc, ſanata febre, certis paroxyſmis redeunt, per integrum durarunt quadriennium.

2) Deinceps ex hac morbi hiſtoria adnotare licet ſingulare robuſtioris naturæ exemplum; quo noſter a grotus febrim acutam, cum deliriis, & procul dubio ventriculi inflammatione junctam, perque ſex hebdomades in hærentem, adhibitis paucis medicinis ſuperavit; quam vel centum alii, abſque vitæ diſcrimine haud potuiſſent ſuſtinere.

3) Notabilis quoque eſt, poſt hunc

gravem morbum reliſta febrilis illa periodica affectio, quæ rectiſſime dici poteſt emetica. Nam originem ſuam reperit ex ventriculo, a febre dicta acuta debilitato, & per periodos ſpasmotica conſtrictione per totum corpus propagata affectio. Ubi iterum peculiaris, & quaſi individualis natura vigor eſt attendendus; quo, ſalutari plane conſilio, humores vitioſi, ob primarum viarum debilitatem in iis collecti, atque a ſanguinea etiam maſſa ad eas conjeſti, per vomitum expelluntur periodicum.

OBSERVATIO VII.

Vomitus a retro-pulſo eryſipelate lethalis.

Vir annorum quinquaginta, a continuis mentis laboribus, ac lucubrationibus valde deſatigatus, & ad cachecticam fere perductus conſtitutionem, cathariſq; & rheumatismis crebro obnoxius, noviffime elapſo autumno, poſt vehementiorem exandefeſcentiam, præviis horripilatione, præcordiorum anxietate, & febrili æſtu, gravi eryſipelate, totam dextri pedis tibiā occupante, corripiebatur. Vocatus chirurgus pulverem ex farina fabarum, ceruſſa, bolo rubro, & camphora paratum, pedi applicabat; unde æſtus tenſivusque illius dolor evaneſcebat quidem; at anxietas præcordiorum conſtrictiones, ſumma ſpirandi anguſtia, vomendi moleſti conatus, ac denique, prævio magno ſpasmus, humorum limpidorum, ac pituitoſorum vomitiones, preſſo ſequiebantur pede. Has accerſitus medicus ſpeciebus de hyacintho, cum terra Catechu, & aliquot extracti anodynigranis maritatis ſopire ſtudebat: ſed paullo poſt accedebat ſumma virium proſtratio, per aſſiduas vigilias, & inquietudines mirum in modum aucta; mox excipiebat ſingultus, per bidduum in hærens, & undecima demum die mors vitæ finem imponebat.

Epicriſis.

Vomitum hic eſt ſymptomaticum a

materia eryſipelacea ad tunicas ventriculi retropulſa, eaſque ad ſpasmus irritante ſubortus. Quemadmodum vero natura in rheumatismis arthriticis, ac eryſipelaceis, noxium, & æconomix animali inſenſum humorem, maxime per corporis peripheriam evacuare anſtititur: ita quoque ad abigendas, quæ a repulſa tali acri materia proveniunt, moleſtias nihil eſt convenientius, quam per antiſpasmotica & diaphoretica, eam ex loco, cui inſidet, ruſus excutere, & ad perſpirationem diſponere. Cui ſcopo obtinendo ego certe non præſentius liquore meo anodyno, liquori bezoardico nupto, unquam interveni auxilium. Contra vero nihil eſt pernicioſius, quam ope adſtringentium pugnare his in caſibus, maxime omnium in corporibus, quæ impuriſſeant ſuccis, & virium inſigni laborant imbecillitate: uti ſunt ſenes, & gravi ac diuturno quodam morbo deſatigati. Complures proſecto novi, qui per intempetiſtimum externorum uſum, præſertim ſi interne copioſa refrigerantia, ſalina, purgantia &c. fuerunt adhibita, citra ſuam & medici opinionem, cito occubuerunt. Eandem quoque cenſuram meretur camphora, ejuſque ſpiritus, in tumoribus eryſipelaceis diſcutiendis, tantis nominibus a vulgo chirurgorum pariter ac medicorum undique deprædicatus. Quamvis enim non omnem in ejuſmodi affectibus camphoratiſ derogem virtutem; attamen vel centies obſervavi, quod ſi nimis mature, ubi in expellendo noxio humore adhuc occupata eſt natura, ad mota fuerint, vim exſeruerint repel lentem, inſelici ſæpius ſucceſſu. Nihil tamen minus concedi optime eorum uſum poſſe cenſeo, ubi ad exitum pro perat affectus, eo quidem ſine, ut partibus per decubitum materiæ debilitatiſ priſtinum reddatur robur. Quod diſcrimen ut probe obſervare diſcant omnes arti navantes operam, diligenter hortor.

OBSERVATIO VIII.

Vomitus ex angustia duodeni lethalis. Vir septuagenario major, nullis fere ob singulare naturæ robor per totam vitam agritudinibus obnoxius, binis abhinc annis de dolore lumborum, inappetentia & lassitudine cœpit conqueri. Hyemali superioris anni tempore, ob causam coram judicio gerendam, Magdeburgum profectus, ob res ibidem non ex voto succedentes, non modo perturbato fuit animo; sed accedentibus etiam sub gelidissimo cœlo crebris occupationibus, domum redux, ingenti virium languore, ciborum fastidio, atque anxio & constrictorio circa dorsum & cordis scrobiculum dolore, cum horridulis & æstuosis, quæ alternabant, commotionibus stipato prehendebatur. Jungebantur intestinorum tormina, & contumax alvi obstipatio, ac denique vomitio, qua cuncta & alimenta & medicamina reddebantur, accedebat. Dicebat enim æger, se intrinsecus infra ventriculum quandam perfentiscere angustiam, quæ liberam ingestorum transitum impediendo, eorundem ad ventriculum regurgitationem efficeret: quod si vero, ex liquidis quædam in intestina descenderent, protinus imi ventris sequi tormina. Præterea superveniebat inquietudo continua; nec ulla utut alias efficacissima remedia, emollientia & antispasmodica, tam interna quam externa, quicquam ferebant levaminis; sed vomitu singultu & aphthis in œsophago & ore sensim invalescentibus, per quatuor fere menses pressus ægrotans, & tandem viribus carneque prorsus exhaustus, diem obiit supremum.

Epicrisis.

Gravem hunc & immedicabilem affectum medici, vel ex calculo majori renibus inhaerente derivabant, vel calculo cystidi, ac ductui selleo firmius impacto attribuebant, eo potissimum symptomate ducti, quo æger spasmodum

& dolorem in dextro latere circa cordis scrobiculum percepit. Verum ego neutri harum causarum, deficientibus, quæ illarum præsentiam indicarent, sufficientibus signis, subscribere potui; sed potius quandam intestini duodeni circa flexuram, in fine ejus angustiam ac coarctationem, liberum ingestis ad inferiora intestina transitum denegantem, malo causam præbuisse autumavi. Hæc autem angustia ingenti frigori, ad dorsum penetranti, non minus ac graviori excandescentiæ deberi videtur. Ubicunque enim continuæ & quotidianæ ingestorum evomitiones infestant, causam harum non tam in humorum intemperie, quam potius in vitio partium solidarum, & potissimum in angustia canalis, sive in principio, sive in fine intestini duodeni, vel etiam in ileo ponendam esse, multis rationibus convictus credo. Neque enim mihi, nec aliis auctoribus defunt exempla, quod in duodeno, ileo, vel alio intestino, dissecis corporibus, callosa quædam obturatio fuerit inventa; quæ dum transmittendis humoribus obicem ponit, & motus peristaltici inversioni ansam præbet, atrocissima producit symptomata. Quemadmodum vero acre frigus senilibus corporibus generatim est insensissimum; ita præsertim ii, qui valetudinarii, & spasmo obnoxii sunt, a frigoris & venti aquilonaris ad lumbos accessu sibi cavere debent. Ex anatomicis enim constat, quod circa initium lumborum situs & concursus partium exquisitissimo sensu præditarum reperiatur; quarum læsio totam omnino vitalem œconomiam turbare potest & pervertere. Occurrunt nimirum ibidem sita orificium ventriculi sinistrum, tendines diaphragmatis, finis & flexura duodeni, flexura coli, plexus mesentericus magnus, & ramus arteriæ mesaraicæ: quorum omnium teneriori structuræ frigus est inimicissimum.

CAPUT VII.

DE

DYSENTERIA.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

AD spasmodicos & convulsivos affectus summo jure etiam illa cruenta dejectionis est referenda, quam, strictius sumto nomine, dysenteriam vocant medici, & quam per rheumatismum intestinorum cum ulcere COE- LIUS AURELIANUS, per febrim ad intestina conversam solertissimus SYDENHAM haud inepte cognominarunt. Ea enim reapse nihil est aliud, quam motus intestinorum peristalticus, ab inhaerente eorundem tunicis humore caustico, exulcerante, ad convulsivum usque gradum auctus, crebram desidendi cupiditatem, ipsamque frequentem sordium mucoso biliosarum, plus minus sanguine, vel sanie tinctarum dejectionem, cum vehementibus tormentis, ac febrili commotione stipatam inferens.

§. II.

Distingui meretur hæc adfectio ab aliis alvi fluxibus, utut torminosis, quos vocare solent diarrhoeas. Primum enim in his tormina tanta ferocitate in canalem intestinorum nunquam sæviunt, quanta quidem in dysenteria solet esse. Neque in illis cruenti rejiciuntur humores, sed vel pituitosi duntaxat, vel biliosi colluvie permixti: qui a dysentericis cruenti, saniosi, putridi, ac foetidissimi redduntur. Quae deinceps ratione cholera discrepet a dysenteria, sequenti capite ostendetur.

§. III.

Majori opus est judicio ad dysenteriam a fluxu hæmorrhoidali, maxime torminoso distinguendam. Sanguis enim, qui sub hoc effunditur, sincerus

Hoff. Syst. Tom. VI.

plerumque existit, & stercorum sæpe numero comitatur dejectionem; cujus excretio tantum non semper insignis sanitatis post se trahit allevamentum. Contra vero in dysenteria, sanguis inter atrocissima tormina, ac tenesimum molestissimum exprimitur dilutior, raro sincerus, sed potius cum materia saniosa, spumida, ac foetida remixtus, nec sui rejectione ullum virium relinquit incrementum; tantum abest, ut in pejus sensim ruat valetudo. Raro etiam ab hac cruenta dejectione febris abest rheumatica: & denique peculiaris, quo grassari solet, tempus illam simul distinguit ab hæmorrhoidali fluxu.

§. IV.

Convenire porro cum dysenteria videtur, attamen ab illa discrepat affectus ille, qui Lutetii Parisiorum endemicus est, & quoscunque fere corripit advenas. Hic enim consistit in crebriori alvi dejectione, primum mucosa, deinceps cruenta; sed in eo differt a fluxu dysenterico, quod ei malignitate longe inferior, nec contagiosa, nec febre stipata sit, quolibet anni tempore invadat, & per longius tempus detineat ægrotantes, ita tamen, ut in publicum prodire, ac suis fungi queant officiis: quæ in dysenteria longe se habent aliter.

§. V.

Ipsa vero dysenteria dividitur in benignam atque malignam. Illa diutius intestat, mitius decurrit, & minus est periculosa; hæc autem non modo contagiosam præ se fert indolem, verum exitiosa quoque symptomata, ut febrem mali moris, summam viriam jacturam, exanthemata maligna &c. habet conjuncta, & ad summum ægros perducit vitæ discrimen. Non minus distinctio dysentericæ in rubram & albam notari meretur; in illa humores cruenti, in hac saniosi, filamentis carnosiss, & ulcerosis lineamentis, ab intestinorum tunicis abradis permixti rejiciuntur.

§. VI.

§. VI.

Subje-
cta dy-
sente-
ria.

Peculiaris profecto dysenteria morbus est, quippe qui rarissime sporadicus, sed ut plurimum popularis existit, tumque varios malignitatis gradus exhibet. Neque enim ulli sexui, nec ætati parit; sed tam foeminas, quam mares, tam infantes & pueros, quam adultos & senes infestat, adeo, ut nec teneri lactentes, in ipsis adhuc degentes incunabulis, ab illius tyrannide sint immunes. Cum primis autem malo huic sunt obnoxii plethorici, biliosi, & quorum ventriculus insigniori laborat debilitate; nec non eos gravius vexat, qui inordinata usi fuerunt diætâ, fructusque horraos, immaturos præsertim, ac fermentescibiles larga comederunt quantitate. Præ aliis etiam dysenteria ferocitatem experiuntur, qui sese calefactos per noctes potissimum frigidiori exponunt auræ: unde militibus in castris degentibus maxime familiaris est, & audit castrensis; atque cum per Pannoniæ oras sæpius & atrocius grassetur, quædam Pannonica solet adpellari.

§. VII.

Tempus
quo
grassan-
tur dy-
sente-
ria.

Attentionem quoque meretur ea tempestas, qua dysenteria stragem edere observantur. De qua si consulamus HIPPOCRATEM, ille *sect. III. aph. 2.* hyemem plus justo frigidiorē, & sicciorem, ver autem pluviosum & austrinum, ætatis dysenterias præcedere; & *aph. 12.* hyemem admodum austrinam, & pluviosam, ver autem siccum & aquilonium, iisdem producendis maxime favere scribit. Æstas huic malo opportuna, deprehenditur ferventissima, sub cuius finem, & autumnii initium, mense nimirum Augusto, & Septembri, ubi post solutum solis fervorem, interdiu molestum, noctes frigidiores, ventisque borealibus fœtæ sequuntur, malum excipit. Quare etiam, quo calidiores sunt regiones, eo frequentiores & graviores foveant dysenterias: unde eadem Ægyptis, Indis & Arabibus dicuntur endemiæ. Conf. BONTIUS *Lib. II. hist.*

nat. Ind. orient. Præterea etiam mali moris dysenteria solent grassari, quando ingens muscarum, erucarum, araneorum, & aliorum insectorum copia in aere observatur.

§. VIII.

Qui hoc malo corripiuntur, ante plenariam illius eruptionem diu de corporis lassitudine, ventre tumido, ac molestis quibusdam in eo motibus conqueri animadvertuntur. Quin imo jam a COELIO AURELIANO *Lib. IV. morb. chron. cap. 6.* olim observatum legimus, quod dysenterias plerumque vel diarrhœa, vel cholera, vel ventris tumor antecedit. Ipse morbus tantum non semper cum rigore febrili, aut saltem quadam corporis horripilatione incipit, quam calor, plus minus acris ac vehemens, cum pulsu celeri, ac intensa siti sequitur, torumque morbi decursus comitatur. Rigorem febrilem aut antecedunt, aut certe mox excipiunt atrocia imi ventris tormina; tum alvus fit lubrica, atque primum contentæ in intestinis fæces, cruditates, mucosique humores; paullo post adiposi, ac sere oleaginosi succi, & denique spumescens materia, cum sanguine, vel sanie ulcerosa, ac pelliculis, filamentisque tunicaceis remixta, mole sæpius exigua rejiciuntur. Quibus saburra quadam onustus est ventriculus, illi nauseam, vomendi conatum, ipsosque vomitus patiuntur; & multos gravis cardialgia, & præcordiorum anxietas discruciat. Omnes adfligit perpetua desidendi cupiditas, & tantus ani tenesmus, ut non raro tardii plena sequatur ejusdem procidentia. Cunctas vero defectiones, quæ sunt numerosissimæ, & antecedunt, & comitantur, & sequuntur crudelissima tormenta, non in uno loco fixa, sed per totum intestinorum canalem vago itinere progredientia; & sub quavis sede sentitur molestissimus omnium quasi viscerum descensus. Adhæc perit omnis appetitus, summa urget inquietudo, somnus præ defectionum frequentia oculis eripitur, atque vi-

Historia
morbi.

res

res mirum in modum prosteruntur.

§. IX.

Mali
gravio-
ris fir-
gona.

Hæc ordinaria sunt dysentericorum symptomata; quibus malo increbescente, nonnullis longe graviora junguntur. Namque quibusdam extremis frigescentibus, interiora uruntur, ardorisque & pulsationis perpetuus intestina torquet sensus. Accedunt singultus, sudores frigidi, vultus pallor, corporis macies, & inflammationes ac aphthodæ faucium iniquationes. Quandoque, sed raro indolentium dysenteriarum casus occurrunt, ut in A. N. C. dec. 1. ann. 2. observ. 45. & Act. Med. Hassn. vol. 2. p. 138. Interdum, ubi ad extrema ventum est, omnis dolor simul & semel cessat, sitis veluti extincta perit, alvus præter voluntatem redditur, cum fetore excrementorum graveolenti ac cadaveroso, pulsus fiunt exiles, tumque mors procul dubio sequitur. Notari adhuc circa dysenteria historiam meretur, quod sæpenumero contagiosa existat: sic enim ex solo sordium rejectarum odore, malum ad alios propagari, præter communem experientiam, insigni casu testantur A. N. C. dec. 2. anno 6. obs. 25. Quin lac etiam matrum dysentericarum, infantibus eandem labem affricare, perhibent eadem A. N. C. dec. 2. ann. 6. observ. 195.

§. X.

Sectio
dysen-
teria
perem-
torum.

Dum adhuc in historia dysenteria tradenda sumus occupati; utile erit, quasdam observationes de sectionibus dysenteria peremtorum proponere. Omnes itaque scriptores testantur, in ejusmodi subjectis intestina tam tenuia quam crassa, vel inflammata, vel siderata, vel exulcerata, atque bile suffusa post mortem fuisse reperia: quemadmodum apud Bartholinum Cent. 6. hist. 2. & Barbette Lib. 4. Cap. 3. pluribus videre licet. Speciatim pylorum cum intestinis tenuibus inflammatum vidit Joannes de la Moniere tract. de fluxu dysenterico p. 4. Intestina tenuia exterius bile suffusa,

atque livida, intrinsecus gangrænata, adnotarunt A. N. C. dec. 2. anno 4. obs. 104. crassa vero pari ratione livida, & gangræna affecta, observarunt Platerus Lib. 3. pag. 875. & Riverius Cent. 3. obs. 2. Idem Platerus mantiss. obs. pag. 25. deprehendit, felleam cystidem bile prorsus vacuum; eadem vero tincta intestina ileon, atque colon, quæ intrinsecus multis scatuerunt ulcusculis. Bontius loco bilis in fellea capsula reperit liquorem chylo simillimum; bilemque porraceam & fere gramineam in perfunditis hoc malo fuisse, testantur A. N. C. Dec. 2. anno 6. observ. 104. Nec denique exempla desunt, quod in quibusdam intestina plane coalita fuerint, instar eorum, qui sumto perierunt veneno.

§. XI.

Ex his autem, cum morbi nostri symptomatibus rite collatis, statim adparebit, quænam vera illius sit sedes. Hanc enim constituit amplus intestinorum canal; quæ, notante Sydenhamio Sect. 4. Cap. 3. seriatim afficiuntur, donec tandem omnis mali vis in rectum decumbat intestinum. Nam hoc idem præ reliquis, & dolore morsicante, & molestissimo tenesmo, exercetur crudelissime. Neque vero negaverim, quin vicinæ partes, maximeque hepar ac biliferi ductus, per consensum etiam experiantur mali tyrannidem. Ipsa quod attinet intestina, determinari facile potest, quænam eorum potissimum discrucientur. Quod si enim proxime circa umbilicum atrox sentitur dolor; sique hunc tardior sequitur dejectio; certum est tenuia laborare. Quando autem ad epigastricam regionem, ubi colon situm est, aut hypogastricam, atque hypochondriæ torminum vis incumbit, ipsæque fæces brevi post rejiciuntur, crassa laborare, in aprico est. Ac ubi denique assidua fere, inanis tamen desidendi vexat cupiditas, aut mucus se-

Dysen-
teria
sedes.

virulentus promanat; ulcus in recto consistere intestino, vero videtur simillimum.

§. XII.

Intestini-
norum
fabrica.

Intestinorum quod attinet fabricam, non quidem nostri est loci, eam fusius explicare, multo minus eorundem varium situm, flexuras ac denominationes ample recensere; sed quædam dumtaxat momenta, nostro scopo convenientia adnotabimus. Illa igitur tam gracilia, quam crassa componuntur, æque ac ventriculus ex quatuor tunicis, quarum musculosa binis fibrarum, una longitudinali, altera spirali construitur seriebus, earumque ope motum perficit peristalticum. Nervea tunica vas sanguiferis scatet copiosissimis, adeo ut tunicam constituere videantur peculiarem; interne vero quamplurimis obfita est glandulis, quæ per suos excretorios ductulos, ex massa sanguinea in cavum intestinorum assidue secernunt humorem seroso mucaginolum, non illum modo, qui glutinis instar villosæ adhærescit tunicæ, eamque pariter, ac substratam nerveam ab assumptorum acrimonia defendit; verum quoque alium magis excrementitium. Notari enim probe meretur, quod humores, speciatim ferofi, pro diversitate consistentiæ, in hoc vel illo loco, qui ratione magnitudinis pororum, magnitudini excernendarum particularum proportionatus est, secernantur. Sic subtilior portio per cutis spiracula exhalat; paullo crudior ad renes defertur; & quæ spissior adhuc est, ad intestina demandatur, tanquam amplam crassarum sordium latrinam.

§. XIII.

Forma-
lia ra-
tio, &
causa
proxi-
ma dy-
sente-
riæ.

Quibus expositis, facilius jam erit, verum dysentericiæ genium introspicere, atque symptomatum eam concomitantium rationem suppeditare. Formalem illius rationem, motu peristaltico, ad summum & convulsivum gradum adaucto, & exacerbato absolvi, nemo est medicorum, qui nega-

verit; quoniam atrocissima, & horrenda, quibus eo morbo correpti homines agitantur, dolorum tormenta id testantur clarissime. Neque ullus est, qui inficias iverit, quin causa dysentericiæ proxima, in humore quodam acerrimo, caustico, tunicas intestinorum vellicante ac stimulante consistat. Qualis autem hic humor proprie sit, & unde generetur, obscurum adhuc multis videtur, adeo, ut in varias inde abierint opiniones.

§. XIV.

Veterum quamplurimi humorem illum colocynthidis naturam æmulari perhibuerunt: nec etiam, si effectus, quos sumta colocynthidis poma in corpus humanum edunt, quosque recenset *Stalpart Vander Wiel obs. 41.* cum symptomatibus dysentericis rite contulerimus, multum a veritate abudere videntur. Deinceps communis plerorumque sententia est, materiam dysentericiæ causam semper in cavo intestinorum contineri, & esse humorem acerrimum, ex fructibus horæis, maxime immaturis collectum, cum reliquis succis, præsertim biliosis confermentatum, atque nerveas tunicas vellicantem, arrodentem, & excoriantem. Verum, licet non negaverim, quin sapissime hæc concurrat causa, eandem tamen semper & unice peccare, præter contagiosam dysentericiæ indolem, & illi resutant homines, qui nullis omnino assumptis fructibus eo rapiuntur morbo, & teneri infantes, ubera adhuc matrum sugentes. Quamobrem alii ad miasma quoddam confugerunt plane specificum, cujus ea esset indoles, ut in cavitate intestinorum cum bile potissimum confermentaret, tumque arroderet intestina. At nec huic in totum subscribere possum opinioni; si vel id consideravero, quod nonnunquam tam acris per intestina effundatur humor, qui argentea corrodit vas; inde vero nec tunicæ intestinorum excoriantur, nec tam atrocia, ut in dysentericis, excitentur tormenta.

Aucto-
rum opi-
niones
de causis
dysentericis
materi-
ali-
bus.

Ne

Neque enim sufficiens est exeeptio, ac si in dysenteria primum villosa abradatur tunica, tumque vellicetur nervea: siquidem id ipsum ab alio quoque acri humore posset fieri, & præterea experientia docet, tormina dysentericorum statim cum morbi initio, priusquam abradi potuit villosum involucrium, invadere.

§. XV.

Quamobrem, meo quidem arbitrio, vera materialis dysenteriae causa, cui crudelissima intestinorum tormina, & reliqua symptomata debentur, residet potissimum in vasis sanguineis, tunicam intestinorum nerveam obsidentibus; & est materia quædam seroso-lymphatica mucescens, & cum particulis salis, acris, ac sulphureis, in massa sanguinea fluctuantibus, in lentum ac causticum magma coalescens; & interdum cum miasmate quodam peregrino, ab extra corpori illato permixta. Hæc enim motu quodam febrili a contracto corporis ambitu ad nerveum intestinorum canalem, vasculis sanguiferis plenum delata, partim acrimonia sua tunicas sensibiles nimium vellicat, rodit, & ad torminosas constrictiones proritat, partim lento re suo vasa, quibus inest, insigniter, & ad rupturam usque distendit. Unde patet origo convulsionum, atque torminum; quæ eo redduntur atrociora, quo plus acris saburra in ipsa cavitate intestinorum simul continetur. Sub tantis autem illorum contractionibus non fieri potest, quin, quæ intus hærent, omnia effundantur. Postquam enim, quæ ex cibis relictæ adhuc restant cruditates, sunt eliminatæ, continuante spasmo, ipsa mucago, villosam obducens tunicam, vi abraditur, & cum stillante ex intestinorum glandulis humore, plus minus noxio, in subpinguis ac oleaginosi muci forma exprimitur. Dum vero hæc fiunt, & per consensum ductus quoque biliferi, cum cystide fellea vehementer concusantur: hinc

omnem suam bilem effundunt in canalem intestinale, quæ cum reliquo muco per alvum redditur. Præterea perseverante membranacei istius canalis distentione, comprimuntur vasa sanguifera, cruore eo compulso jam turgida; impeditur sanguinei laticis per venas regressus; ejusdem, perennante a tergo adfluxu, fit stagnatio; & demum vel perruptio, ac extravasatio in intestina, unde stercora cruore tincta adparent, vel periculosa eorundem suboritur inflammatio, ardoris perpetui, ac pulsantis sensu doloris internoscenda. Hæc inflammatio aut in ulcus saniosum abit, ipsam villosam depascens tunicam, tumque sanies ulcerosa cum carneis dejicitur filamentis; aut plane in gangranam, & funestam desinit sphacelationem; qua præsentem omnis dolor perit, & dejecta foetorem spargunt cadaverolum.

§. XVI.

Quæ cum ita sint, explorandæ jam veniant procatactica causæ, quæ producendo noxio humori, dysenteriae causæ, sunt opportuna. Atque tres earum potissimum classes esse statuo, quarum prior in ipsius tempestatis consistit ratione. Si videlicet æstas antecessit ferventissima ac siccissima; sub ejus finem, ubi plerumque post intensissimum, qui per diem est, solis fervorem noctes sequuntur frigidiores, grassantur dysenteriae; quales a nimia aeris siccitate subortas describunt A.N.C. dec. 2. ann. 4. obs. 24. Tum vero malum ea potissimum invadit subjecta, quæ per diem justo vehementius calefacta, sudoreque disfluentia, noctu auram frigidiorum, corpori minus recto liberius admittunt. Cujus rei clarissima quoque est ratio: per diuturnum enim aeris fervorem ac siccitatem, massa sanguinis insigniter resolvitur, colliquescit, & sudor promanat copiosus, unde tenuiores, fluxiles ac blanda succi dissipantur, quibus orbiati reliqui humores mucescunt, aeres, im-

Causæ procatarticae sunt in tempestatis ratione.

Causa dysenteriae materialis, & symptomatum ratio.

puri atque sulphurei redduntur, & ipsa debilitantur corpora. Quod si igitur corpori ita constituto, nocturnus aer, qui asperior est, liberalius admittatur, constringitur inde cutaneus cortex: diffusio ulterior fordium adhuc tenuiorum ac sulphurearum præpeditur; hinc illæ cum mucescente lymphæ coeunt, in lentum & acerrimum abeunt crama, quod febrili motu ad intestina, tanquam amplissimum mucidarum fordium colatorium delatum, parit dysenteriam. Tali quoque ratione castrensis generatur dysenteria; & omnino absque miasmatis cujusdam maligni externique concursu evenire potest.

§. XVII.

2. J. in
mias-
mate
contra-
giolo,

Quando vero cunque recensita aeris constitutioni accedunt quædam virulentæ indolis exhalationes, quæ alteram caussarum procatarcticarum classem constituunt: tunc nascuntur dysentericæ epidemicæ, plus minus malignæ, ac contagiosæ; quales descriptas lege apud *Bartholinum Cent. 2. hist. anat. 65. Amatium Lusitanum Cent. 2. cur. 90. Willisium in pharm. rat. P. I. pag. 119. & la Moniere tract. de fluxu dysenterico*, nec non *Sennertum in praxi Lib. 3. Part. 2. Sect. 2. cap. 7.* Ejusmodi lues epidemicæ longe lateque sæpius vagantur, & longum terrarum occupant tractum: quid? quod *Fernelius de abdit. rer. causis, Lib. 2. cap. 13.* meminit dysentericæ anno 1538. per universam Europam populariter grassantis. Generantur vero talia miasmata vel in ipso aere, ex malignis terrarum effluviis, ac peculiari ventorum constitutione; tumque per inspirationem hauriuntur, & intra corpus suscipiuntur: vel etiam cum cibis, maxime oleribus, ac fructibus horreis, venenata rubigine, vel insectorum, quæ tum temporis copiosissima in aere obversantur, malignis ovulis obductis assumuntur, & cum chylo massæ sanguineæ permiscuntur: No-

tari vero meretur, in tali aeris constitutione, suscepta quandoque contagia per aliquod tempus intra corpus delitescere; & expectare dumtaxat causam quandam occasionalem. Quamobrem adnotare mihi sapissime licuit, quod tum temporis levissima intestinorum stimulatio, vel sumto purgante excitata, protinus efficiat dysenteriam. Debetur porro malignis istis effluviis, ex corporibus dysentericorum vel per stercora, vel lac, vel sudorem exhalantibus, contagii causa atque origo.

§. XVIII.

Tertiam caussarum procatarcticarum classem exhibent largius comestiti fructus, maxime si immaturi fuerint, vel potus fermentativi desuper ingerantur. Ex his vinociva eminent cerasa dulcia, mala persica, pruna, maximeque flava illa, quorum frequentem noxam præter alios ostendit *Foresius Lib. 2. observ. 23.* Huc quoque pertinent potus fermentativi, minus defæcati, ut mustum, vel cerevisiæ, quæ tum temporis ob nimium solis ardorem, plerumque male constitutæ, & vel recentes, impuræ, crassæ, multisque facibus repletæ, vel minimum acescentes sunt, & copiosius bibuntur. Namque ejusmodi subjecta, acri fermentante succo prædita, si in duodeno cum bile commisceantur, acriorem cum ea subeunt confermentationem, ex qua non modo vapores tenuiores acerrimi, intra humorum massam rapti; verum etiam sordes resultant crassiores quidem, sed causticæ indolis, quæ intra canalem intestinorum remanentes, nervosam eorundem tunicam acerbe rodunt, atque tormina mirum in modum exasperant. Huic potissimum saburræ, in ventriculo ac duodeno stagnanti, debentur nausæ, vomendi conatus, ipsæque vomitiones, quæ junguntur interdum dysentericæ: a quibus symptomati-

3. J. in
perver-
so acni-
mofru-
ctuum
horreo-
rum u-
su.

bus.

bus immunes sunt; qui absque hac concomitante causa hunc morbum incurrerunt; sicuti testantur dysenteria anno 1726. nostris in locis grassata, quæ cum mense jam Junio, ubi nulli nec maturi, nec immaturi adhuc fuerunt fructus, suam tyrannidem exercuerunt, a vomitionibus vacuæ existerunt, quemadmodum in dissertatione de iis conscripta fufius ostendi.

§. XIX.

Circa hanc vero causam notanda adhuc veniunt quædam momenta, nimirum 1) quod omnino solæ sufficiant ad generandam dysenteriam, quando videlicet vapores acriores, ex fructuum distorum cum bile in ventriculo facta confectionatione resultantes, in massam humorum abripiuntur, qui laudabiles succos corrumpendo, ad producendam materiam, dysenteriaæ geneticæ disponant. Hæc vero, concurrente, tanquam occasionali causa, intestinorum a saburra iis infixa stimulatione, motu quodam febrili ex ambitu corporis ad dictum canalem membranaceum devolvitur: 2) quod tali in casu ventriculi ac intestinorum accedere debeat quædam imbecillitas. Hinc enim ratio reddi poterit, cur multi fructivori a dysenteria sint immunes, curque e contrario alii, qui illis fructibus aut plane non, aut saltem parcius vescuntur, eo rapiantur morbo. Quod si enim firmitus fuerit primarum officinarum robur, commissi etiam errores facillime corrigentur, & noxia saburra vegete proferibetur: at, qui debiliore earum partium tono, acidaque jam saburra, istius fidiſſimo comite, sunt instructi, deliciarum suarum gravissimas utique luere cogentur pœnas; 3) sæpiſſime vero fructuum horraorum, ac potuum fermentescibilium immodicus usus, tanquam concomitans dysenteriaæ causa venit consideranda; ita ut principalis vel a prohibita transpiratione, vel suscepto contagio repeti debeat. Tum vero mali symptomata, unita binarum causarum vi, mirum in modum exasperantur.

§. XX.

Quibus ita præmissis, ad tradendam gravem ac truculentam nostri mali accedamus prognosin. Dysenteria igitur puerperis evenientes, sunt periculosa; iisdemque senes ac pueri frequentius pereunt, quam qui in media sunt constituti ætate. Vid. HIPPOCRATES *sect. II. textu 30.* SENNERTUS *L. III. pag. 243.* Ubi malum cachecticos, scorbuticos, phthysicos corripit, aut debiliores, & qui diuturnis animi perturbationibus se macerarunt, plerumque conclamatum de iis est: iis quoque periculum minatur, quorum intestina lumbricis obsidentur. Quæ dysenteria cum vomitu se exserit, & qui singultus accedit, magnum metum incutit, & periculo inflammati ventriculi terret: neque minus mali est ominis, ubi excrementa viridia, nigra, & admodum graveolentia observantur, & veluti caruncula deijciuntur, notante HIPPOCRATE *sect. IV. aph. 26.* nam ulcus intestinorum designare solent. Quo magis vero, vel minus exulcerata sunt intestina, eo gravior vel mitior est affectus. Pessimum porro indicium est, quando infusa clysmata mox iterum relabuntur, aut anus tam arcte clausa existit, ut nihil possit ingeri: namque illud paralyſin intestinorum, maxime recti; hoc vehementem spasticam ejusdem significat stricturam. Nihil etiam boni expectandum, si pulsu debiliore existente, externa frigent, interna uruntur, aut his nullus inest doloris sensus; mentis alienatio, faucium inflammatio, aphthæ, aut paralyſis totius œsophagi præsto est, ut assumta cum murmure delabantur. Illud quoque scire refert, malum hoc nunc celeriter moveri, & si febris maligna præsertim ingreſcat, sæpe intra dies septem vel novem, vel quatuordecim necare; modo in plures, & ad quadragessimum, ac ultra produci; longoque tempore, cum inveteravit, aut tollere hominem, aut etiam si finiatur, ex-cruciare, uti observavit CELSUS *Lib. IV. cap. 15.* nec non sapius in hydro-

Prognosis dysenteria.

Momenta quædam circa hanc causam.

dropem ac lienteriam abire, advertente HIPPOCRATE *sect. VI. aph. 63.* quin & coeliacam non raro tabem ac hecticam insanabilem mutari.

Methodus medendi.

§. I.

Indica-
tiones
curatio-
nis.

Vix morbus est quidam, adcojus rationalem curationem, majori opus est medentis judicio, quam quidem noster dysentericus. Quam plura enim sunt remedium genera, quæ in illo commendantur; quæ vero non in omnibus subjectis eandem exhibent utilitatem; tantum abest, ut quæ huc profunt, illi graviter nocere non raro deprehendas. Generatim hæc fere sunt medendi indicationes, ut primum materia noxia, acris, caustica, qualis conque fuerit, attemperetur, ac per emunctoria ipsi convenientia proscribatur; deinceps truculenta intestinorum tormina, ac feroces spasmi consopiantur; & denique ipsi intestinorum substantiæ, vel exulceratæ, vel nimis debilitatæ convenientibus succurratur præfidiis.

§. II.

Evacu-
tium ac
alvum
purgan-
tium
us. s.

Quod ad priorem attinet indicationem, circumspicere oportet prudentem medicum, num crassiores in alimentari canale subsistant cruditates, quas partim commissus antea in victu error, & ingesta fructuum horreorum colluvies; partim nausea, cardialgia, & vomendi conatus indicabunt. Quo in casu multis laudibus radicem Ipecacuanhæ extollunt medici, si in morbi initio ad scrupulum unum vel drachmam dimidiam, cum lapidibus cancerorum maritata, hausta de super larga aquæ tepidæ quantitate, exhibeatur, & ejus ope vomitus cieatur, interdum iterandus. Neque vero minus per inferiora educere convenit saburram acrem & crassam; & quidem felicissimo cum successu, per rhabbarum in pulvere datum, & cum absorbentibus permixtum: quippe

quod post detergentem ac laxantem effectum, vi quoque blande roborante, & leniter tonica intestina solatur. Nec parum utilitatis exhibent pilulæ balsamicæ, ad Becheri, Stahlî, vel meam mentem paratæ, cum primis si cum extracto rhabbari commisceantur.

§. III.

Præterea operæ est pretium, sabur- Acrimo-
nia in-
testino-
rum de-
mulcen-
da.
ræ intestina occupantis acrimoniam, & rodentem causticam indolem delinire ac demulcere. Quo quidem fine intus exhibenda sunt mucilaginosa, oleum amygdalarum dulcium recens & sine igne expressum, sperma ceti recens minus rancidum, decocta hordei, avenæ, rasuræ cornucervi, radicis scorzonæræ, chinæ &c. emulsiones ex amygdalis dulcibus, pineis, & aquis diaphoreticis paratæ; atque etiam serum lactis dulce ac meam confectum methodum, nec non fons Selteranus, lacti nuptus asinino. Hæc enim & acrimoniam involvendo, & lubricas reddendo vias, votis faciunt satis: quem etiam scopum explent, simulque sordes ex crassis potissimum intestinis educunt, clysteres pure emollientes, quos ex aqua hordeacea cum surfuribus decocta, ex sero lactis dulci, vitello ovi, oleo chamæmeli, amygdalarum dulcium, ac sero hircino parare decet.

§. IV.

Insimul quoque ad impuritates subtiles, plus minus malignas ac contagiosas, in massa sanguinis adhuc fluctuantes, attemperandas pariter, ac per corporis peripheriam educendas, febrimque conjunctam mitigandam, multa impendenda est cura; quoniam hac ratione affluxus talium sordium ab intestinis revocatur. Et hoc nomine insignem laudem merentur absorbentia, cum fixis diaphoreticis mixta. Sic parari possunt pulveres ex cornucervi philosophice præparato, usso, ebore fossili, terra sigillata, bolo armena, antimonio diaphoretico, item martiali, succino, lapidibus cancerorum, co-

Diapho-
retis
promo-
veoda.

rallius rubris, matre perlarum, & præsertim chryſtallo montana; quibus urgente nimio æſtu ac ſiti, nitrum refracta doſi, & ad refranandum dolorum impetum, cortex caſcarillæ, aut unum alterumve theriacæ cœleſtis granum pro doſi unica adjici poteſt. Cumprimis vero in expellendo miasmate maligno, per contagium admiſſo camphora, dimidii dumtaxat grani pondere cum nitro & abſorbentibus mixta, præclaram, ac excellentem poſſidet eſſicaciam.

§. V.

Motus
effrazes
ſunt co-
ercendi.

Proinde dictis hiſce remediis, ad expellendam ſecundam indicationem, & coercendos motuum nimios tumultus, interponi debent tutiora anodyna, & mitiora ſubadſtringentia. Ex his vulgaſſima ſunt theriaca cœleſtis, aqua theriacalis, diſcordium Fracaſtorii, pilulæ de ſtyrace, de cynogloſſa, & Wildeganſii, nec non laudanum liquidum Sydenhamii. Longe vero tutiorem & præſtantiorem effectum quam plurimis in caſibus exhibuit liquor meus anodynus, cum refracta baſami mei vitæ parte remixtus; quem ter vel quater de die ad guttas viginti, ſummo cum fructu porrigere ſuevi. Huc quoque ob antiſpaſmodicam virtutem referri meretur aquæ deſtillatæ liliorum convallium, ſorum ſambuci, tiliz, aurantium, menthæ, ceraſorum nigrorum, & caſcarillæ; ex quibus commendati ſuperius pulveres propinari poſſunt. Neque etiam exter-norum paregoricorum uſus inſuper eſt habendus, ex quibus, ſi efferata ſit torminum vehementia, linimentum componi poteſt, quod v.g. olei liliorum alborum unciam unam, menthæ deſtillati, abſynthii, quod eſt magnum anodynum, nucisſæ, carvi ana-drachmam ſemis, camphoræ ſcrupulum habeat. Quod abdomini inun-ctum egregia ac ſecura virtute ſiſtet intolerabiles dolores: quo ſubinde reliquis medicaminibus cauſa materialis eo commodius oppugnari, eoque ſeliçius debellari queat.

§. VI.

Educta ſic noxia materia, & con-
Quæ
teritæ
ſatiſſa-
ciæ in-
dicatio-
ne
quieſcentibus ſpaſmis, ſuccurrendum eſt læſis inteſtinis: quorum ſi quædam adhuc reſiſterit exulceratio, præter inteſtinorum abſtergentium continua-tionem injiciendi ſunt crebro clyſteres ex ſevo hircino, cervino, vitello ovi, terebinthina, & baſamo Locatelli commixti. Plerumque tamen ſupera-ro morbo reſiat adhuc inteſtinorum atonia; cui mederi licet exhibitione remedium roborantium: ex quibus eminent cortex caſcarillæ in eſſentia, pulvere, & extracto aquoſo datus, ſive etiam cortex chinæ, cum extractis abſtergentibus ac roborantibus in electuarium redactus: aut Elixir noſtrum viſcerale, vel eſſentia corticum aurantium, cum eſſentia gentianæ rubræ & ſuccini permixta. Non contemnendum quoque præſtabit externe uſum Spiritus vini rectificatus, vel aqua Regi-næ Hungariæ, aut Spiritus ſorum chamomillæ Romanæ cum oleo menthæ deſtillato decenter mixtus.

§. VII.

Vix autem votis reſpondebunt alle-
Qualis
regimē
ſit ob-
ſervan-
dum,
gata præſidia, niſi accuratum regimen, victuſque pertinax acceſſerit obſervatio. Cumprimis aeris caloriſque æqualis ſemper temperies conſervari debet: ſicuti enim omnis refrigeratio, ſive per admiſſum ab extra frigus, ſive per ingeſtos gelidiores potus, certiffimum minatur damnum: ita quoque nimius calor & exæſtuatio, & per conclavia valde calefacta, & per multam lecto-rum, ſtragulorumque impoſitionem, æſtum febrilem & anxietates adaugendo, nunquam noxæ gravioreſ expers eſt. Quamobrem dyſenterici ſe quietos, animique tranquillitati ſedulo ſtudentes, in temperato & lecti & conclavis calore continere debent. Potus oportet eſſe tepidos; nec convenit ulla cereviſia, ſed potius decocta gelatinofa, infuſa theiformia, ſerum lactis, & ſub finem morbi, ad inteſtina roboranda, hauſtus vini generoſi. Victus ſit facillimus, ſibi que non niſi molles con-

conveniunt, ex quibus oriza, ac vitelli ovorum merito suo extolluntur. Nec laude carent juncula, ex carne virulina, gallinarum, radicibus scorzonerae, cichorei, chinae, succo plantagininis & cancris contusis parata; qui a nonnullis ad consolidanda intestinorum ulcera, magnis extolluntur encomiis.

§. VIII.

Præservatio.

Præservatio hujus mali, ubi illud est epidemicum & contagiosum, fit, quando quis excessus omnes & subitas aeris mutationes effugiat & provide eos qui hoc malo laborant evitet. Certius ab eo, quod ex aliis originem trahit caussis, se omnino præservare poterit; qui aeris injurias vitaverit, a nimio & perverso fructuum horreorum, præsertim immaturorum usu abstinuerit, ac alvi perpetuam libertatem conservaverit. Cum primis eo, quo dysenteriae grassantur tempore, noctu corpus in lecto probe tegendum, ne prohibeatur transpiratio: & si corpus purgandum est, caveatur probe, ne id fiat acrioribus purgantibus; quippe quæ, uti superius dictum est, excitando contagio, ipsique morbo producendo, causam sæpenumero præbent opportunissimam.

Cautelæ, & monita practica.

§. I.

Cautela circa opiata & adstringentia.

OMni in dysenteria summa cum cura a crassis opiatiss, adstringentibus, & stypticis abstinendum est; quoniam hæc in pejus malum provehunt, tantum abest, ut illud allevetur. Namque si in morbi initio dentur, intus retenta caustica materia, summas præcordiorum anxietates, singultus, aphthas, & periculosas inducunt inflammationes; in vigore morbi, & ubi nimium fractæ fuerint vires exhibita, facile sunt necrotica, & præsentem inflammationem in lethalem commutant sphacelum: conf. *Thonerus obs. Lib. 3. obs.*

8. pag. 167. M. N. C. dec. 2. anno 3. obs. 88. Denique eadem morbo adulto, & declinante propinata, affectus spasmodicos, œdematosos, languores, atque febrem relinquunt: *Galenus 2. simpl. 12. & 14.* auctor est, dysenteriae intempestive cohibita successisse melancholiam, & quod *Hollerius in schol. p. 353.* observavit, epilepsiam, pleuritidem, & ut *Martini de morb. mes.* testatur, inflammationes & abscessus mesenterii, ac plura graviora incommoda, mortemq; ipsam accelerare, ut multis ostendi exemplis posse scribit *Crato consil. 22. l. 5.* Quodidem in casu operæ pretium est, infusis ano clysteribus, cohibitis dejectionibus revocare, & internis absorbentibus ac diaphoreticis fixis imminuentem præcavere inflammationem.

§. II.

Neque vero intelligi debent ex animi mali regno deprompta remedia, quæ sedativa & anodyna, eaque tutissima virtute his in morbis se commendant. Ex horum numero sunt spina & hepar viperarum, rasura dentis hippopotami, manati, priapi ceti, pulvis secundinae humanæ exsiccata: quippe quæ si cum lenioribus bezoardicis combinentur, ad sopiendas spasmodicas & convulsivas intestinorum stricturas præclaros edunt effectus.

§. III.

Quamvis blanda laxantia, & alvum lenientia in dysenterico fluxu egrégium levamen ferre deprehendantur: cautissime tamen cum iis mercari oportet. Namque primum aciora purgantia, ex Jalappinis, scammoniatis, colocynthide &c. parata, exacerbando spasmodicas motiones, vim veneni exferunt; id quod etiam de mercurialibus valet. Unde non mirari satis possum, quosdam, & præsertim *Boyleum de S. M. V. pag. 52.* mercurium dulcem in dysenteria commendare: quippe qui ejus est indolis, ut ab admixtione salium acriorum, quæ in nostro morbo larga præsto sunt quantitate, causticus reddatur. Nec etiam

Circa anodyna ruatoria.

Circa laxantia & purgantia.

laxantia, quæ dulcia sunt, & facile fermentationem subeunt, hoc in malo conveniunt: unde omnino a decoctis prunorum, foliorum sennæ, syrupsisque laxantibus abstinendum erit.

§. IV.

Specia-
lim cir-
ca pilu-
las po-
lychre-
las.

Quamquam pilulæ polychrestæ, & temperate balsamicæ, leniter evacuant & corrigendo, primis morbi diebus, pariori & iterata dosi exhibitæ, egregiam afferant utilitatem; attamen ab iisdem, ubi morbus in plethoricis cum magno æstu, pulsuque celeriori invadit, sæpius notabilem observavi noxam. Tunc enim consultius est, ab omnibus, quæ vel levissime humores commovent, abstinere laxantibus; & potius decocto, quod ex sero lactis, tamarindis, rhabbarbo & manna conficitur, blandam moliri vacationem. Præterea, ubi morbus statim ab initio atrocioribus imi ventris cum torminibus incidit; ego solitus sum, anodynum evacuanti nuptum exhibere; eoque nomine pilulas aloephanginas, vel, quod melius, Becherianas æquali pondere cum massa pilularum de styrace remixtas, convenienti dosi bis vel ter intra nycthemeron, summo cum fructu propinare.

§. V.

Circa
mannæ
in fine
morbi
datam.

Neque raro observavi, infusum laxans mannatum, finito jam penitus, qui diutius adflixit, morbo, sublati- que gravioribus symptomatibus usurpatum, tormina & alia fontica mala revocasse. Causa talis modi catastrophes procol omni dubio in toni intestinalis, qui per violentos spasmos valde dejectus fuit, destructionem collocanda est, qua eadem facile irritari possunt. Idcirco congruis roborantibus deperditum illud robur instaurare convenit.

§. VI.

Circa
radicem
Ipeca-
cuanhæ.

Radix Ipecacuanhæ, quæ pro specifico antidysenterico a multis habetur, vid. M.N.C. Dec. II. anno X. obs. 115. non omnino suo caret usu; licet etiam sæpissime sinistros producat effectus. Utilissime adhibetur in sub-

jectis robustioribus æque ac humidioribus, veluti sequior est sexus; deinceps operæ pretium exhibet, ubi magna cruditatum illuvies primis inhaeret regionibus, vel miasma contagiosum recens susceptum est, & hinc nausea, vomendi conatus, præcordiorum anxietas, & dolor gravativus infestant. Tum vero primis statim diebus hoc remedium genus porrigere expediet; & ejusdem usui, si plethora & febris urget, phlebotomiam præmittere. Quod si autem, morbo existente adultiori, post jam factas crebro dejectiones mu- cidas pariter ac sanguinolentas exhibeatur; sistit quidem eas aliquantulum, sed majores parit circa præcordia anxietates, ut sæpius clysterum emollientium ope alvinam excretionem revocare, necesse sit. Præterea hanc radicem commodissime ad drachmam dimidiam cum decocto laxante, ex manna, rhabbarbo, & tamarindis parato exhibere licet, si magna cruditatum primas vias obfuderit copia.

§. VII.

Summo quoque studio fugienda sunt illa remedia, quæ intestina magis stimulant; veluti sunt cuncta salia, neutra ac digestiva, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, salia thermarum &c. Nihilominus nitrum, nec non sal prunellæ, quod præsertim RIVIERUS magnis extollit laudibus, ob vim refrigerantem atque temperantem quandoque commendari, & absorbentibus immisceri meretur pulveribus, utique, si æstus cum siti nimium urgeant, & subjecta cholericæ, biliosæque sint constitutionis.

Circa
salina
remedia.

§. VIII.

Communis multorum medicorum ipsiusque HIPPOCRATIS & GALENI it. MARTIANI comment. in libr. HIPPOCRATIS de ratione vitæ in acutis pag. 413. est opinio, alvo fluente non detrahendum esse sanguinem; & pro generali quidem in nostris regionibus monito practico id ipsum haberi potest. Verum ego multiplici ductus experientia statuo, quod

Circa
venæsec-
tionem.

in subiectis valde plethoricis, diætæ vinolæ adfuetis, si dysenteria cum febre continua corripiantur, omnino perquam sit necessarium, venam ab initio morbi secare. Nam vanus est metus, sanguinis missione vires imminui; & quum non modo plerique dysentericorum ex inflammatione intestinorum moriantur; verum quoque plethorici, si continuis infestentur febribus, non nisi ob nimiam sanguinis molem, ad stases, gangrenam, & sphacelum disponentem pereant: non certe convenientius in his periculis antevertendis venæsectione reperitur præsidium. Neque desunt testimonia scriptorum probatissimorum, qui hoc remedii genus insigniter commendarunt. Sic JULIUS CÆSAR CLAUDINUS *Resp. VI.* se plures dysentericos venæsectione curasse perhibet: quales etiam observationes RIVERIUS *Cent. II. obs. 37.* & 44. AMATUS LUSITANUS *Cent. II. obs. 48.* ALTIMARUS *de medendis hum. corp. malis cap. 74.* BOTALLUS *Cap. IV.* SYDENHAM *Oper. med. Cap. de dysent. pag. III.* & ex recentioribus PASCOLI *in opp. suis pag. 190.* recentent notatu dignissimas.

§. IX.

Circa diaphoretica præferendi sine dâta.

In dysenteria per castra maligne grassante a perito castrensi medico relatum mihi est, præsentē contagii suspitione, & non ambiguis illius signis, diaphoreticum ex cornu cervi usti, & philosophice præparati, antimonii diaphoretici, salis volatilis cornu cervi, & croci ana grans decem connectum, & cum calido sumtum vehiculo, corpus ad sudorem disponendo, desideratissimum & incomparabilem edidisse effectum, adeo, ut post repetitas aliquot doses in prima, uti dicunt, herba pernicialissima vis fuerit suffocata. Quod remedii genus, ubi sordibus primæ vitæ scaudent copiosis, post opportunum evacuant demum exhibere, mea quidem sententia longe securius foret.

§. X.

Communis clinicorum; isque pessimus hoc loco taxandus est error, cum ad atrocis nostri morbi curationem, remediis alexipharmacis & theriacalibus, veluti sunt electuaria ex dialcordio, theriaca Andromachi, mithridatio, pulvere Pannonico rubro concinnata, essentia alexipharmacæ, tincturæque bezoardicæ, immoderatus utuntur. Vidi sæpenumero a nimium exhibitis in dysenteria populariter grassante ejusmodi remediis calefacientibus, & exsiccantibus, symptomata fuisse exasperata, cum auctis interno æstu, febre & siti. Namque ipsa quoque dictitat ratio, ejus generis sanguinem commoventia minus convenire in morbo, qui ab interno diuturniore æstu, humores dulces ac temperatos in biliosos & salino sulphureos commutante, suam trahit originem.

§. XI.

Plures porro medicorum in dysenteria ad coerendam humorum acrimoniam, ulcerum pravitatem leniendam, & corrosam intestinorum substantiam consolidandam, remediis glutinosis & mucilaginosi, tam interne, quam externe per clysteres potissimum nimium uti solent. Talia sunt lac variorum animalium, decoctiones pedum vervecinorum, solutiones tragacanthæ, gummi Arabici, & gelatinæ animalium, sperma ceti, radix consolidæ majoris. Quamvis vero haud in totum improbari queant hæc remedia; monendos tamen esse duco medicos, ut in illis adhibendis cauti procedant, modumque servant. Nam fluida hæc glutinosa per anum admissa faciunt lentorem, ulcera magis foedant, & cicatrici resistunt; efficiuntque sæpius, ut compresso alvi profluvio, ventris coluvies magis cumuletur, & fermentando graviore spasmus inducat ac tormina.

Circa mucilaginosos.

§. XII.

Lac quod attinet, illud solum, maxime si acida in primis viis abundet salis, & but.

Circa laci & but.

serum
ejus, po-
tiusque
dysente-
ricorum.

burra, ob coagulum, quod ibidem facile subit, & inde metuenda symptomata non convenit in dysenteria. Verum idem coctum & cum aqua pura fluviali vel fontana, vel etiam acidulis Selteranis mixtum, aut serum lactis, quod jam HIPPOCRATES laudavit, ob vim sitim & æstum temperantem, & acrimoniam humorum aliquantulum obtundentem, multam meretur commendationem; id quod etiam RAYMUNDUS a FORTIS *Consult. cap. II. pag. 245.* & SYDENHAMIIUS *Oper. med. pag. 115.* egregiis suadent elogiis. Præterea etiam aqua pura fontana, cum unicornu, aut cornucervi uto, aut boli quadam specie cocta, vel chalybeata, junioribus æque ac adultioribus, ad sitim & æstum extinguendum, & acres humores diluendos, potum præbet omnibus præstantiorem. Perinet huc etiam decoctum SYDENHAMII ex aqua fontana, cornucervi uto, mica panis similaginei cum saccharo paratum, vid. *opus. ejus p. 228.* Nec ignotum est, quam celebres, & multis experimentis in curanda dysenteria adprobatae sint aquæ in Italia, Tutianæ dictæ, item Villenses, Hontiscadinæ &c. de quibus legi meretur FALLOPIUS *de thermis*, & CÆSALPINUS *in quest. med. 21. l. 2. de medic. facult. cap. X.* Præstans porro nostrarum usus est acidularum, quibus curatam dysenteriam vide in A. N. C. dec. I. anno 2. obs. 213.

§. XIII.

Conti-
num
præca-
vendi
modos.

Quum nullum morbi genus tam foetidum, tam sordidum, tam abominabile, quodque tam putridis exhalationibus aerem inficiat, & conspurcet, quam ipsa dysenteria sit; videndum est, ut non in ipso conclavi, in quo degit æger, verum potius vicino, si vires patiantur, moderate calido fiant dejectiones, hæque statim removeantur. Non minus suffimigiis ex mastiche, & succino, noxia aeris corrigenda est qualitas; quo etiam sine in omnibus contagiolis morbis appendendam collo camphoram, modo agrotantes ejus

Hoff. Syst. Tom. VI.

odore ferre queant, admodum commendare solitus sum. Ubi vero vires non permittunt e lectis surgere, consultum erit, vas quoddam, recipiendis stercoribus opportunum lecto supponere, si prius decocto, calidiori ex floribus malvæ, sambuci, semineque fenu-græci imbutum fuerit, in quod decumbentes alvum deficiant.

§. XIV.

Vix datur ullus morbus, in quo pedum refrigeratio tam grave, imo mortis periculum, confirmante id experientia, injicit, quam dysenteria. Vix di hac ratione brevi post inflammationem intestinorum, quæ in ipsam mortem transit, esse sequutam: pedibus enim refrigeratis, cutaneus cortex constringitur, & noxii humores majori copia ad intestina congeruntur. Quamobrem operæ sapius est pretium, calidos lateres pedibus supponere.

Noxæ
ex pedū
refrige-
ratione.

§. XV.

Nihil gravius adfligit dysentericos, Remedia contra te-
quam perpetua desidendi cupiditas, & nescimus molestissimus, quo vel nihil, vel perpauca, plus minus cruentos egeritur mucus. Quo in casu ex artis præsidiiis efficacissimum est sotos, qui ex lacte, floribus sambuci, & chamæmeli incocto paratur; vel portio mucilaginis psylli, aut cydoniorum; aut olei amygdalini & vitelli ovi, croco permixti, frequenter ano infusa.

§. XVI.

Qui ex dysenteria diutius protrahitur convalescere, ac vires sumere incipiunt; illis, ut pristinum, & morbo labefactatum ventriculi ac intestinorum robur cum vi digestrice recipiant, exquisita diætæ ac victus ratio præscribenda est. Quæ si neglectui habeatur; lenteriam, febres lentas, tabem, aliosque chronicos affectus infert, plus simplici vice licuit adnotare.

Regi-
men re-
convalescen-
tium.

R

Ena.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

Dysenteria in hysterica.

JUvencula viginti annorum mulier, succiplena, animoque valde sensibilis, menstruum inordinato successui, & hinc pendentibus hysterico-spasmodicis ægritudinibus obnoxia, tempore autumnali præscriptum a medico in pilularum forma sumebat purgans, quod præter alia extracti colocynthidis & diagrydii sulphurati aliquot grana habebat. Inde sex vel septem fatis copiosæ sequebantur sedes, & paullo post crudeles imi ventris dolores, ac tormina excipiebant. Jungebantur quoque præter vomitiones, creberrimæ dejectiones, quibus excreta sanguine instar loturæ carnis tincta, cum magnis anxietatibus, inquietudine, pulsuque celeriori reddebantur. Ego consultus, quum exacerbatos motus magis, quam sordium crassarum præsentiam suspicarer, interne non nisi pulveres absorbentes, cum theriaca cœlesti, castoreo, & nitro mixtos exhibui, & pro potu ordinavi decoctum ex rasura cornucervi, radice scorzonæ, pentaphylli, & cinnamomi paratum: extrinsecus vero abdomini imponendum suasi sacculum, qui species carminativas, spiritu vini cum oleo menthæ & chamomillæ vero saturato, imprægnatas habebat; quorum ope convaleuit ægra.

Epicrisis.

1) Præsens dysentericus fluxus, uti principalem causam in contagio, tum temporis epidemico agnoscit; ita a dato acriori purgante, tanquam a procatartica causa excitatus fuit. Notari enim probe meretur, quod testante crebra experientia, suscepta maligna miasmata nonnunquam diutius sine noxa in corpore possint tolerari, tumque quandam dispositionem ægotandi generare, quæ accedente occasione in actum deducitur.

2) Cum primis viri hypochondriaci, sceminaque hysterica ad affectum dysentericum valde proclives sunt, & ex dato purgante facillime illum incurunt. Quum enim eorum ventriculus ac intestina jam antea spasmodicis contractionibus obnoxia reperiantur: eo magis ab acri purgante adeo irritari possunt, ut præsentis dispositione, humores noxii, constricto corporis ambitu, ad ea compellantur, atque vera generetur dysenteria.

3) Vomitus dysentericorum non eandem semper præbet prognosin: mox enim salutaris ac veluti criticus existit, si nimirum largior cruditas in primis regionibus copia præsto fuerit; mox vero malæ est notæ, & periculosam intestinorum significat inflammationem. Hoc posteriori casu ardens pulsansque dolor, enormes anxietates, & pertinaces extremorum refrigerationes comitantur vomitiones; a quibus immunes sunt, si a solis proveniunt cruditatibus. In nostro casu non æque saburra quædam, nec inflammatio ventriculi, vomibundæ ipsius inversioni causam præbuit; sed spasmodicarum motionum vitium venit accusandum: id circo nec aliis, quam quæ hos præternaturales motus delinire, & humores ad cutim revocare, perque sudorem expellere valent, remediis opus fuit.

OBSERVATIO II.

Generosa mulier, quadraginta annorum, corporis tenerioris, diuturno mœrore ob ingens per incendium domus inductum damnum, agitata tempore, quo dysenteria in pago, in quo degebat, sæviter grassabatur, nullo quidem victus errore prævio, primum mucoso, post cruento ac dysenterico alvi fluxu corripiebatur. Frequentissimæ erant dejectiones, adeo ut intra nycthemeron tricesies & ultra alvum deponere cogeretur, non sine gravissimis torminibus, inquietudine, pulsu febrili, & insigni virium languore.

Dysenteria seu liciter sanata.

guore. Sordes excretae per primum septiduum mucosae, deinceps cruentae, mox viridi, mox ex flavo prono colore tinctae adparebant, & sic per quatuordecim dies large floebant. Sitis urgebat ingens, sed simulac potus quidpiam assumsisset, statim alvum reddere tenebatur: praeterea tussis vexabat sicca, & corpus absque ullo calore ac sudore aridissimum erat. Adhibuerat variis medicis, pulveres absorbentes cum chrystallo montana, elixiria stomachica cum essentia terrae Catechu mixta, nec non oleum camphorae, quod ex camphora in oleo amygdalarum dulcium soluta constabat, ac decocta varia; sed in cassum. Post haec ad cohibendum quodammodo fluxum ordinaverat infusum theiforme ex herbis vulnerariis, & adstringentibus, consolidae saracenicae, vincæ per vinca, faniculae, agrimoniae, veronicae, millefolii, menthae, melissae &c. concinatum: sed ab ejus usu pessime habuit ægrotans, & ingentes circa praecordia anxietates, inflationem ventriculi, ructus, extremorum frigus, animique defectiones, non multum imminuta desidendi frequentia, passa est. Idcirco me vocavit in consilium, & anxie flagitavit opem. Dedi mixturam, quae habebat aquarum florum acaciae, sambuci, cardui benedicti ana uncias tres, olei amygdalarum dulcium uncias binas, pulveris mei bezoardici drachmas duas, liquoris anodynii guttas triginta & balsami vitae guttas duodecim, syrupi cydoniorum unciam semis: atque jussi, ut hujus mixturae, probe agitatae, singulis binis horis vasculum, quo ad sorbillandum potum Thee utimur, assumeret. Toti abdomini aquam reginae Hungaricae calefactam, in cujus uncia guttae octo olei menthae, & viginti balsami vitalis solvebantur, pannis calidis inungendam curavi. Pro potu dedi lac vaccinum, cum infuso theiformi ex seminibus carminativis, aquae incoctis maritatum. Ab horum usu intra unius diei spatium, insigniter fracta fuit sym-

ptomatum vehementia, & imminuta defectionum frequentia. Quare proposui remedium anodyno-alexipharmacum, quod ex liquoris anodynii uncia una, salis volatilis cornucervi trachma, ejusdemque olei probe rectis guttis octo erat compositum. Cuius cum quindecim guttas per aliquot vices assumsisset, redibat somnus, sudor per totum corpus erumpebat, & alvus vix bis vel ter de die reddebat. Hinc ejus usum continuavit, fumisque crebrius pulverem ex bezoardico meo, & sex corticis cascarillae granis confectum: unde brevi tempore felicissime consanuit.

Epicrisis.

Cruentae alvi fluxiones optimo jure cum affectibus catharralibus, & rheumaticis comparari posse videntur: quam plurima quippe sunt momenta, quae hanc convenientiam demonstrant. Quemadmodum enim primum in coryza serum pituitosum ad glandulosam faucium, atque narium tunicam copiosius defertur, ibidemque secernitur: ita in dysenteria serum sanguinis biliosum, sulphureumque ad primas regiones demandatur, auctaque intestinorum, & ductuum biliferorum peristalsi evacuatur: id quod, si absque laesione intestinorum fieri posset, in maximum sanitatis cederet emolumentum. Deinceps sicuti affectus catharrales plerumque a communi aeris vitio, & prohibita transpiratione originem ducunt; & nunquam fere non febriculam quandam, utut mitem, & noctu praesertim exacerbata, habent comitem: ita quoque utrumque momentum circa fluxus dysentericos observari mereatur. Ut porro in rheumate perniciosum est consilium, excretionem serii vitiosi mox ab initio morbi improvide cohibere: ita illud idem in dysenteria exitiale est, & fontica post se trahit symptomata; testante inter alia, & praesenti exemplo. Quemadmodum coryza, si quae jam adsit dispositio, da-

ro errhino, vel ptarmico, facile excitatur: ita idem fit in cruento alvi fluxu post datum acre purgans. Et denique utrumque malum eandem requirit præservandi rationem; quæ in eo consistit, ut tempore, quo grassantur ejusmodi affectus, omni cura atque studio salutaris transpiratio, noctu præsertim conservetur.

OBSERVATIO III.

Dysenteria in juvene brevi curata.

Generosus juvenis, viginti circiter annorum, teneræ, ac macilentæ corporis constitutionis, Augusto mense per quadraginta miliaria noctu dièque continuatum fecit iter, sub quo corpus diurno solis calore, qui erat fervidissimus, valde calefactum, noctu vero eximio frigore affectum fuit: simulque varios potus, mox cerevisias lupulatas, mox recentes, dulces, atque triticeas assumpsit. Domum redux conquerebatur de magnis imi ventris torsionibus, virium languore, & inappetentia stipatis, quas inter primo triduo parciore ac moderatas sedes habebat. At quarta die, auctis mirum in modum circa umbilicum torminibus, copiosissimæ sequebantur dejectiones cum sincero permixtæ sanguine. Ille sibi solus consulturus, cum nisi panem tostum, cum nuce moschata, & vino calefacto, saccharo remixto capiebat; sed cum nihil inde commodi sentiret, meam invocabat opem. Deprehendi ipsum valde languentem, inquietum, miris tormentis obnoxium, pulsusque debiliorem & celeriores: & quum obnixè rogaret, ut quantocius profligarem molestum malum, hac usus sum medicatione. Præscripsi pulverem, qui corticem cascarillæ cornuervi philosophice præparatum, lapides cancrorum, matrem perlarum, antimonium diaphoreticum, & terram sigillatam habebat; eumque pondere unius drachmæ, una cum triginta liquoris anodynæ mineralis, quindecim balsami vitæ guttis, & binis olei

amygdalarum dulcium cochlearibus, ex decocto avenaceo pro una dosi capiendum curavi; utque singulis quatuor horis iteraret, suavi. Ventri præterea aquam reginæ Hungariæ calidam cum linteis duplicatis imponendam jussi: unde intra tres dies, imminuta torminum ac dejectionum frequentia, somnum, appetitum atque vires recuperavit, prorsusque convaleuit.

Epicrisis.

Præsens morbus citra contagii, aut miasmatis cujusdam concursus, suppressæ sub itinere transpirationi, & usui potuum fermentescibilium unica debetur. Quemadmodum enim ex illa impuritates sulphuræ, acres, biliosæ in massa sanguinea cumulata, & restricto corporis cortice, ad intestina compulsæ fuerunt: ita ex hoc similis acris, caustica, ac fermentescibilis saburra in ipsa ventriculi ac intestinorum cavitare est generata. Jam quidem vetustissimum est monitum, ut medicus morbos non tuto & jucunde solum, verum quoque cito curare annitatur. Quod ultimum momentum licet non semper citra manifestum noxæ metum a medico peragi possit: attamen certis in casibus locum omnino invenit. Et in præsentī quidem casu sic sum ratiocinatus: Medendi indicationes in eo curando erant, ut acrimonia humorum acidobiliosorum corrigeretur, dolores ac tormina intestinorum blande conspirentur; humorum affluxus ad ambitum corporis revocaretur, & tonus intestinorum restitueretur. His vero indicationibus recensitum remedium, quod ex temperantibus, diaphoreticis, antispasmodicis & roborantibus confectum erat, omnino respondebat: quod cum primis morbi diebus, ubi nondum læsio intestinorum invaluerat, repetitis sæpe vicibus adhiberetur; factum utrique est, ut brevi tempore morbi vis felicissimè

me expugnaretur. Monendi vero hoc loco sunt juniores practici, ut non putent, profligatum penitus esse malum, si forsan cessaverint tormina, dejectiones, ac æger melius habere videatur: sapius enim anguis sub herba adhuc delitescit. Sed tum demum certa reconvalescentiæ spes foveri potest, si consopitis omnibus symptomatibus, somnus ac appetitus redeant, & vigor naturalis, viresque cito restaurentur.

OBSERVATIO IV.

Dysenteria ci-
tocu-
ta.

Generosa foemina triginta & ultra annorum, teneræ & macilentæ sed vegetæ constitutionis, in vicina urbe, anno 1719. quo in hisce tractibus populariter grassabatur dysenteria, ingentia simul & semel ventris tormina cum magno virium lapsu, extremorum refrigeratione, inquietudine, & alvi fluxu copioso & per vices etiam cruento experiebatur. Summo a me petiit opere, ut, quum fieri posset brevissime ipsam sanarem; quia Regia solemnia tunc temporis Dresdæ, ubi pater mariti magno officio admotus erat, celebranda visere animo valde gestiebat. Ego opem omnem possibilem pollicitus, ita eam tractavi: Præscripsi nempe hanc mixturam: Recipe aquæ florum chamomillæ, millefolii, cum cerevisia triticea destillatæ, florum sambuci, menthæ & cinnamomi cydoniatæ ana uncias quatuor, liquoris anodyni, spiritus cornucervi bene præparati ana guttas quadraginta, pulveris bezoardici drachmas tres, syrupi papaveris albi drachmas sex; de qua bene agitata sumtæ fuerunt unciaæ duæ singulis tribus horis. Desuper vero haustis aliquot vaulis infusi Thee, semine carvi & cymini nobilitati, corpus in lecto ad aequalem & placidum sudorem disponendum suasi. Pro potu ordinario adhibitum decoctum hordei cum emulsione amygdalina mixtum. Externe vero fermentum panis cum aceto forti & spiritu chamomillæ Romanæ subactum, calide regioni epi-

Hoff. Syll. Tom. VI.

gastricæ fuit applicatum: Inde optimus secutus est sudor, qui continuatâ hac cura per biduum & ultra probe successit, & tertio die, symptomatibus fere omnibus evanescentibus, vis morbi remisit. Nihilotamen minus suasi, ut non modo adhuc corpus a liberiori aere domi defenderet, sed & insisteret usui mixturæ & elixirii mei stomachici. Sed hæc die post reconvalescentiam tertio suscepit iter, & neglecta diætâ Dresdæ recidivam cum cruentis fluxibus per aliquot dies perseverantibus passa est, a qua tamen ope medicorum præstantissimorum quarta demum septimana liberata fuit.

Epicrisis.

Optime nos docet hic casus, tempestive & mature oblata convenienti medicina, grave hoc & periculi plenum malum cito posse suppressi, & huic scopo obtinendo medicamenta demulcentia, diaphoretica ac roborantia præ omnibus aliis velificari. Nam sicut dysenteria, ubi paulo subtilius ejus genium explorare volumus, non nisi rheumatismus intestinorum est, a decubitu & congestione seri falsi biliosi, ob transpirationem prohibitam ad intestina, eorumque ductus ac glandulas conversi oriundus; ita & in profligando eodem rationi & experientiæ convenientissima methodus hæc est: ut motum humorum ex interiore ventre rursus ad peripheriam corporis & pristinum subcutaneum emunctorium congruis & naturæ amicis remediis revocemus; qualis curandi via in catharrois etiam & rheumaticis affectionibus semper observata est optima: sed si in ullo affectu, certe hic opus est, ut rectæ huic medendi rationi iusto tempore per diætetica æque ac pharmaceutica remedia insillamus; nisi, quæ omnibus in principio neglectis rheumaticis affectionibus familiaris valde est, hujus diæsi mali recidivam, præcedente morbo semper graviolem, curatu-

R 3

que

que longe difficiliorem velimus expectare.

OBSERVATIO V.

Dysenteria ex
imagi-
natione.

Generosus juvenis duorum & vigin-
ti annorum, constitutionis cholericomelancholicæ, propensus ad iram & animi affectus, inter studia & lucubrationes poculis interdum deditus, anno 1726. cum populariter hic grassaretur dysenteria, ex terrore, cum conspiceret funus juvenis hoc morbo sublato domo sua deportari, eo ipso etiam corripiebatur. Brevi enim post invadebat eum præcedente horripilatione ingens circa præcordia anxietas, cum nausea & virium debilitate magna conjuncta; nox erat inquieta, & vehementibus venter torminibus unacum stimulis ad alvum deponendam frequentioribus afficiebatur. Ego postero die consultus cum ex pulsu sanguinis nimiam judicarem affluentiam, ægrumque sanguinis hoc tempore missionibus assuetum esse intelligerem, neque ipse in principio, de morbo, qualis evaderet, satis essem certus; ut vena brachii secta sanguis, qui satis erat crassus, detraheretur, consilium dedi. Mitigata inde anxietates præcordiales, & liberius transpiravit æger. Alvi tamen fluxus semi cruentus sequebatur & in dies crescebat. Cui vero nullis aliis remediis obviam ivi, quam pulvere meo bezoardico cum sexta parte corticis Cascarillæ & nitri permixto; quem singulis quatuor horis exhibendum jussi cum decocto, quod ex radice chinæ, Scorzoneræ, raf. C. C. santalo rubro & semine fœniculi paratum erat. Externe linimentum ex olei amygdalarum dulcium uncia una, olei menthæ & camphoræ ana drachma dimidia constatum applicandum curavi. Clysteres repudiabat, quos nec ego in hoc affectu valde necessarios judicavi. Et ita intra decem dies optime convaleuit.

Eodem tempore in vicinia alius studiosus, sanguineo-cholericus, iræ, am-

bitioni, & studiis deditissimus, sanguine turgentibus venis præditus, in eundem ex contagio incidebat morbum. Consulebat hujus urbis Medicum non incelebrem, qui singulis tribus prioribus diebus bis pilulas polychrestas ad exemplar Becherianarum confectas ad usum commendavit. Cum omnia in pejus ruerent, me quoque, ut consilio succurrerem, rogavit. Invisi ipsum, & cum pulsum tangerem, illum valde magnum & celerem quadam duritie junctum deprehendi. Æger erat valde inquietus, somno penitus carebat, & de doloribus in epigastrio & umbilicali regione ardentibus cum continua nausea & propensione ad vomitum conquerebatur. Dejectiones erant creberrimæ, eæque semper aliquo sanguine permixtæ. Rebus ita constitutis nolui quidquam ad medendum proponere; nec venæsectionem, quam in initio morbi utilissimam habueram, admittendi jam tempus judicavi. Sed nono die, doloribus simul & semel ipsum deferentibus, moriebatur.

Epicrisis.

Quam securum & minus noxium venæsectio sit remedium, ex priori casu addiscere licet. Egotamen nolim hoc præsidii genus generatim in hoc morbo commendare. Sed credo potius plus detrimenti quam emolumenti ab hac promiscue admixta esse expectandum. Nam ubi vigens succorum impurorum in sanguine abundantia, & intestinorum canalium magna vitiosorum colluvie humorum scatet, insuperque corpora sunt humidiora & spongiosiora, neutiquam venæsectione opus est. Sed aliter sentiendum in præsentis casu, ubi ex animi affectu in homine plethorico, nullo notabili in primis viis existente vitio, malum obortum fuit.

In altero casu hæc non omittenda videtur observatio, pilulas istas leniter balsamicas & ex extractis amarissimis concinnatas, in alvi fluxibus etiam cruen-

eruentis in principio præsertim exhibitas, non suo fructu carere; verumtamen in subiectis sanguine plenis, & calidioribus, ubi vitium plus est in sanguine, quam in fæcorum pravorum primis in viis abundantia, nullas video eas usurpandi indicationes. Cum ratione potius & experientia duce ea sint ipsis commendanda, quæ intestinum sanguinis motum temperandi & transpirationem promovendi polent efficacia, & qua liberiores circulum procurando inflammationes, & interna, quæ diutius hunc morbum trahunt, ulcera abarcent: in quorum censu tempestiva & ægri naturæ conveniens primum omnino locum occupat venæsectio, quæ deinde aliis idoneis auxiliis potest secundari. Ad fordes vero mucidas & acres biliosas ex intestinorum canale leniter evacuandas, serum lactis cum manna, cum rhabarbaro & tamarindis permixtum & primis diebus decenter usurpatum omnibus reliquis evacuantibus est præferendum.

OBSERVATIO VI.

Quum sub primis praxeos Medicæ annis Mindæ Westphalorum Provincialis Medici munere fungerer, graviter anno 1684. ob plane insuetam & extraordinariam siccitatem & præcalidam cæli constitutionem & quartana & dysenteria graviter grassabatur. Ver erat siccissimum, & tota æstas sicca & calidissima, adeo ut intra quatuor mensum spatium nulla pluvia observata fuerit. Malum vero his modis se prædebat: Præcedentem horripilationem dolores atroces modo infra, modo supra umbilicum sequebantur. Dejectiones interdum carniū loturæ similes, interdum sanguinolentæ, quandoque etiam purulentæ erant, mucum & intestinorumamenta secum ferentes, cum frequentissima & fere intolerabili ad secessum cupiditate. Plures in una domo serpente contagio ægrotabant,

ita tamen, ut pro diversa corporum constitutione, robore etiam & regimine, nonnulli facilius & intra quatuordecim dies, alii vero intra quadraginta dierum spatium majori cum molestia imo periculo evaderent. Nam in quibusdam erat morbus acutus, in aliis valde longus. Memini enim septimo & nono die quosdam mortuos robustos viros, sanguine turgentibus, & qui in vita vino ejusque spiritu paulo largius se ingurgitarant, præsertim quando sub ipso morbo corpus refrigeraverint, vel gravis quidam animi affectus accesserit. Qui ad malignitatem arcendam & stomachum roborandum alexipharmacis, theriacalibus & stomachicis calidioribus spirituosius atque etiam adstringentibus utebantur, ii rarius evadebant, vel gravius & longius ægrotabant. Remedia, quæ tum desideratum ediderunt effectum, erant rhabarbarina, in principio duobus vel tribus prioribus diebus data, una cum clysteribus emollientibus & demulcentibus, deinceps potiones concinnatæ ex pura aqua fontana, menthæ, chamomillæ vulgaris, admixtis pulveribus ex cornu cervi usto, philosophice præparato, bolo Armena, lapidibus cancrorum & syrupo cydoniorum, quales pulveres etiam frequentius usurpati fuerunt; quibus interdum quoque unum vel alterum granum theriacæ cœlestis admiscebatur. Rustici lacte cum aqua fontana mixto, vel sero lactis per totum morbi decursum non sine singulari fructu utebantur. Grassabatur etiam hæc lues inter milites præsidarios, quibus præerat Chirurgus, qui in India orientali per aliquot annos vixerat; cujus methodus hæc erat: Plethoricis & robustis in principio, interdum etiam in statu morbi venam secabat. Aliis, quibus vitioforum humorum in primis viis colluvies infesta erat, vomitorium exhibebat. Aliis, ubi malignitas aderat, electuarium, quod arcani instar habebat, & cujus ingredientia erant roob sambuci, theriaca, pulvis pyrius, cornu cervi ustum, & quidam

R 4

quam

Dysenteria
anno 1684.
epidemiæ.

quam camphoræ porrigebat: pro-
tu nil nisi aquam fontanam leniter
frigida concedebat. Qui non res-
puebant medicinam, & patienter sub
æquali calore se continebant, in iis
benigne & optime morbus decessit.

Epicrisis.

Diurnas veris & æstatis siccita-
tes & nimios calores, accendendo
nimis sanguinem, & ex humoribus
blandis imtemperatos & sulphureos
salsos gignendo, accedente postea
aere paulo frigidiori & humidiori,
liberam perspirationem intercipiente,
epidemicæ grassantes varii generis æ-
gritudines, maxime omnium vero
dysenterias & intermittentes anoma-
las; pleuritides quoque & alias rheu-
maticas affectiones producere, expe-
rientia per multa secula in historia
Medicæ confirmatum habemus. Id
quod etiam ab ipso Hippocrate l. 3.
aph. 16. observatum legimus. Ex hac
inordinata & præternaturali tempo-
rum constitutione, supra modum sic-
ca & præcalida, Medicus rationalis,
& qui non pure empirice una eadem-
que methodo morbum tractat, facile
perspicit, ad ejusmodi dysenteriam
epidemiam tum avertendam tum cu-
randam, medicamentis calidiora, su-
dorifera, & alexipharmaca minus
proficua, sed magis noxia esse; con-
tra diluentia, temperantia, demul-
centia, blande laxantia, & diapho-
retica convenientissima, non sine in-
signi fructu propinari. In ejusmodi
morbis a vulgo sæpius ex longa ex-
perientia meliora & commendantur
& petuntur remedia, quam a ma-
gnificæ famæ Medicis, qui sufficienti
perituri & insufficienti mor-
borum theoria instructi sunt. Cum
anno 1726. hic & in vicinis urbibus
maxime Altenburgi sæviter dysente-
ria, qua multi perierunt, grassare-
tur, ipsi rustici spretis omnibus phar-
maceuticis, quæ maxima ex parte
sunt calidiora, sero lactis item lacte

ebutytrato per totum morbi decursum
utebantur; & præ aliis felicissime
evaserunt. Est dysentericæ medendi
hæc ratio antiquissima. Nam ipse
Hippocrates libro de affect. sect. 3. it.
l. 7. epidem. §. 6. in quo historiam
dysentericæ notatu dignam cum cura
præter morem prolixius recenset, lac-
bubulum, ejus serum, asininum quo-
que coctum & ad laxandam alvum
& ad temperandos humores mirifice
commendat.

Mentio quoque fit in historia no-
stra venæsectionis, & quod in pluri-
bus robustis & sanguine plenis, ubi
neglecta hæc ipsa fuit, acutus & le-
thalis fuerit affectus. Ego certe san-
guinis missionem cum judicio & di-
scrimine in hoc morbo & præcaven-
do & curando institutam, tanquam
remedium & necessarium & saluber-
rimum, certa experientia & ratione
sufficienti fultus censeo. Miror hinc
indistincte a nostri seculi medicis hoc
auxilii genus in hoc malo sperni &
contemni; cum tamen peritissimi et-
iam antiquiores Medici, ut sunt Sy-
denhamius vid. ejus opp. p. III. Ri-
verius cent. 2. obs. 37. 44. Amatus Lu-
sitanus cent. 2. obs. 48. & plures alii
de summa venæsectionis in hoc mor-
bo utilitate posteritati observationes
reliquerit præstantissimas.

OBSERVATIO VII.

Quum æstas anni millesimi septin-
gentesimi decimi noni per totam fere
Germaniam & siccissima, & calidissi-
ma esset: mensibus Augusto potissi-
mum & Septembri popularem stragem
dysentericæ pariter, ac febres intermit-
tentes, incertæ tamen, & ad semi-
tertianarum, quas hæmitritæon di-
cunt Græci, naturam accedentes edi-
derunt. Et dysentericæ quidem sic ha-
bebant: Invadebant magis puerilia ac
juniora corpora, & ex adultis eos, qui
inordinatum vivendi genus egerunt,
fructibus horreæ, atque cerevisiis
minus defæcatis nimium indulserunt,
& acra

Histo-
ria dy-
sentericæ
an. 1719
epide-
micæ

& aeri vespertino, qui humidus, nebulosus ac frigidus erat, se liberalius exposuerunt. Deinceps in illis regionibus, ac urbibus, quæ multa stagna, paludæque, ac flumina ipsas alluentia & pervadentia foveant, veluti est Lipsia, Berolinum &c. maximeque in illis domibus, quæ proxime ad flumen sitæ erant, majorem ac crudeliorem exercebant tyrannidem. Contra vero urbes ac regiones in locis altioribus, & montosis sitæ, vel prorsus immunes ab hoc diro malo fuerunt, vel saltem illud mitissimum sunt expertæ. Qui præservandi sine acriora purgantia vel multa salina sumebant remedia, prorsus incidebant fluxum dysentericum; qui plerumque æstu febrili, tussi, quin & spirandi difficultate, in infantibus præsertim junctus observabatur. Non minus lumbrici sæpius cum stercorebus reddebantur, & infaustum exhibebant omen: tenesmus vehementer urgebat, & licet faeces cruentæ esse desinerent, nihilominus molestissime continuabat. Quibusdam cruentæ quidem, & copiosissimæ, eæque summa virium prostratione, continuisque vigiliis stipatæ erant dejectiones; sed omni dolore, cunctisque torminibus si carebant, his præceps exitium, ipsaque mors certe imminebat. Data sub morbi initium adstringentia, vel opiata, magnas inducebant noxas, & singultum, vel inflammationes oris, faucium & œsophagi, sedato fluxu, movebant. Quosdam malum per integrum imo ultra cruciabat mensem; & denique, cum Octobris accederet mensis, omnino sævire desiit. In hoc morbi genere præstantissimam deprehendi hanc medendi rationem. Primis morbi diebus ad temperandam & evacuandam saburram biliosam acrem causticam non sine fructu dedi laxantia demulcentibus nupta, vel etiam radicem Ipecacuanhæ, repetitis vicibus nonnunquam exhibitam. Ex laxantibus operæ pretium fecerunt vel rhabarbarina, vel etiam pilulæ nostræ ballamicæ; quas numero novem bis de die, interposito pul-

vere bezoardico nitroso, ac jusculi avenacei usu, propinavi. Non minus clysteres oleosi egregiam tulerunt opem, nec non pulvis meus bezoardicus, cortici cascarillæ, æquali pondere nuptus. Quibusdam cum insigni, & subitaneo levamine præscripsi mixturas, quæ ex aqua fontana, chamomillæ, menthæ, ceraforum compositæ, insuper continebant pulverem meum bezoardicum, corticem cascarillæ, species de hyacintho, theriacam celestem, oleum amygdalarum dulcium, ac liquorem anodynum. Abdomini adplicandum curavi spiritum vini, in quo oleum menthæ erat solutum; & morbo diutius protracto, felici cum successu, portiones æque ac emulsiones analepticas subjunxi. Horum ope, si accedebat restum & moderatum caloris regimen, plurimi convalescerunt: nisi quod senibus infensum ac mortiferum fuerit malum.

Epicrisis.

1 Plura in hac epidemica constitutione occurrunt momenta, quæ aliquam omnino merentur attentionem. Primum notabile est, quod cum ineunte mense Octobri morbus plane exspiraverit; licet hic mensis fructuum, pomorum, & uvarum sit feracissimus. Ex quo adparet, causam hujus epidemici stragis in miasmate quodam maligno, ex peculiaribus terrarum effluviis, ac ventorum constitutione generato, maximam partem fuisse quarendam.

2) Docemur porro ex præmissa historia, nimium æstum & fervorem solis mortalium corporibus longe majores & magis perniciosas inferre noxas, quam quidem frigus, utut sit intensissimum. Hinc anno 1709. & 1715. obigelidissimæ erant hyemes, longe mitiores hominibus incumbabant ægritudines. Præterea vero dignum est observatione, quod ingens solis ardor in locis paludosis ac humidis, majorem edat stragem, quam quidem in altioribus & montosis: in illis enim eo ipso

calore multa effluvia, plus minus putrida ex aquis & stagnis generantur, quæ copiam miasmatum malignorum insigniter augent.

3) Occurrunt etiam in hac strage epidemia exempla dysenteriarum, quas cum dolore careant, indolentes vocare solent. Pessimi sunt illæ moris & eventus; siquidem sphacelum partium internarum, maximeque intestinorum significant. Sic etiam *Wedelius* in dysenteria, anno 1669, per regionem Gothanam populariter grassante, aliquot casus adnotavit, ubi ægrotantes ab ipso invasionis momento per totum morbi decursum, non de minimo quidem dolore sunt conquesti, nihilominus statim ab initio cruenta dejecerunt, & certissime perierunt, vid. *A. N. C. dec. 1. anno 2. observ. 43. & dec. 2. ann. 1. observ. 60.* His in casibus maxima miasmatis contagiosi accusanda venit malignitas & insuper ipsa ægrotorum constitutio consideranda, qui plerumque insigni humorum labe ac scorbutica dyscrasia laborare deprehenduntur. Unde fit, ut succi vitales protinus emortualem in intestinis subeant statim & corruptionem.

OBSERVATIO VIII.

Dysenteria
an. 1726.
epidemia.

Postquam in his nostris regionibus anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto hyems antecessit sicca & aquilonia, ver autem pluviosum & austrinum, & denique æstas excepit sicior iterum ac calidissima: factum est, ut hæc dysenteriarum serax fuerit, quæ vero binis potissimum momentis a fluxu dysenterico, alias epidemico sese distinxerunt. Primum enim contra morem solitum cum in eunte æstate mense Junio invaserunt, & per sequentes Augustum, Septembremque sævierunt: deinceps etiam contra consuetum ordinem in montosis ac celsioribus locis majorem ac graviolem, quam quidem in planis & campestribus exercuerunt tyranni-

dem. Ipse morbus sic habebat: Ægri statim adpetitus jactura, & summa virium prostratione correpti, atrocissima tormina, & acutissimos in imo ventre perferentiscebant cruciatus; quibus accedebant insignes præcordiorum anxietates, graves cardialgiæ, atque vomendi conatus: raro enim ipsæ incidebant vomitiones. Tum inter vagas horripilationes atque phlogoses, molestissimus jungebatur tenesmus, & frequens desidendi cupiditas, siquidem quadragesies, quinquagesies, & ultra fiebat quotidie dejectiones primum mucosæ, post sanguine paullulum tinctæ, dein carneæ, tandemque cruentæ. Adhæc tres potissimum mali classes vel gradus adnotare licebat: prior admodum benigna, nec nisi vagis horripilationibus & caloribus stipata erat, ubi ægrotantes non semper in lectis decumbere debuerunt: altera minus maligna comitem habebat febrim vel quartanam, eamque continuam, vel semitertianam: tertia vero maligna, cum acuta, & veluti inflammatoria febre conjuncta, efferata symptomatum ferocitate affligebat, magnumque in alias propagabat contagium, & tantum non semper brevi lethaliqve solvebatur eventu. Præterea sicuti potus frigidus noxam inferebat insignem; ita præsertim cerevisia, utut calida fuerit, majores anxietates & dolores, ac acerbiora in abdomine excitabat tormina. Refrigeratio quæcunque malum grayius, fomentationes vero, cumprimis regionis umbilicalis dolores reddebant mitiores. Adpetitus porro dejectus gravem hunc affectum esse, graviolem vero, imo malignum, febris complicatio significavit: non minus virium cum prima mali accessione summa prostratio, ut plurimum funesta fuit. Illi, qui hausto dysentericæ contagio, atrocibus mox torquebantur cruciatibus, erumpente postea largissimo sudore, sub eadem torminum atrociam, & excretionum per inferiora pariori successu, nausea vero, & vomine.

mendi conatu majori, vix evaserunt. Tandem quæ dysenteria antea cum febre continua erat conjuncta, deinceps febri hæmitritea, vel corrupta alia stipabatur, funestum ut plurimum sortita est eventum, vel saltem in lentam hæticodeamque febrem, cum tumoribus œdematosis transiit. Qui medicorum, vel potius empyricorum, materiæ noxiæ & contagiosæ excretionem, datis improvide adstringentibus & opiaris sistere studuerunt; in præceptum vitæ periculum conjecerunt ægrotantes. Curationem quod attinet; ea prout vel benignum, vel magis malignum fuit malum, duplici ratione instituta. Benignum dicta jam in præcedentibus observationibus ratione oppugnavimus; ubi autem oleum amygdalarum dulcium, aut olivarum, multo magis, si illud more communium spiritu vini, & aceto destillato mixtum fuerit, non sine gravi noxa datum meminimus; illud enim solum adauxit intestinorum atoniam, cum spiritu vini maritatum majores excitavit dolores. In maligna dysenteria cum vehementi febre conjuncta, principalissima cura febri tributa fuit, quam pulveres absorbentes, ac fixi diaphoretici, nitro nupti, & vel soli, vel ex aquis diaphoreticis propinati, non neglectis reliquis egregie mitigarunt: neque minus venæsectio sub morbi initio administrata, plethoricis mitigationem reddidit morbum; Vomitoria autem, & purgantia, ipsæque polychrestæ pilulæ, ob aloem, quam fovē, magis exasperarunt. Pro potu ad sitim, quæ vehemens erat, extinguendam, egregie inservierunt, vel emulsionem ex amygdalis dulcibus, cum jusculo avenaceo paratæ, vel serum lactis dulce, vel etiam lac cum fonte Selterano maritatum. Denique declinante morbo roborantia, & ex his vinum Gallicum Pontac operæ fecerunt pretium. Ad molestissimum illum tenebrum sublevandum fœtus & vapores ex decocto lactis cum floribus sambuci, malvæ, chamomillæ vul-

garis ad posteriora admissi, & mucilagines seminis cydoniorum, psyllii, convenienti dosi ano crebrius inditæ omnium optime profuerunt.

Epicrisis.

1) Quodsi originem dysentericæ hujus epidemicæ inquiramus; eam a vitio quodam, in aere obversante repetendam esse, tam late grassans illius impetus significat. Verum non neglectui habendæ sunt aliæ causæ, & quidem primum tempestati animadversio debetur. Namque sub hyeme sicca, & aquilonia fibræ musculares strictiores ac rigidiores factæ, impuritibus per cutis spiracula excludendis exitum denegarunt; quæ insequente vere pluviolo nimium relaxatæ, apertis iterum cutaneis poris, varias ex atmosphæra susceperunt impuritates. Hæ demum accedente æstate calida atque sicca valde expansæ, commotæque, reliquos etiam succos in fermentativam indolem simul abriperunt: unde accedente quadam occasionali causâ, vel stimulo intestinorum, facile fuit, suboriri dysenteriam.

2) Has vero inter procatacticas causas vitiosa ingestorum, ac fructuum horæorum illuvies nullum habet locum: quoniam hoc tempore, cum Junio jam mense malum grassari cœperit, eorundem nulla fuit copia. Sed potius quicunque menses tempestatem fovēt dysentericæ opportunam; in iis, quamvis raro, grassator etiam ille morbus. Sic ACT. WRATISL. *Tent. VII. pag. 288.* dysenteriam mense Martio, & DIEMERBROECK *obs. med. VI. pag. 593.* eandem per Januarium & Februarium grassantem memorant. Nihil tamen minus haud a veritate me aberraturum credo, si potulentorum vitio in nostro casu multum tribuam. Quum enim per tempestates justo calidiores ipsæ fontium aquæ putridæ soleant fieri; illæ præbent cerevisias minus salubres & acce-

scientes, quæ ab hominibus id temporis vehementer sitientibus, copiosius haustæ, acrem ac biliosam in primis viis relinquunt saburram, mole sæpenumero paucam, eo vehementiori tamen stimulo intestina afficientem.

3) Communiter dysenteria locis in planis ac campestribus graviores esse solent, quam in montosis; eo quod atmospheræ impuritates in planitie non æque ac in celsis locis aeris liberioris transitu, & ventorum multiplicato spiramine dissipari & removeri possint. In nostra dysenteria contrarium observare licuit, nec obscura est ratio. Quod si enim verum est, aeris inesse, eoque inspirari contagium epidemicum, & pro varia ventorum natura atmospheræ insinuari; veritati quoque respondet ratio, qua asserimus, contagium recensiti mali epidemicum, ventis fuisse adductum, & magis celsioribus, utpote ventorum flatibus admodum expositis, quam campestribus regionibus, eorum insultui non ita subjectis, fuisse insinuatum.

4) Notari hoc loco meretur, dysenteriam interdum absque tempestatis vitio, popularem stragem edere, ex solo miasmate maligno per aerem obversante. Tum vero certis terrarum tractibus quasi inclusus observatur affectus; tum quoque multa insectorum copia in aere cernitur; & tum in montosis magis tyrannidem exercet malum locis; quemadmodum, quod ex sola tempestatis subita mutatione suboritur, campestribus ac planis regionibus insensius est.

CAPUT VIII.

DE

CHOLERA ET DIARRHOEA BILIOSA.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Valde conveniens cum dysenteria morbus est, quem a copiosa biliolæ saburræ per os pariter ac anum facta excretionem, Græci choleram vocant, CÆLIUS vero AURELIANUS per fellis suam passionem interpretatur, & WILLISIUS *Pharm. rat. Part. I. sect. 3. c. 3.* dysenteriam incruentam appellat. Ea autem est motus ventriculi ac intestinorum peristalticus, ab inhærente varii generis materia acerrima & caustica, ad convulsivam contractionem proripatus, ex parte præter naturam inversus, & cum immoderatis biliolæ saburræ tam per superiora quam inferiora rejectionibus conjunctus.

Definitio cholerae.

§. II.

Cujus ante omnia differentiam a fluxu dysenterico notare convenit. Illa enim ad acutissimos referri meretur morbos; & intra paucos dies, ad summum septimo finiri solet, cum dysenteria, nisi fuerit summe maligna, diutius durare deprehendatur. Neque subinde dysenterico fluxui semper conjunguntur vomitiones, nisi forsitan in principio, aut vigente mali impetu, si accesserit ventriculi inflammatio, illæ nonnunquam occurrant; at cholera nunquam sine vomitu est; sed nec tam molesto, uti dysenteria, tenesmo stipatur, nec tam frequentes cruoris dejectiones exhibet, nec denique contagium, uti dysenteria spargit.

Differentia cholerae a dysenteria.

§. III.

Non minus discrepat cholera a diarrhoea biliosa. Quamvis enim utriusque affectus eadem ferme deprehendantur causæ.

Differentia diarrhoea biliosa a cholera.

diarrhœa
biliosa.

causæ: attamen & diversa exhibent symptomata, & diversam præbent prognosin. Nam sicut diarrhœa biliosa nihil est aliud, quam copiosa saburra biliosa, vi motus peristaltici intestinorum in suo naturali, vel deorsum tendente itinere, spasmodice contracti per anum facta excretio: ita è contrario hæc diarrhœa nunquam in cholera quidem abest: sed præter eam adhuc inversio quædam peristalticæ, ventriculi potissimum ac duodeni accedit, & ideo conjunctæ semper sunt vomitiones.

§. IV.

Distinctio
cholerae
in
siccam
& humidam.

Distinctio cholerae ipsius in siccam & humidam non insuper habenda est: illa dicitur, si flatulentis vaporibus ventriculus ac intestina adeo distenduntur, ut illi non sine summis anxietatibus, copiosa quantitate supra infrave eruantur: cujus notabile exemplum recensetur in *Act. Med. Berolin. dec. 2. vol. 3. p. 73.* de quo nobis sermo non est. Humida vero vocatur, qualem §. 1. descripsimus: quæ iterum vel cum febre, eaque gravi inflammatoria complicatur, quam medici ardentem seu causticam appellant, & nos *Tom. 4. med. Syst. P. 1. descripsimus*; vel sine regulari febre, licet non sine omni horripilatione, ac incerto æstu deprehenditur. Hæc plerumque est idiopathica: licet etiam symptomatice nonnunquam accedat dentitioni difficili juxta *Sydenhamium prax. med. pag. 754.* febribus malignis secundum *Riverium Cent. 3. obs. 78.* & febris leipyræ, quæ absque superveniente cholera non cedere scribitur ab *Hippocrate in Coac. aph. 123.* & *Dureto in Holler. de morb. int. L. I. Cap. 31. pag. 235.* quibus etiam morbis non raro biliosum dumtaxat alvi profluvium jungi solet.

§. V.

Subjecta
diarrhœa
&
cholera
biliosa.

Eadem fere utriusque morbi sunt subjecta, nimirum juniora, quæ biliosa, sicciori & cholericæ gaudent constitutione; cons. *Hipp. Sect. 3. aph.*

30. siquidem succulentiora, phlegmatica, & sanguinea, alvi magis pituitoso laborare solent profluvio. Cum primis cholerae observantur expositi, qui succos vitales acrimonia quadam scorbutica contaminatos possident, aut saburram acidam in primis sœvent viis, ut fere sunt hypochondriaci, scorbutici, & cachectici, indole simul iracunda præditi. Æstivo quoque & fervidiori existente tempestate, morbus hic potissimum infestat: & quo calidiores sunt regiones, eo frequentior & gravior occurrit: unde incolis Indiæ, Mauritaniæ, Arabiæ, Americæ endemius scribitur a *Bontio hist. nat. Ind. Lib. 4. cap. 6.* & *Thevenot liner. par. 2. Lib. 2. cap. 20.*

§. VI.

Quod morbi historiam attinet: *Historia morbi.* scire refert, choleram plerumque uno impetu invadere. Quamvis enim sæpius ructus acidi, nidorosi, dolores ventriculi ac intestinorum pungentes, ac cardialgici, & præcordiorum anxietates antecedant: tamen paullo post uno impetu & tempore sequuntur vomitiones æque ac dejectiones. Et primum quidem ciborum ejiciuntur reliquiæ, post humores biliosi, plus minus mucos permixti, mox flavi, mox æruginosi, mox nigri, plerumque acidissimi ac fere corrosivi, una cum copiosis ructibus & flatibus, nec non ipso nonnunquam sanguine, repetitis frequentissime vicibus redduntur. Præterea acutissimi dolores, torsiones, rosiones, mortificationes, inflationes, ac borborygmi sentiuntur in intestinis, maxime supra umbilicum: & vehementissimæ adslignant cardialgiæ. Malo ingravescente, sitis accedit magna, extrema refrigerant, cor palpitare incipit, septum transversum singultuosus agitur succussionibus, urinæ fluxus cohibetur, corpus gelidis perfunditur sudoribus, & non raro graves animi defectioes, sæpius syncopiciæ, quin horrendæ totius corporis conjunguntur

con-

convulsiones. Brevis quoque mali est exitus: interdum enim tertio, vel quarto, vel, quod rarius est, septimo die solvitur; nec unquam diutius protrahitur, nisi in alium transeat morbum.

§. VII.

Historia
morbi
juxta
Veteres.

Ex veteribus cholericæ passionis historiam accurate delinearunt *Aræteus* & *Celius Aurelianus*: Hic enim *Lib. 3. c. 20.* ita describit morbum: præcedit frequenter cholicos stomachi gravedo, tensio, anxietas, jactatio, vigilix, tormentum intestinorum cum sonitu, ventris dolor; atque per podicem ventris fluor nihil relevans, ructationes fumosæ, nausea, salivæ fluor, gravedo thoracis. Surgente passione jugis vomitus, & primum corrupti cibi, & humoris atque fellis flavidus; dehinc vitellis ovorum similis; tum prasii ac æruginosi; ultimo nigri; ventris turbatio cum dolore, & egestio vomitorum similis, hoc est spumosa & acerrima, cum frequenti delectatione vomendi. Crescente passione aquati atque tenuis liquoris fit egestio, & aliquando similis loturæ carnis. Feruntur etiam cum his humoribus plerumque subalbida, desputa; sequitur densitas pulsus, & articularum frigus, atque vultus nigrore fuscatus; ardor atque sitis insatiabilis; spiratio celerrima; contractio membrorum, cum nervorum tensione, ac surarum & brachiorum. Præcordiorum ad superiora raptus, cum dolore ilijaco simili: aliquando egestio ventris sanguinolenta: vultus in maciem deducti, oculi rubri, & in ultimo singultus &c. *Aræteus* autem *Lib. 2. cap. 5.* ita scribit: Cholera est vitium acutissimum: supra enim per vomitum erumpunt, quæ in ore ventriculi, & gula congesta fuerant; infra deiciuntur humores in ventriculo, & intestinis natantes. In primis quæ evomuntur, aquæ similia sunt: quæ anus effundit, stercorea, liquida, tetricæ odoris sentiuntur, quod si per clysterem hæc eluantur, primo pituitosa, mox biliosa feruntur. Initio fa-

cilis morbus, dolore vacans; postea vero tensiones in ore ventriculi & gula: tormina in ventre nascuntur. Si magis sæviat morbus, anima deficit, membra resolvuntur, cibos exhorrent, animus consternatur: nervi tenduntur, tibiæ brachiorumque musculi convelluntur, digiti incurvantur, vertigo oboritur: singultiant, ungues livent, algent extrema, totum corpus rigore concutitur. Si ad ultimum venit malum, tum ægrotus sudore perfunditur, bilis infra suprave prorumpit, convulsione impedita, vesica lotium cohibetur, voce privatur: arteriarum pulsus minimi. Mors demum sequitur doloribus plena & miseranda, per convulsionem, strangulatum & inanem vomitum.

§. VIII.

In cholera peremptorum cadaveribus, post mortem dissectis, intestina præcipue gracilia, speciatim duodenum, cum dextro ventriculi orificio intus gangrenata, extrinsecus bile suffusa ac flava, ductus vero biliferos nimium relaxatos inveniri, perhibent observationum medicarum scriptores, quos inter *Doleum encyclop. med. Lib. 3. cap. 4. pag. 418.* & *Bartholinum hist. amat. Cent. 2. obs. 81.* allegasse sufficit. Præsertim *Riolanus athropol. Lib. 2. cap. 20.* cystidem felleam amplam, ductumque cholidochum insigniter distentum adnotavit: & *A. M. Berol. dec. 2. Vol. 8. p. 80.* ejusmodi lethalem cholera casum allegarunt, ubi duodenum cum pyloro interne gangrenatum, ac materia ex fusco nigra (qualis vomitu rejecta, & examinata, non nisi bilis sanguine permixta fuit) repletum: vasa venosa ventriculi craore turgida, fellea cystis valde flaccida, & omentum versus ventriculum revolutum, conspectui sese obtulerunt.

§. IX.

Quis inde non videt, sedem cholera, sicuti generatim in toto ventriculi ac intestinorum volumine: ita speciatim in duodeno, atque viis biliferis querendam esse? unde sæpenumero uni-

Sedes
anato-
mica
cholera
perem-
torum.

Sedes
& cau-
sa ma-
terialis
cholera.

vera.

verum nervorum genus in tristem malorum rapitur societatem. Neque enim ratio aliam determinare potest sedem, si causam affectus nostri spectemus materiam. Nam vomitibus æque ac alvo quæ redditur materia, tantum non semper biliosa, licet non æque sincera ubivis bilis, existit; & modo humoribus acidis, pituitosis, salinis, aliisque peregrinis, nec non ipso cruore permixta cernitur: unde etiam varios colores modo flavum, modo viridem, modo nigrum, & alios sortitur. Ejusmodi vero bilis commixtio non in alio loco, quam intestino potissimum duodeno fieri potest: quippe quod partim oblinuosum situm ac flexuras, partim affluentem ex ductu cholidochi bilem æque ac pancreaticum succum, producendæ & fovendæ saburæ istius modi acerrimæ est opportunissimum.

§. X.

Causa
proxima, &
ratio
symptomatum.

Et inducta quidem ab ejusmodi causifica materia vellicatio tunice, quæ ventriculum & intestina cingit, nervæ, causam cholæræ præbet proximam; siquidem hanc statim excipit convulsiva eorumdem contractio, quæ morbus absolvitur. Hæc enim, accedente materiæ peccantis rosione, dolores tendentes, purgentes, lancinantes, rodentes, morficantes, ac cardialgicos producit; atque in ventriculo, ac duodeno contra naturæ ordinem sursum tendit; in reliquis vero intestinis deorsum procedit: unde vomitiones atque dejectiones simul fiunt. Quemadmodum vero perpetuè instar regulæ habendum est, quod ad vellicatas in corpore partes major fiat humorum affluxus: ita quoque in nostro morbo succi vitales copiosius ad vasa ventriculi ac duodeni, tanquam primario affecta, ruunt. Dum autem hæ partes spasmus constringuntur; non possunt allati succi liberius per venas refluere; hinc eas infarciunt, ac primum subtiliores particulas, quæ ut plurimum sunt acres, serosæ, sulphureæ ac biliosæ, in affectæ partis cavitatem plorant: unde mira excretorum in cholera hu-

morum copia derivanda erit. Ulteriori mora ipsa vasa velrumpuntur, cruoremque exstillant, cum saburra biliosa in nigrum crama coeuntem; vel stasini subeunt, ac lethalem inflammationem & gangranam. Interim spasmorum tyrannis ad vicinas quoque regiones vi consensus nervorum propagatur; & sic omnium maxime ductus biliferi sævis agitantur motitationibus, ut bilem suam effundant in duodenum, ac cessante cum morte spasmorum impetu, flaccidi ac relaxati adpareant. Porro si transeunt violenti motus ad cordis fabricam, ejus palpitaciones; si ad diaphragma, singultus; si ad vesicam urinariam, mictus difficultas; si ad cutis ambitum, extremorum refrigeratio; si denique ad membranas cerebri & medullæ spinalis, epileptici ac convulsivi suboriuntur motus,

§. XI.

Quibus explicatis perscrutandæ jam mediata veniunt causæ, a quibus producit materia, tantis tumultibus excitandis opportuna: quæ sive mole pauca, sive major fuerit, semper summe causificæ & acerrimæ debet esse indolis, ut morbum distinguat ab aliis excretionum per vomitum & alvum generibus. Atque hanc primum inferunt venena, quippe quorum perniciosus in corpora effectus non alio, quam cholæræ significari potest nomine; adeo ut cholera, & toxico interire, idem fere sit. Cuncta vero venena sale causifico acerrimo operari, notum est; quod licet parcissima sæpenumero quantitate corpus intret, vehementissimam tamen ventriculi ac duodeni, hinc & reliquorum intestinorum vellicationem ac convulsionem infert: unde non ex sanguinis solum massa humores serosi ad eas partes secernuntur, verum cystis quoque fellea, violenter concussa, effundit biliosum suum liquorem; qui prout hic vel ille jam præsto sit in primis viis humor, vario colore tinctas & vomitiones & dejectiones exhibet. Quam igitur tristissimam & plerumque fœralem tragediam, a summo potissimum ar-

Causa
cholæræ
mediata
sunt:]
venena.

arsenico, quin etiam mercurio sublimato, ludi, quotidie pro dolor! observamus; & praesertim HILDANUS, DECKERUS in not. ad Barberte, & SALMUTH Cent. I. obs. 10. exemplis illustrarunt. Et quæ ab auctoribus de dysenteria a sumtis venenis excitata referuntur observationes, eas ad cholera omnes applicandas esse puto.

§. XII.

2] Purgantia & emetica aciora.

Similem venenis vim possident purgantia & emetica aciora, majori dosi, aut minus opportune propinata, quippe quæ sal quoque sœvent acerrimum. Effectus eorundem perniciosi vulgo hypercatharicos, vel hyperemeseos nomine exprimuntur; quæ si conjunguntur, uti plerumque fit, cholera omnino constituunt. Ejusmodi sunt esula, cataputia, semen Mezerei, vitrum antimonii &c. Ex antimonialibus haud rite præparatis cholera vehementissimam notavit RHODIUS Cent. II. obs. 73. ex helleboro albo FO RESTUS Lib. XXVIII. obs. 44. ex colocynthide idem obs. 42. & STALPART VANDER WIEL Cent. I. obs. 41.

§. XIII.

3] Cibi nimium dulces pingues ac fermentescibiles.

Præterea cibi nimium fermentescibiles, dulces, pingues, & qui facilius corruptionis, cholera excitare possunt, si vel cerevisia minus defæcata, aut etiam aqua iis superingeratur, & illi ab impuro corpore, cujus in ventriculo biliosa jam latet saburra, assumantur. Hæc enim subjecta cum bile coeuntia, & confermentata, generant acrimoniam veneno magis causticam: quo pertinent melones, pepones, cucumeres, fructus indorum ananas, mala persica, pruna, maxime cerea, uvæ, cerasa, panificia, cum multo butyro frixa, placentulæ mellificæ, fungi, ova piscis barbi, mustum, vinum ac cerevisia recens, carnes nimium pingues &c. Sic cucumeres, pota desuper cerevisia, a vetula comesti, lethalem peperisse cholera, testis est FONTANUS analect. Cap. 21. exemplo 12. eandem a malis persicis excita-

tam recenset GULDENKLEE Lib. III. cap. VIII. quid? quod a lactis inopportuno usu productam refert HENRICUS AB HEER obs. XV. pag. 149.

§. XIV.

Nec excludenda sane ex causis cholera est gravis iracundia; quæ compri-
4] Gra-
vis ira-
cundia.
mis ipsi progneranda potentissimam vim obtinet, si inter ipsum patum, comestis cibis fermentescibilibus quis exarserit, aut statim post iram potum vel cibum, vel, quod pessimum est, emeticum, aut purgans aliquod sumserit. Namque neminem fugiet, iræ efficaciam primis potissimum, atque biliferis vi esse insensibilissimam; utpote non solidas ac motrices has solum commovet partes; verum eo ipso orgasticæ bilis cum alia, quæ forsitan adest, saburra effervescentiæ amplam præbet causam. Tali ratione cholera ex ira, sumta desuper brassica subortæ exemplum allegant ACT. MED. BEROL. dec. II. vol. I. pag. 36. eandemque a vehementiori ira lethalem recensent eadem ACTA vol. VIII. pag. 80. nec non PLATERUS observ. Lib. III. pag. 754. & BORELLUS Cent. II. obs. 27. pag. 121. Atque non alius, quam cholera morbus est, quem teneri infantes, ex matrum ira exandescantium culpa, sæpenumero patiuntur, nunquam sine vitæ periculo. Provenit ille ex lacte, per iram matris orgastico facto, & in sensibili infantis ventriculo cum bile effervescente, intestina arrodente, ac plerumque in lethalem inflammationem abeunte.

§. XV.

Quæ quidem hæcenus recensere causas, si acrimonia gradu benignior fuerit, & profundius intestinis inhaeserit, solum diarrhoeam efficient biliosam. Hæc vero alias adhuc agnoscit causas, quæ quidem haud facile cholicam excitare solent passionem. Et cumprimis notari meretur, criticæ nonnunquam fieri biliosam alvi fluxionem in subjectis biliosis, si vel levis in victu error, vel iracundia, vel transpirationis

Causa
mediata
diar-
rhoeæ
biliosæ.

nis cohibitio præcesserit ; quin eadem non raro sponte suboritur , idque æstivo potissimum tempore , & rite tractata in corporis vergit salutem . Non minus sæpissime fit , ut ejusmodi diarrhœa biliosa , critico motu per febres intermittentes biliosas , quales sunt pleræque tertianæ , incidat , corpusque insigniter sublevet .

§. XVI.

Causæ
proca-
usæ

Sunt etiam causæ quædam procatarticae , quæ si concurrerint cum mediatis , & cholera & diarrhœam biliosam eo certius prognerabunt . Ejusmodi sunt primum aeris fervidior constitutio , quæ uti omnes totius corporis succos , ita præsertim bilem in organiceam deducere valet commotionem . Hinc derivandum esse credo , cur Indis , & Arabibus endemiæ dicantur cholerae ; præsertim cum accesserit frequentior fructuum Ananas , qui iis in locis reperiantur , & succo fermentante noxiosissimo præditi sint , usus . Deinceps corporis quoque nimia refrigeratio , reprimendo serum acre biliosum , ad cholera disponit : unde SCHENCKIUS *Lib. III. obs.* cholera meminit , quæ expedum refrigeratione , accedente musti & fungorum usu , suborta fuit . Et denique cum SYDENHAMIO , gravi scriptore , *Oper. med. pag. 216.* frequentes erupulas tam vinosas , quam cerevisarias , tanquam occasionalem cholera causam , in subiectis choleris , omnijure accusamus : quippe quibus robor ventriculi , & intestinorum debilitatur , varique cruditates acidæ in primis viis generantur ; quæ accedente vel leviori bilis commotione , gravissimas in œconomia vitali producant turbas .

§. XVII.

Prognosis.

Si denique prognosin recensitarum eo usque ægritudinum spectemus ; ea in cholerica passione plerumque feralis est . Nullus enim , nisi forte pestem , & febres pestilenciales exceperis , brevioris est exitus , tamque cito homines jugulat morbus , quam cho-

Hoff. Syst. Tom. VI.

lera ; cumprimis si vel senes , vel infantes , vel longo morbo debilitatos invaluerit . Quo magis caustica est rejecta materia , quo intensior sitis & æstus ; eo certius periculum ; & si bilis atra , sanguineque atro permixta deiciatur , præfigit inevitabile exitum juxta HIPPOCRATEM *Lib. IV. aph. 22.* Non minus mortem significant juncta animi deliquia , singultus , convulsiones , extremorum frigus , & sudores gelidi ; nec boni quidpiam expectare licet , si compressis excretionibus reliqua persistant symptomata . Verum salutis affulget spes , si conquiescant vomitus , cum insequente somno , & levamine ; sique ultra septimum morbus protrahatur diem . Diarrhœa biliosa , si brevis sit , & sine magnis torminibus adflagat , salutariter decurrit ; eandemque finiri , erumpentes denuo status indicant : nec non in tuto fere est , quæ siti & æstu caret . Contra vero fusa sub alvo cibi cupiditatem perire , malum ; utique si acutiora simul urgeant tormina , somnus eripiat oculos , & vires insigniter prosternantur . Quandocunque sive dysentericæ sive cholericæ passioni aut diarrhœæ biliosæ , vel biliosis vomitionibus febris semitertiana , quæ Grecis hemitritæa dicitur , & ex febre acuta inflammatoria & intermittente tertiana alternante sic paroxysmo est composita , jungitur ; affectus hi non summi sunt expertes periculi : optimum vero dictis in morbis signum præbent statuum per inferiora eruptiones , ex quibus motus intestinorum peristaltici quodammodo restituti non facile fallax indicium potest sumi . In dysentericæ ructuum eruptionem jam tum suo tempore HIPPOCRATES pro convalescentiæ signo cognovit .

Theses Therapeuticæ.

S. I.

Indica-
tiones
curato-
riæ.

SI in omnibus morbis, certe in cholera nunquam locum habebit cura per expectationem: siquidem juxta **CORNELIUM CELSUM** *Lib. IV. 2.* nulli morbo minori succurritur momento, & secundum **TRALLIANUM** *Lib. 4.* exigua levisque curandi mora in eo est pessima. Quo igitur citius, & in principio succurritur cholere, eo felicior evadit curatio. Hanc vero adgressuro tres potissimum occurrunt indicationes; nimirum ut ante omnia peccans & noxia materia corrigatur, attemperetur, ad exitum disponatur, & si opus fuerit, arte proscribatur; deinceps effrænes motus apte & convenienter sopiantur, & denique labefactatum nervosarum partium robur instauretur.

S. II.

Curatio
cholerae
ex illu-
vione ci-
borum
fermentesci-
bilium.

Prima igitur cura esto, noxii humoris attemperatio, & adjuvanda excretio. Prout autem illi sunt varii, & vel magna cruditarum biliosarum copia, vel pauca nonnunquam materia subtilis, ejusque caustica moles, tantorum tumultuum causa deprehenditur: ita paullo diversa exigitur medendi ratio. Quodsi igitur ab assumptorum nimia quantitate, cibis fermentescibilibus, cum bile in acerrimum magma abeuntibus, malum propullulaverit; promovenda erit vacuatio, si impeditior fuerit, nec quod probe notandum, vires nimium prostratae sint. Neque vero emetica vel purgantia positiva hoc sine propinare convenit; sed vomitum hausta copiosius aqua tepida, butyro insulso, vel oleosis ac mucilaginosiss, large imbuta adjuvare; alvi vero successum, infusis ano clysteribus oleosis, & emollientibus, quibus serum lactis egregie interserviet, promovere expedit. Non minus egregiam merentur laudem juscula pulli junioris, copiosius hausta, quæ a **SYDENHAMIO**

MIO potissimum commendantur. His oretenus jungenda absorbentia, terrea, noxiamque acrimoniam temperantia; veluti sunt pulveres ex lapidibus cancrorum, conchis citratis, matre perlarum, terra sigillata, coralliis præparatis, succino, pulvere Marchionis, speciebus de hyacintho, terris bolariibus, cornu cervi usto, spodio fossili, chrystallo montana, quam multi habent pro specifico, addito theriacæ causticis tantillo confecti. Ipsum quoque serum lactis, egregia temperandi, sitimque, qua crudeliter sæpius vexantur, extinguendi virtute pollet. Et veteres quidem, sicuti **COELIUS AURELIANUS** *morb. acut. Lib. III. cap. 21.* & **TRALLIANUS** *Lib. VII. p. 376.* multis laudibus commendarunt potum aque temperate frigide: de cujus utilitate recentius exemplum allegat **BOREL-LUS** *Cent. 2. obs. 27. p. 131.* & ego multis observationibus convictus sum.

S. III.

Ubi vero ex sumpto veneno, vel mota hypercatharsi vel hyperemesis, in subjecto alias sano, cholericus emergit morbus; causaque ipsius in pauca materia acerrima fibris ventriculi nervis inhaerentis mole consistit: non quidem cohibere, neque vero adjuvare decet vacationes. Omni potius studio in id erit incumbendum, ut causticus ac tenuis humor involvatur: quo quidem sine larga quantitate oleosa, mucilaginosa, & pinguis sorbere juvat; veluti oleum amygdalarum dulcium, decocta cum rasura cornu cervi, avenæ, hordei, ipsumque etiam lac, quod eo præstantiorem vim exferet, si cum absorbente quodam fuerit remixtum. Præterea quoque pulveres absorbentes exhiberi, & cum acidulis remediis, quæ ad castrandam veneni vim mirifice interserviunt, alternari possunt: quæ inter eminent mixtura simplex, spiritus vitrioli dulcis, nitri dulcis &c.

S. IV.

His interponenda pariter, ac post morbum evacuatam peccantem materiam sub-
jun-

Curatio
cholerae
a materia
caustica,
mole
pauca
suborta.

natura-
lis im-
petus
sapien-
tius.

jungenda, præsertim si collabi-
nium videantur vires, sunt remedia
antispasmodica, imo analeptica spe-
cifica ex animali potissimum regno
desumpta, cujus generis sunt, hepar
lupi exsiccatum, rasura priapi cervi,
cranii humani, ungulæ alcis, cancri
usti fluviatiles, ossa humana calcina-
ta, quæ ad convulsivas spasticas ner-
vosarum fibrarum constrictiones æque
in cholericæ ac dysentericæ affectione
mitigandas non carere egregio suo
fructu, plures medicorum peritissimo-
rum confirmant. Et sicuti semper,
ita in hoc præsertim morbo anody-
nis tutissime utimur, si vacuantibus
decenter sunt nupta: quemadmodum
sunt pilulæ de styrace, de cynoglos-
sa, *Wildegansii*, *Starekegange*, quæ
vacuantia simul foveant ingredientia,
& si suspicio de præsentē adhuc ma-
teria fuerit, motus tamen efferati ni-
mis sint, illæ cum pilulis aloephan-
ginis, vel nostris quoque balsamicis
permisceri possunt. Pulveribus ab-
sorbentibus theriacæ celestis, extractum
castorei, cinnabaris addi merentur;
& cumprimis operæ pretium faciet,
liquor noster anodynus, quem cum
oleo macis, vel etiam tinctura ca-
storei maritatum vehementer laudo.

§. V.

Exter-
norum
usus.

Neque sua laude carent externa
paregorica, & anodyna; quo fine
celebrantur emplastrum de crusta pa-
nis, ceratum stomachale mastichi-
num Galeni, balsamum embryonum,
spiritus theriacalis, linimenta ex oleis
nervinis, absynthii, nucistæ, men-
thæ, balsamo Peruviano, castoreo,
camphora parata, cataplasmata ex
fermento panis, aceto rutacæo, &
spiritu vini, nec non sacculi discuti-
entibus, & paregorici. Ubi quoque
motus insigni ferocitate urgent, nec
moli materię ullo modo respondent;
non præstantius, nec efficacius, ad
eos placide sistendos, & reliquam cu-
rationem facilitandam est præsidium
oleo nucistæ expr. cum linimentis
nervinis ad ventriculi regionem ad-

plicando. Non minus commendatio-
nem meretur balsamum nostrum vi-
tæ dictum, cum linteis duplicatis af-
fecto loco admovendum.

§. VI.

Horum ope excreta, quæ malum
fovebat, materia noxia, & consopi-
tis motibus; eo fructuosius erit, par-
tes sub hoc morbo labefactatas con-
venientibus corroborare medicinis,
quo magis eorundem tonus destru-
ctus esse solet. Et huic scopo eadem
conveniunt subsidia, quæ præcedente
Capite commendavimus. Cumprimis
vero superato morbo victu facili uten-
dum, & ab animi pathematibus ab-
stinendum: ne debiliori adhuc inte-
stinorum robore existente, nova pro-
ducatur cholæræ recidiva. Cuncta ci-
borum genera virtute præstanti lon-
gissime superant juscula, ex carnibus
vitulinis, gallinaceis, radicibus cicho-
rei, petrolelini, asparago, chæreso-
lio, cancris contusis, succo citri pa-
rata: cum quibus etiam tincturæ mar-
tiales roborandi sine sumi poterunt.

§. VII.

Quod curationem diarrhœæ biliosæ
attinet, ea si moderator, viribus
integris fuerit, vix eget medicatione.
Si impeditior successerit, clysterum
externo, rhabarbarinorum interno
usu, adjuvari desiderat. Si modum
denique exceßerit: ad acrimoniam
temperandam pulveres absorbentes
cum crystallo montanâ, ad spasmos,
sedandos, liquor anodynus ex aqua
menthæ capiendus, extrinsecus bal-
samum vitæ abdomini imponendum,
operæ facient pretium.

C A U T E L Æ.

§. I.

Potus aquæ frigidæ in passione cho-
lericæ, quo calidior tempestas, re-
gio, ipsaque ægorantis constitutio fue-
rit, eo salubrior existit. Præter ejus
internum autem usum, gelidam quo-

R. 2. que

Tert. &
indica-
tioni
satisfac-
iunt
roborâ-
tia, cum
facili
victu.

Cura-
tio di-
arrhœæ
biliosæ.

Caute-
la circa
potum
aquæ
frigidæ.

que aquam extrinsecus ventriculo admove-
re velle, sicut a quibusdam veterum
factum legimus, minus tutum ac
periculosum censemus, eo quod hac
ratione præmatura vacuationum cohi-
bitio induci potest. Ex hoc etiam fun-
damento derivanda est virtus, quam
acidulæ in cholera potæ præstant: de
quibus lectu digna est observatio in
Spindleri obs. med. not. ad obs. 42.

§. II.

Circa
lax,
&
ejusdem
serum.

Quemadmodum lac, iis in casibus,
qui a sumto veneno, vel acri purgante
natales mutantur, involvendo prin-
cipium causticum, ac secum educendo,
insignioris utilitatisprehenditur: ita
illud, ubi vel nimis acida saburra præ-
sto, vel ejus excretio impeditior fue-
rit, cautissime propinari, vel ad mini-
mum absorbente quodam permisceri
debet. Contra vero, serum lactis vi-
cem potus ordinarii & commodissime,
& utilissime explebit; neque in siti
tantum extinguenda, verum acrimo-
nia quoque temperanda usum exhibe-
bit desideratissimum.

§. III.

Circa
laxan-
tium u-
sum.

Laxantia oretenus data rarissime in
cholera morbo exposcuntur; quod si
autem vacuandi per alvum sit indica-
tio, eam optime clysteribus, vel in-
ternis rhabarbarinis explere licebit.
Dulcia enim, mannata, syrupi la-
xantes, utut alias lenissima sint,
hoc in affectu nunquam adhibere con-
venit.

§. IV.

Circa
roboran-
tia &
aerody-
na.

Roborantia & spirituosa ante pec-
cantis materiæ sufficienter factam ex-
cretionem, ad cohibendas forsitan vo-
mitiones usurpata, spem fallunt,
tantum abest ut vomitus sistant, ut
eisdem potius cum reliquis sympto-
matibus exacerbent. De anodynis quo-
que, & speciatim oleo hyoscyami no-
rari meretur, quod ubi fractæ ni-
mium sint vires, ac intestinorum in-
flammatio locum occupavit, neuti-
quam sint adhibenda; quoniam tunc
lethalem soporem atque necrosin in-
ferre possunt.

§. V.

Sicuti venæsectio in dysentericis,
sanguinis nimia simul mole laboranti-
bus, ad præcavendam inflammationem
& mitiganda symptomata egregium
confert momentum: ita sub iisdem
circumstantiis eadem in cholera quo-
que administranda venit, præsertim
si virium sit integrum robur: multis
encomiis illam commendat in hoc
morbo, felix ille medicus *Riverius*
pr. med. cap. 9. pag. 345.

§. VI.

Diarrhœa biliosa uti alia omnis non
statim sisti debet, sed pedetentim hu-
mores temperandi sunt; quo in casu
rhabarbarum leviter tostum ad scrupu-
lum unum vel drachmam dimidiam
cum aliquot granis nitri perquam utile
est; dum humores vitiosos leviter edu-
cit, & postea intestinorum tunicas ro-
borando leviter constringit. Nam par-
tibus subtilioribus laxat, terrestriori-
bus adstringit, quæ prævalent in
tosto.

§. VII.

In cholera æque ac diarrhœa biliosa
ad temperandam humorum acrimo-
niam oleum nucistæ expressum ad dra-
chmam dimidiam sive solum sive cum
grano uno laudani opiat Helmontiani
permixtum & cum jusculo exhibitum
magnæ est efficaciz. Emulsionem quo-
que ex amygdalis, semine papaveris
albi, addito ejusdem syrupo, & aqua
pura fontana paratæ dilutiores, eidem
scopo obtinendo feliciter inserviunt.

§. VIII.

Quando diarrhœa valde pertinax est,
præmisso semper rhabarbaro tosto per
aliquot dies, sudoriferum ex theriacæ
recentis drachma una cum cornu cervi
usto, antimonii diaphoretici & nitri
purificati granis duodecim exhibere
convenit. Extrinsecus vero calide ap-
positum præcordiali regioni cataplas-
ma ex fermento panis, aceto & spi-
ritu vini, additis aliquot guttulis olei
menthæ & caryophyllorum, egre-
gie non modo roborat subjacentes
partes, sed & motum humorum ad
pe-

Circa
venæse-
ctionē.

Circa
laxan-
tium in
diar-
rhœa
usum.

Quæ bi-
lis acri-
monia
tempe-
rent.

Diar-
rhœa
contra-
maen-
cura-
tio.

peripheriam convertit, & cuticularem excretionem secundat.

§. IX.

Cholera ab arsenico subortu curatio.

Quando cholera ab arsenico excitata fuit, sine mora pinguis, ut oleum amygdalarum dulcium, oleum lini, butyrum insulsum, oleum olivarum cum aqua tepida exhibere oportet. Hæc enim præsentissimam opem ferunt; eo quod non modo vomitum procreant, quo ipsius magna arsenici pars foras ejicitur, sed quod inde etiam caustica acrimonia, quæ fibras ventriculi nerveas vellicat, obtunditur, & spasticæ contractæ partes relaxantur.

§. X.

Vidua salubrioris utilitas.

Superato cholera vel diarrhœæ biliosa morbo expedit adhuc diætæ emolliente ad tempus uti, ut nimium vellicata & sauciata ventriculi & intestinorum nervæ fibræ quodammodo demulceantur; quo sine lac dulce, butyrum recens, hordeum excorticatum cum jure pulli aut late coctum, item serum lactis dulce optime conveniunt.

§. XI.

Lac in cholera cum febre non est.

Quando cholera est cum febre conjuncta, non tam facile lac dandum est. Nam facile ex calore in caseum coalescit, unde majores cruciatus, viscerum tensiones, capitis dolores & cibi fastidium excitantur. Quare ut citra noxam febricitantibus exhiberi queat, præsertim pueris, magisque juvenibus quam ætate provectis, TRALLIANUS l. 8. jubet lacti miscere aquæ fontanæ bonam partem, & ter quaterque ebullire, & tunc ab igne tolli. Atque ita lac dysentericis quoque febricitantibus non nocere ait.

§. XII.

Sudoria frorum nota.

In cholera & diarrhœa biliosa præsertim quæ ab ira excitata fuit, maxime a sudoriferis, & regimine sudorifero præsertim in principio cavendum est. Graves enim rheumatici vel arthritici inde oriri solent affectus.

§. XIII.

Cautela circa nictitantes.

Perquam memoratu digna est observatio, quam RIVERIUS c. 1. obs. 33. tradit his verbis. *Vir robustus & bilioso*

Hoff. Syst. Tom. VI.

temperamento præditus, correptus est diarrhœa biliosa valde urgente, cum siti intensissima: vocatus ad eum præscripsi sal prunellæ in potu ordinario: tum etiam in julepis ex aqua lactucæ & portulacæ paratis, ter in die sumendis, & intra 24. horas convaleuit. Et profecto insignis est nitri, aut salis prunellæ in ejusmodi affectibus efficacia, siquidem non modo estum temperandi, verum inflammationes quoque præcavendi, vi pollet excellenti.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

VIr quidam sex ultra quinquaginta annorum, ad iracundiam proclivis, nec ullis præter eructationes acidas, & flatulentias obnoxius morbis, equo aliquando facturus iter, hora prius matutina quarta, paratum sibi a filia, quæ juxta familiariter cum servo vixerat, decoctum succoladæ, cum lacte, & cinnamomo sorbebat. Quo sumto mox de nausea conquestus, inceptum prosequitur iter, sed hora septima reversus, viribusque prorsus dejectus, mortuo similis in lectum deferretur. Tum vero horrendi protinus cruciari incipiebat vomitibus, quibus inter tuminas præcordiorum anxietates, & ineffabiles in ventriculi regione dolores, primum mucosam ac biliosam, paulo post viridescentem rejiciebat saburram. Accedebant subinde frequentes dejectiones, cum horrendis imi ventris torminibus stipatæ; summum ciborum fastidium urgebat; extrema perfrigescabant, pulsusque lentus lentim evanescabant. Tandem inter frigidos sudores, ac spasmodicas præcordiorum revulsiones, singultus, hisque junctæ totius corporis convulsiones jungebantur; vultus cruore turgidus rubebat; vox peribat; ipsaque hora pomeridiana secunda, & a sumto potu nona, inter crudelissimos cruciatus mors sequebatur. Cadaver neutiquam intumescerebat,

Cholera ex sumto poculo dubio arsenici brevi tempore lethalis.

nec vultus colorem, nisi vivo similem exhibebat; sed unguis cœruleo colore suffusi, scapulæ ac dorsum lineis ejusmodi notata, pectusque in latere sinistro punctis hinc inde ex atro rubicundis distinctum cernebantur.

Epicrisis.

Quæstio ex hac tristissima morbi historia resultat, num defunctus cholera ex sumto veneno, anne potius aliis magis naturalibus causis suborta perierit. Ardua sane provincia ei imponitur, cui determinandæ ejusmodi quæstiones exhibentur, a quarum affirmatione, vel negatione fama, quin vita hominum dependet. Valde ancipites enim plerique de veneficiis sunt casus: cumprimis si anatomica defuncti corporis sectio deficiat. Hac facta, si venenum in substantia adhuc intra ventriculum reperitur, res est clarissima: ubi vero illud haud deprehenditur, res adhuc dubii plena existit. Inflammationes enim ac siderationes intestinorum, in omni cholera, sive a veneno, sive aliis causis enata, quin & in aliis morbis, dysenteria, colica convulsiva &c. vitæ imponunt finem: nec ideo certi quidpiam ostendunt. Nec ex omni dubio extricamur per intumescientiam externi cadaveris, aut maculas cœruleas ac livescentes hinc inde in corpore efflorescentes: quippe quæ phœnomena in plerisque corporibus, quæ sanguine turgent, ac subitanea abripiuntur morte, videre licet. Quamobrem in tali casu præter symptomata, & externas notas, ad morales quasdam circumstantias respiciendum est: unde BOHNIUS *tr. de offic. med. dupl. pag. 652.* rectissime scribit: *Si externa dati veneni indicia, odium subdolum, & veneni emtio concurrunt, & cuncta veneni ab extra admissi signa, aut plura horum conspirant, hæc evidentem & certam veneni dati notitiam conciliare possunt.*

Quod si igitur præsentem curatius examinemus casum: vero sit simili-

mum, defuncto ex potu Succoladæ venenum quoddam, & quidem arsenicum fuisse exhibitum. Nam 1) valde imbecilla est assertio, ac si lac cum Succolada assumptum, in ventriculo cum saburra acidâ, qua illum fuisse occupatum eructationes acidâ significant, coivisset, & sic, accedente sub pluviosa tempestate equitatione, ideoque transpirationis cohibitione, causam materialem cholera absque concursu veneni præbuisse. Cholera enim ex diatræ vitio producta, nec tam cito generatur, nec tam subitaneum fortitor eventum: qualis hoc in casu intra novem horas accidit.

2) Adsunt subinde ea symptomata, quæ datum arsenicum insequuntur, & hæc potissimum ab auctoribus perhibentur: 1) insignis post sumtum venenum nausea, 2) enormes vomitiones cum summo vultus pallore, ut videantur moribundis similes, 3) refrigeratio extremorum, & subita virum prostratio, 4) horrendi in imo ventre dolores tendentes, pungentes ac lancinantes, 5) pulsus cessatio, proxime mortem antecedens, & 6) convulsiones: quæ omnia brevi temporis spatio, eoque nunquam ultra nycthemeron protenso, mors excipit. Conf. ZACHIAS *in quæst. med. leg. Lib. 2. Tit. 2. qu. 7. n. 23.* AMMANNUS *in præxi vuln. p. 344.* & *de med. crit. pag. 303.* FORESTUS *Libr. XXX. observ. 5.* & *diff. quam de erroribus circa venena vulgaribus conscripsi pagin. 37.*

3) Quæ si ad præsentem casum applicemus, simulque conferamus, quod filia, quæ potum Succoladæ paravit, uti relatum mihi fuit, odio parentem habuerit, arsenicum emerit, & familiarius servo usa fuerit: nullum est dubium, quin ea dato in potu Succoladæ arsenico patrem interfecerit.

OBSERVATIO II.

Epicrisis.

Chole-
ra falso
a vene-
no deri-
vata.

Vir quidam consistentioris ætatis, hausto aliquando ab uxore parato jusculo, incipit statim male habere, nauseare, spiritum difficiliter trahere, liquida averfari, interno ardore cruciari, & inter summas præcordiorum anxietates, perpetuo vomendi conatu urgeri. Vomuit quoque, sed parum æruginosæ bilis; & demum transacto inter dirissima dolorum tormenta biduo animam efflavit. Tertio post mortem die sepultum, sed quarto ob veneni suspicionem rursus effossum cadaver, exhibuit foetorem intolerabilem. Corpus intumefactum, & undique putredine fuit adfectum. Intestinum jejunum, mesenterium, hepatis ac pulmones sphacelo penitus corrupta; cor flaccidum, atroque cruore infarctum; ventriculus undique inflammatus, prope pylorum sideratus, & intus materia viridescente plenus adparuerunt. Unde vir veneno, ab uxore cum jusculo ipsi propinato extinctus judicabatur. Verum explorata curatius morbi historia, hæc adnotare licuit momenta. Defunctus ille vir per integrum ante mortem annum morbofo corporis habitu, livido sædoque vultus colore, & appetitus prostratione præditus fuerat; inque primis pridie ante sumtum jusculum de ventris torminibus conqueustus, ea ipse a gravi iracundia, qua aliquot ante diebus exarserat, & ab hausto desuper spiritu vini derivaverat. Quibus molestiis consultura uxor, dictum cum melle consecerat jusculum, ex quo pejus habens defunctus, potu spiritus vini, philonio Romano, remedioque succinato calidiori se levare putabat. Verum exacerbatis magis magisque symptomatibus, supra recensitis, tandem diem objerat supremum.

Quum symptomata in hoc casu præsentia ita quidem comparata sint, ut summi toxici effectibus consentiant; morales vero circumstantiæ refragentur huic suspicioni, nec in dissecto cadavere veneni ullum adparuerit vestigium: minus æquum esset uxorem veneficii ream agere. Vero potius similimum videtur, quod affectus cholericus, quo vir ille extinctus fuit, ab aliis præter venenum extrinsecus illatum causis, suam repetierit originem. Bilis in causticam & acerrimam indolem conversa, quam veteres internum vocabant venenum, magis malo causam præbuit: de qua *Reyes in camp. Elyf. jucund. quæst. qu. 64. pag. 856. scribit: Quid ergo similis inveniri poterit aliis symptomatibus, quæ de veneno intoxicato describuntur? siquidem ea in cholera morbo, nimirum a bile orto, fere omnia observavi.* Nam defunctus corpus impuris succis refertum præ se diutius tulit, testante malo habitu, sædoque vultus colore. Juxta *Zachiam vero cons. 12. n. 6. ex corporis impuritate facile evenire potest, ut humores in tantum corrumpantur, ut ex ipsis sic corruptis generetur in corpore vivente venenum aliquod, afferens omnia symptomata veneni assumti & externi.* Quum ergo noster ita constitutus vehementi exarserit iracundia: commota & in orgasmum acta fuit bilis; quin accedente vini adulti potu, nocivam subiit acrimoniam, tormina imi ventris, quibus pridie ante mortem cruciatus est, inducentem. Hæc vero mala uxor sedatura, bona intentione jusculum mellitum dedit; sed non nisi oleum camino addidit: siquidem bilis commota, si cum dulcibus permisceatur, acerrimam acquirit indolem: qua etiam in nostro casu imbuta, choleram induxit; cui jusculum illud procaciteritiam præbuit causam. Excitat sic cholerica passio, vomitibus potissimum crebris, ac alvi dejectionibus se exlerere.

debuisset; sed iis per datum philonium Romanum cohibitis, inanes tantummodo vomendi conatus, & summæ præcordiorum angustiae, una cum horrendis doloribus miserum crudeliter affecerunt. Retenta insuper intus acerrima materies ventriculum arrosit, ejusque inflammationem produxit; quæ intolerabili interiorum ardore se prodidit. Hæc vero in putredinem denique sphacelosam abiit, quæ ob impuritatem totius humorum mæsx, citius ac latius diffusa, pleraque vitæ penetralia sphacelo infecit. Quæ cum ita sint; frustra minus evidentem ac magis dubiam querimus causam (quæ in nostro casu esset venenum) ubi evidentem & manifestum habemus, secundum Zachiam loc. cit. n. 8. & 9.

OBSERVATIO III.

Chole-
ra a suto
arseni-
co nata.

Vir quidam gregarius viginti sex annorum, robustus & illibata semper sanitate gavisus, sumto circa horam undecimam meridianam jusculo, vehementissimis subito corripiebatur vomitionibus; quas protinus atrocissima imi ventris tormina, nulla vero subsequente defectione, excipiebant. Jongebantur insuper ineffabiles præcordiorum anxietates, ardoris circa ventriculum acutissimi sensatio, inexplabile bibendi desiderium, ac perpetuæ inquietudines; quibus symptomatibus per triginta horas miserrime cruciatus obiit. Dissecto post mortem cadavere, ventriculus circa sinistrum orificium inflammatus, tunica villosa abrafa, & in ejus, ut & intestini duodeni cavitare ultra tres mensuræ feri viridescens biliosi, una cum pulvere albicante, & magna mercurii vivi quantitate adparuerunt. Reliqua intestina hinc inde gangrænata, & tribus in locis contorta convolutaque in conspectum prodierunt. Uxor, veneficii rea, se non nisi mercurium vivum ad excitanda tormina marito exhibuisse fatebatur; requisitus vero

medicus putabat, defunctum accepisse mercurium sublimatum, qui in ventriculo, ejus calore solutus, in sua rediisset principia; unde mercurius vivus, & pulvis albicans, tanquam salinum illud mercurio adhærescens, in conspectum prodiiisset.

Epicrisis.

Occurrunt in hoc casu momenta, insigni observatione digna: quorum primum est, num defunctus dato veneno perierit? Neque vero ullum hujus rei est dubium: si consideremus 1) virum juvenem robustum, per omnia sanum repente sorbillato jusculo, horrendis vomitionibus, torminibus, aliisque sumtum toxicum pleurumque consequentibus symptomatibus correptum, ac intra triginta horas extinctum fuisse. 2) factam corporis sectionem, non modo eam ventriculi constitutionem, quæ exhibita venena sequitur, verum etiam ipsum in natura venenum ostendisse.

3) Deinceps, cum nullæ in nostro calu fuerint defectiones, quæ ordinario ut ab omni cholera, ita præfertim ea, quam venena excitant, nunquam abesse solent; ipsa quoque sectio hujus phænomeni causam præbet clarissimam, quæ nulla est alia, quam convolutio intestinalium tribus in locis facta. Hinc vero simul patet, quanta torminum spasmodumque intestinalium fuerit in nostro defuncto vehementia; quippe cui soli convolutio illa debetur, qua fœcibus per alvum nullus exitus fuit permissus; & ideo symptomatum ferocitas acerbior reddita.

4) Determinandum vero est, quale nam existerit assumptum venenum? Mercurium vivum solum vel le reum agere, absurdum est. Quamvis enim mercurius ille vivus in subiectis, quorum primæ viæ impuris ac biliosis scatent succis, gravia symptomata, faucium erosiones, copiosorem salivæ fluxum, tormina inte-

stince

flororum excitare, quibusdam observationibus deprehendatur; ex illo tamen ipsam mortem tam brevi tempore subsequutam esse, nemini haec tenus adnotare licuit. Nec in praesenti subjecto recensita incommoda inde expectari potuerunt, quum illud per omnia sanum ac robustum fuit: & per experientiam constat, ileo morbo laborantibus, mercurium illum librarum pondere citra noxam propinari.

5) Neque vero probabile est, mercurium sublimatum defuncto exhibitum fuisse. Hoc enim veneni genus, adstringente, quem faucibus infert, effectu se facile prodit; & raro tam atroces vomitiones excitare deprehenditur. Inepta quoque est assertio ac si ille calore ventriculi a salibus corrosivis liberatus, inque currentem redactus fuisset formam: hi enim effectus, non nisi per summam ignis torturam, & aliorum subjectorum additionem obtineri potest.

6) Quamobrem iustissima remanet suspicio, defunctum non nisi arsenico vita privatum fuisse. Nec falsa fuit: siquidem uxor, torturae subiecta, posthac passa est, se marito arsenicum, & paullo post mercurium vivum exhibuisse. Cujus rei medicus statim certior potuisset fieri, si inventum in ventriculo pulverem, quem pro salibus mercurii sublimati corrosivis habuit, recto subiecisset examini, illumque carbonibus injecisset: tum enim, sicuti posthac factum fuit, foetorem allio similem sparsisset, qui arsenico proprius est.

OBSERVATIO IV.

Chole-
ra a co-
mestis
pastillis
venena-
tis.
Communicavit ante aliquot annos
mecum notabilem de cholera casum,
Archiatrum quidem celeberrimus, qui
sic habebat: Comederat sutor quidam
cum uxore, & binis infantibus pastil-
los, qui ab illius fratre, insperato arse-
nico venenati fuerunt, & cani posthuc
exhibiti, intra tres horas mortem in-

tulerunt. Exinde omnes protinus nau-
sea, vomendi conatibus, vomitioni-
bus quoque ac defectionibus violentis
ac copiosissimis, praecordiorum an-
xietatibus, atrocissimis torminibus,
animi deliquiis, tremore artuum, ac
summa virium prostratione infestati
sunt. Sumtis contra haec symptomata,
quas Pharmacopaeus enormes excretio-
nes sedaturus dederat, medicinis su-
doriferis volatilibus, cum theriacali-
bus maritatis, remiserunt quidem &
vomitus, & alvi fluxus; sed reliqua
symptomata, accedente summa spi-
randi angustia, eo atrocius insistebant.
Uxor tandem efflorescentiam, purpu-
rae similem, cum insigni ardore pru-
rituque junctam, per totum corpus
experta, una cum marito, & altero
infantum, utut longo tempore con-
valuerunt. At horum natu major,
duodecim annorum, in horrendas in-
cidit convulsiones, & has inter vige-
sima quarta a comestis pastillis hora
obiit. Secatum cadaver sequentia exhi-
bebat: Externum corpus undique tur-
gidum, & colore caeruleo viridescente
suffusum, inque dextro hypochondrio
gangranatum erat, ungues livesce-
bant, & fauces inflammatae adpare-
bant. Pulmones colore cinereo imbu-
ti, sphaceloque corrupti cernebantur:
ventriculus mirum in modum expan-
sus, tunica villosa profus orbatus, te-
nuissimus, ac fere pellucidus, & va-
riis hinc inde fugillationibus notatus,
continebat amurcam ex atro brunam,
foetidissimam, eique intermixtum lum-
bricum mortuum. Cystis fellea bilem
fovebat auginosam, & reliqua deni-
que viscera omni praeternaturali vitio
carebant, nisi quod intestina aequae
ac ventriculus insigniter fuerint ex-
pansa.

Epicrisis.

Ferax hic est casus utilissimarum
observationum; quas ad illustrandum
ulterius cholerae genium paucis propo-
nemus. Primum quidem docet con-
stans

stans experientia, veneno peremptos, brevi tempore insignem totius corporis sphacelosam subire corruptionem; quam celerrima ipsius post mortem intumescencia, unguum livor, cutis cereuleus, viridescens & foetidissimus color, & intolerabilis foetor significant. Neque obscura hujus rei est causa: venenorum enim, praesertim quae ex minerali regno desumuntur, corrosivorum ea est indoles, ut non in ventriculo ac intestinis solum, sed aliis quoque partibus, ipsoque cutaneo ac musculo corporis cortice vehementissimam excitent constrictionem; qua fit, ut sanguis in liberiori suo cursu retardetur, hinc subsistat, stagnet, & more ipsi consueto in sphacelosam abeat putredinem. Quod plerumque in externis quidem; quandoque vero in internis quoque contingit partibus, velut in praesenti casu pulmones sphacelati ostendunt.

2) Notari porro meretur, in veneno defunctis ventriculum ac intestina mirum in modum saepius deprehendi expansa. Namque quemadmodum omnibus spasmodicis morbis familiare est, ut partium, quas adfecerunt, atoniam relinquunt: ita fit quoque in cholera a veneno, ut finitis per mortem ventriculi ac intestinorum convulsivis motitationibus, summa eorundem relaxatio, ac velut paralysis excipiat. Qua quidem praesente, vapores ac halitus ex restitantes ibidem humoribus pullulantes, liberam obtinent facultatem sese expandendi, simulque latera dictarum partium, mirum in modum dilatandi.

3) Venena varios edunt effectus ratione doseos, qua assumuntur: unde petenda quoque erit ratio, quod in nostro casu solus puer perierit, & reliqui evaserint omnes; quoniam ille sub pastillis majorem forsitan veneni, quam hi, accepit quantitatem. Si ejus dosis ad necandum minus sufficiens, ac incompleta fuerit, atrocissima nihilominus symptomata, & diuturnam parit ægritudinem. Namque, nisi tempestive ferantur suppeti, rapitur venenum

ad sanguineam massam, cumque hac per omnes nervosas corporis partes vehitur: unde salutari consilio in foemina, cujus praemissa historia fecit mentionem, ad cutim in forma exanthematum purpuraceorum devolutum fuit. Quo in casu perniciose sunt calidiora, volatilia, ac sudorifera remedia, quippe quae exagitando humores, & veneni vim exaltando, cuncta reddunt ferociora. Praestat tum potius ubi nimirum venenum jam introivit humores, acidulis medicaminibus, quae virulentiam toxicam castrant, ut est mixtura simplex, uri, & cum iis alternare fixiora bezoardica, blandis anodynis nupta.

OBSERVATIO V.

Vir quidam robustus, quadraginta & quod excedit annorum, militiae deditus, post vehementiorem aliquando iracundiam, insignem multae copiae, sub aere quidem nimis humido frigidoque ingurgitabat. Postridie de ciborum fastidio, vomendi conatu, & dolore totius corporis contusorio querulus, subito vomitionibus & copiosissimis & vehementissimis, biliosis ac viridescens, inter summas inquietudines & precordiorum anxietates corripiebatur; quas dejectiones cum crudelissimis imi ventris torminibus pressa pede sequebantur. Vocatus medicus varii generis remedia stomachica, anodyna, roborantia ac diluentia, sed in casum praescribebat: adeo ut aeger per quatuor jam dies violentis doloribus confectus, dejectis cunctis viribus, pro deplorato haberetur. Quo in rerum statu desideravit ad delendam vehementem sitim ab amico aquam frigidam, eamque successivis haustibus, magna assumebat quantitate. Hac ad intestinorum delata canalem cum magnis primum tormentis per alvum secedebat; continuato autem illius potu, tormina sensim conquiescebant, dejectiones fiebant rariores, & cutis, quae antea aridissima erat, mollior reddebatur.

Cholera per potum aque frigida curata.

rar & humidior: æger quoque somnum capiebat, vires recuperabat, & sic unico hoc, quamvis simplicissimo remedio, a mortis faucibus ereptus convalescebat.

Epicrisis.

Veteres, quos inter CORNELIUS CELSUS, COELIUS AURELIANUS, TRALLIANUS, ARETÆUS, GALENUS, & AMATUS LUSITANUS eminent, aquæ frigida circumspexitur usum in magnis morbis, notatim cholera, dysenteria, colica biliosa, convulsiva & sanguinea &c. miris extulerunt reliquiis. Acerbe vero dolendum est, quod recentiorum medicorum plurimi, veterum vestigia deferentes, simplicia ejusmodi ac domestica remedia, altis veluti superciliiis spernant; hisque longissime præferant exotica, specifica, pretiosa ac pharmaceutica præsidia: quibus dictis in morbis plus damni afferunt, quam adjumenti. Paucissimi enim sunt, qui agnoscunt, quantam & quam incomparabile ad arcendos pariter ac sanandos graves morbos viliissimis ac simplicissimis rebus, ut sunt elementa, maximeque aer & aqua, tam frigida, quam calida, divina clementia indiderit virtutem. Ego certe pluribus in aegritudinibus, ad eas rite debellandas, ad veterum placita recurrendum esse statuo; nec id ipsum sine singulari fructu me fecisse, cande testor.

Quod præsertim usum aquæ frigida in cholera ac dysenteria attinet; audiamus veteres, quos inter CORNELIUS CELSUS *Lib. IV. XV. in dysenteria*, inquit, *si pluribus diebus alia remedia non juverunt, verusque jam vitium est, aqua bene frigida potio assumpta adstringit, & initium secundæ valetudinis facit.* AETIUS *terrap. 3. serm. 1. cap. 45.* scribit: *in potu a principio quidem pluviae aqua utendum est, quod si pluvia optima non adsit, fontana utemur.* Et AMATUS LUSI-

TANUS *Cent. II. curat. 56.* copiose frigida potu dysenteriam biliosam observavit curatam. Non minus utilitatem aquæ frigida in cholera egregie testatur descriptus supra casus; cui similem mihi, olim Mindæ medicinam facienti, licuit adnotare; quem in MED. SYSTEM. recensitum legas. Virtutes autem, quas aqua in nostro morbo exferit, in eo potissimum consistunt, ut per illam ingens ardor, qui a vehementiori attritu & motu intestino partium sulphurearum suboritur, attemperetur & extinguatur; deinceps biliosa humorum in primis viis contentorum acrimonia diluatur, & infringatur; & denique tonus, atque robur partium solidarum, a vehementia morbi insigniter labefactarum, rursus erigatur, instaureturque.

OBSERVATIO VI.

Vir generosus, quadragenarius, Cholera potius bono & robusto corporis habitu præditus, ad iram proclivis, sanguinis missionibus nunquam adsuetus, sed rata. vinosis comporationibus data occasione supra modum deditus, & hinc febribus tertianis, narumque hæmorrhagiis frequenter olim obnoxius, per aliquot jam annos circa vernale æquinoctium vel febre tertiana, vel ad minimum erysipelaceo dextri pedis tumore ardoreque cruciari coepit. Præterea familiaris ipsi per multos annos fuit passio cholerica, quam æstate potissimum, si a sumto cibo graviore exardesceret forsitan iracundia, protinus sibi contraxit. Hunc valetudinis statum mihi, fontes aliquando Lauchstadienses frequentanti, quos ipse, dictos morbos præservandi sine accesserat, referebat, simulque indicabat, quod cholera affectus, omissis tandem omnibus, a peritioribus passim medicis commendatis remediis, cum velut semianimis jaceret, non præstantius, quam a sero lactis perceperit auxilium. Se enim hoc, ad sitim tantum extingue-

guendam laudatum, tam præfenti semper cum levamine potare consuevisse, ut mitescens sensim per superiora ac inferiora vacuationibus, ejus solius ope intra paucos convalesceret dies. Petiit ergo a me consilium, quod ab erysipelacea, tertiana, & hac cholericæ febri se præcavere posset: quod suppeditaturus fuisset, ut bis quotannis venam præberet secandam; potibus spirituosus, ipsoque vino moderatius uteretur, & loco cerevisiæ aquam puram, cum quarta vini parte mixtam biberet. Præterea auctor fui suæque, ut dum serum lactis ipsius constitutioni convenientissimum judicarem, illud jam ad ipsum fontem per quatuor hebdomades, curæ loco, interposito quavis quarta die pulvere ex duobus rhabbari unoque tartari vitriolati scrupulis confecto, adhiberet, & vesperi in balneum temperate calidum descenderet: atque hæc singulis annis continuaret. Cui cum aures dederit consilio, factum est, ut ab illo tempore nec febre tertiana, nec erysipelate, nec hæmorrhagis amplius corripere.

Epicrisis.

Ostensum jam in superiore est Capite, quam incomparabili in fluxibus dysentericis ac cholericis, & serum lactis, & lac aquæ nuptum, polleat virtute; quod eo nomine non solum a vetustissimo HIPPOCRATE, nec non ab Italis medicis, maxime SYLVATICO, FORTIS, BAGLIVO, item celebri Angliæ practico SYDENHAMIO; verum etiam nostris temporibus ab illustri Batavorum medico, BOERHAVIO, multis in gravissimis morbis, magnis commendatur laudibus. Optassem vero, ut nostræ quoque Germaniæ medici id attendere velint; ita enim futurum esse sperarem, ut in sanandis & præcavendis chronicis passionibus, præsertim quæ a copia feri impuri scorbutici proficiuntur, & subjecta biliosa ac sensibiliore naturæ invadunt, plus in-

de levaminis experiremur; quam quod hæcenus ab aliis, utut magni nominis remediis exspectare licuit. Illi enim liquores naturæ nostræ sunt amicissimi; sed notari meretur, curam per illos institutam, conjuncto regimine prudenti, per mensem & ultra esse protrahendam: cujus rationem, qui amplius scire desideraverit, adeat binas dissertationes, quarum unam de utilitate feri lactis, alteram de connubio lactis cum fontibus medicatis conscripsimus.

OBSERVATIO VII.

Quum ante quindecim annos in thermis Carolinis, Principem quendam serenissimum comitatus degerem; accidit, ut illustrissima Comes, quæ ibidem commorabatur, ex improvise in cholicam incideret passionem, tanta quidem vehementia, virtumque jam adficientem, ut intra octo horas plus quam triginta per alvum dejectiones, & viginti vomitus, iique viridescentes numerarentur. Tum ego vocabar, qui cum in causam indagarem mali, percepi, quod propter menstruum defectum per quinque jam dies thermales potasset aquas; pomeridie vero fraga hortensia paullo majori copia assumsisset, & inde statim nauseam, murmura imi ventris, & inquietudinem noctu persensisset, subsecutis, quæ præfentes adhuc erant, affectionibus. Ego ipsam, & illustrissimum maritum, qui valde dolebat, bono esse animo jussi, & mox hunc ordinavi pulverem: Recipe lapidum cancerorum, concharum præparatarum, cornu cervi philosophice præparati, unicornu fossilis, succini ana drachmas duas, cinnamomi acuti drachmam unam, olei nucis moschatæ expressi grana decem: cujus drachmam singulis horis cum mensura dimidia lactis vaccini sumsit. Ad sitim præterea, qua vehementer premebatur, me incio frigidam bono cum levamine potavit aquam: & extrinsecus ex meo consilio spiritum vini

Cholera per fraga copiosius assumpta prodixit.

reſtitutiſſimum cum oleo menthæ calide, quavis altera hora renovando, abdomini adplicuit. Sub hujus curationis initium, invaleſcere primum anxietates videbantur, & ea evomebat humores viridi bile tinctos, & in mucum quaſi coeuntes; ſed continuatis remediis, ſenſim remittebant vomitus cum reliquis ſymptomatibus, & illuſtriſſima Comes intra viginti quatuor horas recuperatis viribus perfecte convaleſcebat.

Epicriſis.

Sæpiſſime mihi licuit adnotare, ab aſſumptis ſub potu acidularum, vel etiam thermarum Carolinarum, fructibus horraïs, vehementiſſima ſymptomata, cardialgia, vomitiones, alvi fluxus cum ſumma virium proſtratione fuiſſe ſubſequuta. Hæc omnia a flatibus per fermentationem inductis æque ac inde oriunda humorum in primis viis ſtabulantium acrimonia, quam virideſcentes etiam produnt vomitiones, ſuos mutuantur natales: quare his in caſibus congruis demulcentibus, ac acrimoniam involventibus, quale eſt lac, & ejus ſerum, una cum abſorbentibus acidum, & roborantibus internis & externis, vix inveni præſtantiora ſubſidia.

OBSERVATIO VIII.

Chole-
ra ſicca
eſt hu-
mida.

Quum ante aliquot annos in aulam Guelpherbytanam pro valetudine ſereniſſimi Ducis reſtauranda vocarer; accidit, ut generoſus, & maxime reverendus Canonicorum Præſectus, ſexagenario major, me in reditu ad ipſum inviſendum, conſilium petiturus invitaret. Laborabat enim gravi, eoque duplici morbo, uno oculorum, quorum hic gutta ſerena, ille catacraſta incipiente affectus erat; altero imi ventris, quo per intervalla, crebris ructibus, & dejectionibus ſurſum deorſumque vehementiſſimis vexabatur. Ad ſanandum oculorum affectum conquiſita permulta peritiſſimorum & medi-

corum, & Chirurgorum, etiam Gal-
lorum reſponſa conſiliaque mihi mon-
ſtrabat, affirmans, quod fruſtra per
aliquot annos varii generis remediis,
quæ maximam partem erant purgantia
valde acria, mercurialia, cephalica,
cinnabarina, nervina &c. uſus fuerit,
ſed inde potius ratione morbi poſterioris
pejus habuerit. Hic vero in eo con-
ſiſtebat: Tertia poſt prandium hora
præviis hypochondriorum tenſionibus,
borborygmis totum abdomen occupan-
tibus, lumborum dolore, & alvo ad-
ſtriſtione, quæ familiaris ipſi erat, ac-
cedebant anxietates cardialgicæ, cum
ſudore frigido, & tumore circa pylori
regionem eminente ſtipatæ: quæ per
ſtatus magno cum impetu primo ſur-
ſum, dein deorſum prorumpentes ſol-
vebantur. Interdum vero, quando vi-
num Rhenanum, aut quandoque ru-
brum Gallicum ſolito largius potave-
rat, & cibos duriores infumatos aſſum-
ſerat, aut animi adfectui, triſtitia cum
iracundia junctæ indulſerat; in vomitus
atque dejectiones tam copioſas ſimul
incidebat, ut per viginti ſedes, totidem-
que ſæpe vomitiones, valde acidas ac vi-
ſcidas, viribus mirifice fuerit ex-
hauſtus. Ego candide mentem ipſi meam
aperiens declaravi, quod adhibitis ad
affectum oculorum penitus deſperatum
tot variis, ventriculo ac generi nervoſo
inſenſis remediis, id grave malum ſibi
met accerſerit, ſaltem inſigniter auxerit;
adeoque ad hoc potius vel abigen-
dum, vel ad minimum ſublevandum
omnem curandi nervum dirigendum
eſſe duxi. Inter alia ipſum potu vini
rubri Gallici, quod adſtringentis, & in
ejuſmodi affectibus valde noxiæ eſt fa-
cultatis, interdixi; a craſſiori quoque
victu eum abſtinere, & cibis, qui eſſent
facilis concoctionis, & juſculis hume-
ſtantibus frequenter uti juſſi. Pro po-
tu loco cereviſiæ commendavi aquam
fontanam cum quarta parte vini Rhe-
nani mixtam, vel ſi hanc ventricu-
lus ferre non poſſet, eandem cum ſe-
mine aniſi leviter coctam; & deni-
que, ut inter prandium ac cœnam eli-

xirium meum balsamicum viscerale; singulis autem septimanis pulverem ex lapidibus cancrorum, rhabarbaro, & semine cymini confectum sumeret, suasi.

Epicrisis.

Morbus hic paullo rarior, cholera sicca cum humida maritata adpellari meretur. Sicca equidem cholera ideam Hippocrates Lib. de victu acutor. §. 61. ita nobis proponit, quod nimirum venter admodum inflatur, strepitus insint cum laterum lumborumque dolore, & postea flatus per os & alvum importune, & maxima vi erumpant. Quando vero ventriculus, & intestinum duodenum maxime ac ileon crudorum & vitiosorum humorum colluvie premitur, sicca tunc cholera in humidam transit. Noster quidem Reverendissimus æger jam olim hypochondriaca passione infestatus fuit, quæ ventriculum ac intestina pro objecto spasmorum potissimum habet: quare nihil restat dubii, quin remediis ad sanandum oculorum vitium usurpatis minus aptis, & vehementioribus naturale robur dictarum partium, a quo præcipuum valetudinis dependet momentum, magis labefactaratum fuerit, atque destructum. In ejusmodi vero intricata ægritudine nihil aliud agendum statui, quam ut idoneis diæteticiis ac pharmaceuticis subsidiis, humoribus blanda reddatur temperies, & peristaltica canalis alimentaris virtus roboretur ac confirmetur. Et quamvis vini Gallici, Pontac disti, si bonæ fuerit notæ, ea est natura, ut parcius sumtum, & cum aqua dilutum ad conciliandum ventriculi robur admitti queat: attamen multiplici quoque edoctus sum experientia, ejus usum ob principium, quod fovet valde adstringens, largiorem ad graves & spasticas nervosi generis disponere ægritudines, vel eas jam præsentis augere: adeo, ut cum magna cautione id vini genus in usum, præsertim quotidianum duci debeat.

OBSERVATIO IX.

Vir viginti sex annorum, per omnia sanus, binis abhinc annis post gravem excandescientiam in diarrhoeam incidit biliosam, per tres hebdomades cum copiosissimis dejectionibus, & magna virium prostratione infestantem. Consultus medicus dabat adstringentia; & quum eorum usum, cohibito alvi fluxu, vehementiora tormina, & pungentes præcordiorum dolores exciperent; venam in brachio tundi jubebat, promanante pauco, eoque aterrimo cruore. Facta venæsectione, animi deliquium patiebatur æger, & ad sediens, spiritum difficilius trahere incipiebat: sed dato laxante, melius iterum habebat, nec nisi de prostrato conquirebatur appetitu. Quem ut instauraret, ex præscripto medici acidulas Pyramontanas per quatuordecim potare debebat dies; & ante pariter ac post earum usum pilulas purgantes, potenter alvum moventes assumebat. Verum abhinc cum sicca tussi, cruento alvi prehendebatur profluvio; quo inter atrocissima circa umbilicalem potissimum regionem tormina, & ardoris sensationem, quotidie sexagesies & ultra desidere cogeatur. Et hæc sanguinea diarrhoea per integrum jam duraverat annum, nullisque obsecundaverat medicaminibus. Dejectiones enim frequentissimæ, & singulo die trigiesies, & ultra repetitæ, semper sanguineæ vexabant; tenesmus simul urgebat molestissimus; appetitus quoque avidissimus, & vix satiabilis erat, & corpus denique perpetuo frigoris sensu, sub calidissima etiam æstate, afficiebatur, sæpiusque contremiscebat. Æger itaque meam imploravit opem.

Epicrisis cum consilio.

Non adeo vulgaris præsens est affectus, sed paullo rarior, & diarrhoea hæmorrhoidalis chronica, ab erosione

Diarrhoea biliosa mala medicatione in sanguinem chronice permutata.

ne tunicarum intestinalium, coli præsertim & recti dependens vocari meretur. Cujus si primos natales consideremus; illi a gravi iracundia, cui indulsit, sunt repetendi. Hac enim factum est, ut commotis biliosis humoribus, istiusmodi quoque diarrhœa suboriretur; quæ si remediis temperantibus, acrimoniam demulcentibus, & leniter evacuantibus fuisset oppugnata, facile perfanari potuisset. At male administratæ medicationes tam levem affectum, in gravissimum, & fere immedicabilem conjecerunt. Namque primum magnam merentur censuram data protinus adstringentia; quibus factum fuit, ut intus retenta acri biliosa materia, spasmi simul ad superiora sint revocati, & hinc præcordiorum anxietates, atque puncturæ excitatæ.

Deinceps perverso sane consilio sanguis ex tusa in brachio vena est educus: unde evenit, ut præcordiales spasmi & angustia, invitatis magis ad superiora humoribus, increverint, & ipsas animi defectiones habuerint comites; id quod in cardialgicis doloribus, ubi vena in brachio tunditur, sæpissime notare licet. Laxans subinde datum, revocando humorum liberam per alvum excretionem, operæ fecit pretium: & tum fuisset facillimum, resistantem inadaptentiam, datis roborantibus, & continuato leniorum laxantium usu, profligare, sanitatemque restituere.

Verum hanc adhibitæ demum aquæ Pyrmontanæ una cum fortioribus purgantibus prorsus pessumdederunt. Nam illæ acidulæ frigore suo ad spasmoticas totius cutanei corticis constrictiones disposuerunt; & purgantia tunicas intestinalium nervosas violenter vellicarunt. Unde congesti ab ambitu corporis contracti ad intestina humores, acres, biliosi ac impuri, vascula sanguifera intra tunicam nervosam latitantia ad rupturam usque impleverunt; illa perruperunt, & ipsam denique tunicam arroserunt; cujus

erosioni, diarrhœa chronica cruenta cum tenesmo debetur.

Si itaque quicquam auxilii in ejusmodi contumaci & gravi morbo reliquum est; id certe unice in iis remediis, quæ acrimoniæ humorum delinenda, & erosioni tunicarum intestinalium consolidandæ dicata sunt, consistit. Quum vero præterea motus sanguinis & humorum ab ambitu corporis ad intestina tendunt; non præstantius perspirationis restitutione erit subsidium, quam balneorum vaporosorum frequenti & convenienti usu obtineri posse confido. Interne olei olivarum cum spiritu menthæ æquali parte permixti frequentem usum, neque minus pulverem ex bolo armenia p. iiii. & corticis cascarilla p. i. compositum, item infusum theiforme ex mentha crispa: & pro potu decoctum sassafras & santali rubri usurpandum commendavi.

OBSERVATIO X.

Est in nostra civitate matrona quædam honesta, quadraginta sex annorum, temperamenti sanguineo-phlegmatici, obesa, vasisque exilioribus instructa, quæ per octo jam annos menstruorum inordinato successu, atque hinc pendentibus hysteriis & hypochondriacis laborat affectionibus. Nata nimirum est matre nephritica; victa longo abhinc tempore utitur lauto, ac pleno, ac præter aquam puram, cum pomis citri, & saccharo distemperatam, pro ordinario potu vino Gallico Pontac; venam ter secandam quotannis præbet; sed vitæ genus motus prorsus expers agit. Ante octo igitur annos suppressus primum per aliquot vices mensium fluxus, graviditatis suspicionem ipsi pariter ac consulto tum medico movebat; sed mox evanescebat illa spes, & nascebatur febris intermittens contumacissima, nullis cedens remediis, donec tandem sumpta per octiduum, corticis chinae larga quantitate cohibe-

Diarrhœa cum variis symptomatibus stipata.

beretur. At succedebant dolores lumborum & ossis sacri, ingens corporis languor, capitis dolores, aurium suffusus, atque tinnitus, oculorum caligo, & angustiae praecordiales. Datis purgantibus, & instituta venasectione, anxietates quidem cum capitis doloribus remittebant, & menstrua rursus profuere incipiebant: at reliquorum symptomatum vehementia persistebat, & quovis mane largi promanebant sudores. Me tandem consuluit, qui praeparato per laxantia & antispasmodica corpore, usum balneorum Tæplicesium commendavi: quibus usa egregium sensit levamen; sed gravi terrore commota, priorem & gravio- rem incidit sanitatis labem. Domum redux febre biliosa cum purpura alba prehendebatur, qua percurata, ex meo consilio per duos successive annos balnea adhibuit Lauchstadiensia, egregio cum fructu. Sed accedentes crebri animi adfectus sanitatem, quæ imminabat, semper iterum destruxerunt; donec ante semestredemum tempus, prævia exandescencia, graviora incideret symptomata, dolores dorsi ac lumborum invalescerent, & sudores matutini magis increverent. In tali rerum statu sumit ad referendam, quæ obstructa erat, alvum, salis Sedlicensis unciam dimidiam: unde factum est, ut alvus vigesies & ultra de- jiceretur, & præterea graves præcor- dorum anxietates, capitis & dorsi do- lores, sanguinis ebullitiones, pulsus- que celeres cum duritie juncti accede- rent. Suasi venæ in pede sectionem; sed eam in brachio, detracta sanguinis parca quantitate, institutam, major æstus, tantaque humorum ad caput exceperunt congestionem, ut in propin- quo essent deliria. Adhibitis igitur temperantibus, venam iterata vice in pede tundendam, & largam cruoris copiam detrahendam curavi: unde re- mittebant congestionem ac æstus, sed dolor in dorso invalescebat, & septi- mo morbi die vehemens accedebat diar- rhoea, cum perpetuo sudore & languo-

re stipata. Hæc adhibitis intus tempe- rantibus, ac mixturis analepticis, ex- terne emplastro saponato cum oleo hyo- scyami & camphora malaxato, nono die conquiescens, undecimo præter opi- nionem recrudescerebat; & dato cum pulvere præcipitante liquore anodyno, extrinsecus admoto balsamo vitæ di- cto, iterum feliciter expugnabatur. Sed dolores dorsi tantas lumbabant vi- res, ut per viginti septem dies, om- nem oculis eriperent somnum: qui tandem, continuatis interne anodyn- is & antispasmodicis, externe dicto emplastro, cum oleo hyoscyami, nu- cistæ, camphora, & balsamo Peru- viano permixto, debellabantur. Fel- icissimum etiam effectum in mode- randa diarrhoea & mitigandis dolori- bus pulvis ex bolo Armeniæ, succino, & pulvere cascariæ compositus, sed parca & repetita dosi, & cum aqua menthæ exhibitus præstabat. Præter- ea consilium dedi, ut accedente vere lacte asinino cum fonte Selterano per- mixto, interposito balneo aquæ dul- cis, utatur.

Epicrisis.

Omnia illa mala, quibus cum usque eo per longum tempus honesta illa fœ- mina confictata est, nullam certe a- liam causam, si primam originem spe- ctemus, quam immoderatum vini ad- stringentis Gallici, & potus dicti Li- monade acidi, & postea perversum ad longam & quotidianam febrem expu- gnandam corticis chinæ usum agnos- cunt. Nam uti in totum, acida, quæ incrassant humores, & adstringentia, quæ minimos tubulos quam facile con- stringunt & obstruunt, vitalibus mo- tibus, qui in libero per partes humo- rum progressu & convenientibus inde pendentibus se & excretionibus consi- stunt, valde sunt inimica; ita insau- stum & noxium eorum effectum in se- xu maxime sequiori, qui hisce rebus delectari solet, quotidie fere conspici- mus; dum mensium negotium mi- nuen-

nuendo & turbando ad innumeras graves & diuturnas ægitudines disponunt, præsertim si femine cõplexionis phlegmatica & sanguinea fuerint, & plus iusto desidiet, vitæq. sedentariæ atq; inordinatis affectibus dedita; quale exemplum præsens morbi historia exhibet. Continuus ille lumborum primam vertebra, ubi plexus magnus mesenterius situm habet, occupans dolor non nisi spasmi, qui sese diffundit per totum intestinorum canalem ejus functiones secundum naturam pervertentis, species est. Crebrior ille & sepius recurrens alvi fluxus intestinorum motus naturalis destructi & humorum vitiosorum maxime acidorum ibi congestorum indicium est, utpote qui & mole sua naturam ad excretionem stimulant, & acrimonia mucilaginem, qua tunica nervæ intestinales tectæ sunt, detergendo, easque ex parte arrodendo malo diurnitatem & contumaciam adjiciunt.

CAPUT IX.

DE

CONVULSIONE UTERI
SIVE ABORTU.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

ARvum muliebre, omnium officina mortalium, non modo, si sterile, fructuque vacuum exituerit, spasmodum tyrannidi obnoxium est, sicut in malo videre licet hysterico: verum etiam secunda prole præditum, gravissimos sæpenumero spasmodicos ac convulsivos patitur motus, vique horum non raro fructu sibi met concredito spoliatur; quem valetudinis statum abortus nomine significare solet schola medica. Est enim abortus spasmodico convulsivus uteri motus, quo fœtus immaturus & mortuus, præcedente ut plurimum enormi sanguinis profluvio, violenter excernitur.

Hoff. Syst. Tom. VI.

§. II.

Dum immaturum, nondumque vitalem per abortum excerni diximus fœtum, illum a partu septimestri, vel octimestri distinguimus. Hic enim utique vitalis existit, & ego ipse aliquot novæ exempla, ubi editi fuerunt infantes, septimanis adhuc quinque vel sex deficientibus, imbecilliores quidem, sed qui conveniente per calorem, somnum, quietem & tenerius alimentum regimine, non modo ad debitum robur & perfectionem, sed etiam ad longam pervenere vitam. Notanda subinde hæc abortum inter, & partum septimestrem est differentia, quod in hoc uteri hæmorrhagia factam demum fœtus exclusionem sequatur; in illo vero antecedit, tumque embryo, ilque mortuus excernatur.

§. III.

Abortus plerumque fit inter secundum & tertium, interdum etiam inter tertium & quartum, rarius inter quintum & sextum prægnationis mensem. Nam post quartum mensem, ubi fœtus incipit moveri, ad verum partus tempus fœtus dicitur mortuus, & majori semper cum difficultate fit; ut plurimum circa id tempus, quo alias menstrua fluere consueverunt. Nota sunt mihi plurima exempla, ubi tertio mense circa tempus menstruum fœmina abortum passæ fuerunt. Nonnunquam porro, sed rarissime contingit, ut circa septimum mensem a violentia externa placenta ab utero fiat avulsio, quam larga sanguinis ex utero profusio sequitur, sub qua infans moritur, & nisi naturæ robore cito expellatur, ipsa mater in summo vitæ versatur discrimine.

§. IV.

Signa imminentis abortus, & legitimi partus magna ex parte sunt communia; nam in utroque casu cum quadam præcedente horripilatione, & partium extremarum refrigeratione, dolor pressorius in lumbis, qui sese extendit ad immum ventrem, percipitur; postea ad os sacrum, coxendicem, & inguina descendit cum pulsu arteriarum auctioris.

Abortus differt a partu septimestri.

Abortus tempus.

Signa abortus.

Abortus differt a partu.

ri: os uteri fit humidum, & relaxatur, & evacuatio aquæ instar loturæ carniū procedit. Speciatim vero in abortu ante expulsionem fœtus sanguis purus cum grumis sat larga sæpius copia cum summa debilitate, & frequentius animi deliquio ejicitur, & tertio demum die fœtus expellitur. Præcedit ut plurimum subitaneus corporis rigor & horror cum lassitudine, inappetentia, nausea, cordis palpitatione, lumborum dolore; circa pubem gravativus dolor atque in partibus genitalibus frigus. Quot grandior autem & adultior est embryo, eo acerbiores spasmi, dolores ac majora symptomata non sine periculo observantur. Signa abortus futuri *Hippocrates l. II. de morb. mulierum §. 6.* ita proponit: Ruber fluxus fuit talis, qualis sanguis victuræ recens mactatæ, & grumi pellucentes. Aliquando vero etiam fluxum rubrum emittit, & venter imus attollitur & attenuatur, & impotens fit & indurescit, & ad contactum dolet, velut ulcere præsentē & febris habet & dentium fremitus: & dolor ad ipsa pudenda, & pubem & lateris molitudinem, & lumbos & tendinem & ventrem & pectus & scapulas irruit. Et alias omnes partes dolor & impotentia ac pusillanimitas occupat; & color mutatur.

§. V.

Diffi-
cultas
hæmor-
rhagiæ
aborti-
væ a mi-
nus salu-

Ab abortiva vero hæmorrhagia probe ille cruentus ex utero fluxus, qui multis prægnantibus semellis citra noxam, & abortum metum contingere solet, distinguendum est. Nam sæpius fit, ut quæ sanguine abundant semina, secundo & tertio graviditatis mense sanguineum experiantur fluxum, citra dolores & spasmos in regione lumbari & abdomine, citra debilitatem, & præcedentem horrorem & rigorem partium extremarum. Hoc autem in casu sanguis non ex uteri cavitate, sed potius ex vasculis vaginæ uterinæ cum euphoria profluit. Atque nota nobis sunt exempla, ubi a medio gestationis tempore usque ad ipsum partum sanguis ex genitalibus effluxit, salvo nihilominus &

vivaci satis prodeunte fœtu. Quare fallit *aph. 60. Sect. V. Hippocratis*: Si mulier gravida fit menstrualis, non potest sanus esse fœtus.

§. VI.

Refert porro scire, non omnes feminas ad abortiendum proclives esse; & quibusdam nec violentissimis remediis abortum provocari posse, *Hippocrates* quidem *l. I. de morb. mulierum* asserit abortum siue medicamento, siue potione vel cibo vel alia re quapiam contingere, & §. 42. sunt quæ fœtum corumpant, si acre quid aut amarum edierint aut biberint præter consuetudinem, dum adhuc parvus intus est puerulus. Is enim moritur & turbatur gravidæ venter, & fluxiones concitantur. Verum in nostris regionibus, ubi corpora sunt robustiora & minus sensibilia, id ipsum non observatur. Sic *Guarenonius Consult. 636.* ait: vidi multas utero gerentes, fortissimisque medicamentis, & multis venæsectionibus cruciatas, & nulla fecit abortum. *Platerus prax. pag. 113.* in mulieribus diarrhæa laborantibus abortum minime factum fuisse testatur. *Zacutus Lusitanus in praxi admitt. obs. 43. 44.* refert, per vehementissima purgantia, per sexies, imo octies repetitas venæsectiones, unguenta fortissima & pessaria utero adplicata, per longam inediam, nullo procuratos fuisse abortus. Spectat hæc quoque notabilis illa observatio *D. D. Sommeri*, quam *Dec. 1. anno VI. obs. 106. M. N. C.* inseruit, mulierem quandam, centum guttas olei destillati juniperi per viginti dies, omni mane ad menses provocandos usurpasse, postea tamen filium peperisse. Qua de re fusius agit, *Albrechtus decad. 1. anno VIII. obs. 165.* & recenset, fortissima emmenagoga, ut oleo destillata sabinæ, succini, myrrhata, crocata, aloetica ad fœtum expellendum frustra fuisse propinata. Singularis etiam observatio est, quam habet *Bartholinus M. N. C. anno 1. dec. 1. obs. 52.* de geminis gravidis, hæc venerea laborantibus, quæ a chirurgo, eas esse prægnantes, nesciente, mercuriali sa-

Aborti non facile provocari posse, probatur: testimo- nio au- ctorum.

li sa-

li salivatione curata, & nihilominus
salvos fetuses enixa sunt.

§. VII.

<sup>3) Va-
ris ob-
serva-
tionibus.</sup> Ipse ego non semel, sed aliquoties
observavi, gravidas quasdam vehemen-
tibus acutis febribus, nec non variolis,
morbillis, diarrhæis, imo dysenteriiis
laborasse, & fetum in utero vivum sal-
vumque retinuisse. Novi etiam aliquot
exempla feminarum generosi stemma-
tis, quæ, quia non putarunt, se gra-
vidas esse, ad mitiganda pathemata
hypochondriaco-hysterica integram cu-
ram Carolinarum per aliquot septima-
nas absolverunt, & postea Teplicensi
balneo per septimanam & ultra usa,
elapsis tribus vel quatuor mensibus, fe-
lici partu bene valentes & robustos ex-
cluserunt infantes, cum tamen ejusmo-
di curandi ratio gravidis minus tuta
censeatur. Neque pauca mihi prostant
exempla, quod utero gerentes per ac-
clivia & declivia loca sine ulla noxa per
dies noctesque fecerint itinera, & nimis
saltationibus immensum in modum se
fatigaverint. Nec omnibus imprægnatis
terror nocet: alias ob. campanarum
suborto incendio. sonitum inopinatum
plures in amplis civitatibus deberent
abortire, quod tamen rarius accidit.

§. VIII.

<sup>Subje-
ctis ob-
serva-
tionibus.</sup> Quibus præmissis, eas mox subjun-
gere observationes consultum erit, quas
de subjectis abortus, attenta præbet ex-
perientia. Sic adnotamus, mulieres
succulentas, pinguiore, mollioris &
subtilioris corporis habitus, otiosas,
opiparo lautoque vitæ genere utentes,
naturæ imbecillioris ac sensibilibioris, pa-
thematibus hystericis obnoxias, quæ
ordinario menstrua vel copiosiora, vel
inordinata fuerunt expertæ, quæ semel
abortum passæ, aut quarum matres ad
abortiendum proclives fuere, longe fa-
ciliores ac opportuniore ad abortum
esse, quam feminas musculosas, durioris
fibrarum compage donatas, robu-
stiores, plebejas, minus pingues, &
quæ valido exercentur labore, neque
terrori & aliis animi intemperatis mo-
tibus nimium indulgent. Constat quo-

que experientia, illas feminas, quibus
per priores prægnationis menses sanguis
ex uteri vagina profluxit, quibus cibo-
rum adpetentia languet, & quæ odon-
talgiis, defluxionibus tussiculosis, na-
riumque hæmorrhagiis subinde exposi-
tæ sunt, vel sanguinem semel hisve tem-
pore graviditatis e vena mittunt, ad
abortiendum minus promptas esse. Ce-
terum de differenti mulierum natura ad
uteri morbos & ad proclivitatem abor-
tus insignis locus Hippocratis, qui ex-
stat de morbis mulierum l. 11. §. V. me-
retur considerari.

§. IX.

Hinc autem, cum in quibusdam vel <sup>Sanguis
ra uterū
, vascu-
losa.</sup> levissimæ causæ abortum moveant, quem
in aliis nulla ars excitare valet, pecu-
liarissima sequitur conclusio, peculiarem
uteri in facile abortientibus esse de-
bere dispositionem. Quæ ut innotescat,
de uteri structura & usu quadam præ-
monere, haud alienum erit. Scire igitur
refert, 1) quod nulla in toto corpore
pars tam numerosa vasorum copia sit
instructa, quam ipse uterus, quippe
qui, testante injectionum artificio totus
ferme est vasculosus. Accipit enim
vasa sua & arteriosa & venosa partim a
spermaticis, partim hypogastricis, partim
etiam abiliacis; 2) quod in nulla
corporis parte venæ pariter ac arteriæ
tam copiosæ, quam in utero, gaudeant
anastomosibus: nam inflatus per sper-
maticas ventus mox in hypogastricas
penetrat; 3) quod vasa uteri in virgi-
nibus valde exilia, facta imprægnatione
adeo distendantur, ut minimi eorundem
ramuli acquirant eam capacitatem, quæ
majorem admittit styllum; 4) quod non
recto, sed valde anfractuoso, tortuoso, &
velut serpentino flexu per uteri substantiam
discurrant; 5) quod venæ arteriis longe
sint capaciores; ac 6) valvulis plane des-
tituantur. His ex novissimis tribus momen-
tissime patet, circulum & comprimis
refluxum sanguinis per venas uteri valde
tardum in statu etiam naturali esse; &
hinc uterum præ aliis partibus, nimis
humorum congestionibus, vaso-

rum infarctibus, distensionibus & hæmorrhagiis obnoxium existere ac aptissimum.

§. X.

De sel-
lulis, &
forami-
nibus
uteri.

Id vero peculiare sibi servat exquisita vasorum uteri connexio, quod in plurimas cavernulas sive cellulas mutuo communicantes canalium alvei desinant, & sinus ovalis figuræ efforment, quæ substantiam ipsius uteri spongiosam & fungosam reddunt, atque in gravidis mire ampliantur: quo fit, ut uterus præsertim prægnans, transversim sectus, ampla & innumera fere exhibeat foraminula. Hac sinuosa & cavernosa vasorum commixtura efficitur, ut non ipse solum uterus in prægnantibus a sanguine contento mirifice dilatetur, ejusque tensa & stricta antea compages laxior atque mollior reddatur; sed etiam orificia extremitatū vasculosarum, quæ in cavo oblique sub membrana uterihiant, & per quæ aer, canali cuidam inflatus, in ipsam cavitatem haud difficulter transmittitur, magis diducantur, sicque perforata vasculosa chorii membranæ filamenta excipiant, quo per illa sanguis, ex utero ad foetum, hunc nutriturus transire possit.

§. XI.

Structu-
ra uteri
fibrosa
ejusque
elastica
virtus.

Deinceps notari meretur, uteri membranam fibris carneis esse præditam, earumque ingentem congeriem orbiculatam, imo instar retis contextam, in uteri potissimum fundo conspici. Harum ope peculiarem tonum, seu motum systolicum & diastolicum obtinet, quo sese constringere, rursusque dilatare alternis valet vicibus. Et hoc motu recte, secundumque naturam sese habente, liber & expeditus sanguinis per uterum fit circuitus, omnesque illius functiones legitime succedunt. Sed simul observatione dignum est, quod uterus vi dicti hujus motus mirifica & vix comprehensibili potentia gaudeat elastica, qua ejus fibræ & vasa incredibilem in modum distendi & explicari, sicut fit in graviditate, ac excreta farcina, sicque cessante distensionis causa, sponte rur-

sus contrahi, coarctari, & ad pristinum statum, ac spatium redigi possunt.

§. XII.

His expositis, porro haud ignorari oportet, foetum libere in cavitatem matricis fluctuantem, & ab umbilicali duntaxat funiculo pendentem, vi placenta uterina, quam secundinas vocant, cum utero ita coherere, ut illius extrema vascula, tanquam minimi villi in foraminula atque ductus uteri §. X. descriptos inferantur, & cum iis laxè uniantur. Jam ex supra dictis repetimus, quod fetus in abortu sit mortuus, illumque tantum non semper hæmorrhagia antecedit. Moritur autem foetus in utero, si succi vitales, unicum illius nutrimentum non amplius ex orificiis vasorum uteri ad villos secundinarum feruntur; quod fit, si placenta uterina, membranosa valde ac vasculosa ab uteri vasorum orificiis avellatur. Ergo præternaturalis placenta avulsio perpetuam abortus causam constituit. Avulsis enim secundinis non aliter fieri potest, quin vasa uterina cruore turgida distentaque copioso, hunc per hiantes ductus & patula orificia in matricis effundant cavitatem; qui una cum cadavere, latera arvi muliebris premente & molestante, (mortua enim corpora semper graviora sunt viventibus) carneas ad motus spasmodico-convulsivos proritat fibras, aut eos jam præsentis adauget; quibus constrictus, & ab omni latere pressus uterus, aperto interno orificio, expellit primo contentum cruorem & fluidum, & stagnando in grumos concretum, ipsamque tandem, ampliora facta apertura, cadaveris farcinam.

§. XIII.

Hæc dicta vero secundinarum avulsio, spasmodum abortivorum immedata causa, a variis induci deprehenditur mediatis; quas inter primum locum occupant illata extrinsecus violentiæ; quippe quæ graviter concutiendo abdomen, rupturam coherentium la-

Causa
proxima
abortus.

Causa
abortus
mediate
sunt: 1.
externa
violenta.

xe villorum facillime inferunt. Hinc per gravem imi ventris percussione[m], vel contusione[m], sive perictum & lapsu[m], sive vehementem corporis exertitionem, saltationem, vesturam fiat, vel nimiam abdominis in allevatione brachiorum, aut gravioris ponderis elevatione factam extensionem, provocari abortus, multis observationibus & exemplis habemus comprobatum. Eidem fundamento innititur abortio, quæ per frequentem & immoderatum coitum excitatur; cujus mentionem injicit *Guilielmus Fabricius Cent. II. obs. 80.*

§. XIV.

Defectus sanguinis. Deinceps dicta separatio fit ab inopia succi & sanguinis nutritici, per orificia vasorum uteri in apertos secundinarum villos instillari soliti. Nam si orificia vasorum uterinorum ob deficientem sanguinis adfluxum exarescunt; foetus nutrimento destitutus perit & corrumpitur, qui hoc in casu sæpenumero absque spasmis & doloribus ejicitur. Hinc dispositæ 1) in morbis gravioribus, febribus acutis malignis, nimis diarrhœis, maxime dylenterii, & quidem frequentes circa declinationem abortiunt; 2) ex eodem fundamento abortum provocare valent immoderate sanguinis missiones, in subjectis sanguine non adeo abundantibus institutæ, cum primis in regionibus calidioribus: unde *Hippocrates aph. XXX. sect. V.* recte dicit, quod venæsectio ad abortum disponat; siquidem ejus tempore ad animi usque deliquium sanguis mitti solitus est.

§. XV.

Nimiam sanguinis abundantiam. Frequentissimam autem abortuum causam exhibet nimia sanguinis moles, quam Plethoram vocant. Constat nimium ex supra dictis, progressum sanguinis per vasa uteri venosa in statu naturali esse difficiliorem ac impeditiorem. Quod si igitur illa a copioso humorum affluxu ultra modum distendantur, & sanguis in sinibus stagnat; sequitur spasmodica fibrarum uterinarum contractio, tanquam perpetuus di-

Hoff. Syst. Tom. VI.

stensionis vasorum comes; quæ sit, ut sanguis cum impetu ex orificiis arteriolarum eructetur, uterus flaccescat, placenta secedat ab ejus filamentis & vasorum hiatibus, ac demum foetus ut plurimum secundo vel tertio ab hemorrhagia die excludatur. Hinc cum *Sylvio Cap. VI. prax. med.* observamus, foeminas gravidas nona decimaque post cessantem menstruorum eruptionem hebdomade fluxum subinde pari sanguinis satis magnum, & una cum ipso excernere aliquid coagulati carneique; quæ educto circa hebdomadem octavam post cessantia menstrua sanguine, nil simile in se animadvertunt, verum gravidæ manent, atque circa nonum mensem, vivum & vitalem pariunt foetum. Unde recte concluditur, has prioribus quoque mensibus fuisse gravidas; posthabita vero redundantis sanguinis imminutione abortum fuisse passas, & hoc præsertim foeminas largo mensium fluxui obnoxiiis evenit, nam quia foetus tenerior est, facillime cum uteri hæmorrhagia profunditur. Hinc recte dicit *Hippocrates Lib. de partu octimestri*, plurimas primis quadraginta diebus fieri abortiones.

§. XVI.

Sæpius quoque abortionum causas sunt omnes illæ res, quæ uterum ad spasmodicas concitare valent stricturas; quibus si præsertim robusta illa fibrarum series, in fondo uteri obvia, afficitur, secundinarum inducitur avulsio. Hoc nomine abortum provocandi potentia pollent 1) vehementiores animi affectus, præsertim gravis iracundia atque terror, præsertim si hæc graviora pathemata invicem jungantur, & unum alterum excipiat, maxime eo tempore quo menses olim fluere consueverant; 2.) remedia ad pellendum foetum destinata, quæ nimium sanguinis orgasmum incitando, & solidas commovendo partes, voris nonnunquam satisfaciunt: quo quidem fine omnia calidiora emmenagoga, ac diuretica celebrantur, cum primis oleum succini, & fabinæ; radix filicis, conf. *Schroederi*

ederi *pharmac. med. chym. Lib. IV. 3*) fortiora purgantia, scammoniata, colocynthiaca, jalappina, aloetica, quæ spasmus intestinorum & totius nervosi systematis non raro inducunt; 4) vehementiora emetica, siquidem sub ipso diuturniori ac violento vomitu sæpe sunt abortiones; 5) tussis ferina ac convulsiva, nec non omnes convulsivi, ac epileptici morbi; 6) fluor denique albus, qui non modo humore acri vellicante, verum etiam relaxando uteri fibras ad abortum disponit. Ex classe rerum non naturalium cibi & potiones adstringentes & maxime omnium, ex nostra observatione vina Gallorum rubra immoderatus assumpta, liberiores sanguis cursum impediendo, ad largas hæmorrhagias & abortum quoque disponunt.

§. XVII.

In quo
confi-
stat ab-
ortuendi
procli-
vitas.

Verum enim vero, quum omnes hæc causæ a multis impune ferantur, & hinc semper dispositio quædam ad abortiendum supponatur: quæstio incidit, in quo potissimum consistat illa dispositio. Hanc vero in nimia fibrarum musculosarum, & vasorum uteri elasticorum relaxatione, remissione & atonia collocandam esse statuo. Namque sub tali insigni toni dejectione libera sanguinis & humorum progressio intercipitur, vasa venosa a nimio sanguinis confluxu valde distenduntur, fiunt varicosa, uterus ad spasmos enormes irritatur, quibus mediantibus extremitates vasorum aperiuntur, nutritio foetus perit, atque avulsis secundinis, foetus præmature expellitur. Et hæc omnia eo certius fiunt, si quædam causarum mediatarum, brevi ante recensitarum accesserit: quæ, si debitum uteri robur, ac legitimus per illum sanguinis circuitus præsto fuerit, nihil ferme valebunt, testantibus §. VI. adductis exemplis. Hæc ipsa etiam humorum in relaxatis, ac distentis uteri vasculis stagnatio causa est, quod foetus primis illico mensibus vitiatum atque corruptum in carneam sæpe massam variaz figuræ atque consistentiæ, quam mo-

lam dicere solent, degeneret, cujus ab utero avulsio & excretio cum magna symptomatum exacerbatione fieri observatur.

§. XVIII.

Ad ejusmodi præternaturalem a copia humorum uteri relaxationem, tanquam veram abortus causam, antiquissimum nostræ artis Professorum respexisse, testatur *sect. V. aphor. 45.* ita se habens: quæcunque moderate corpus habentes, abortiunt bimestres & trimestres, sine causa manifesta; his uteri acetabula mucosæ sunt plena, & non possunt foetum continere præ gravitate, sed abrumptur. *Conf. etiam aph. 62. ejusdem sectionis*, in quo uteri intemperaturam, si nimis siccus sit, accusat, quod ad fecundandum & nutriendum foetum plane sit ineptus: laudat vero ejus temperatum & moderatum statum, quo nihil aliud, quam tonus & robur uteri æquabile, moderatum, & ad liberum sanguinis circulum aptissimum subintelligitur.

§. XIX.

Hæc autem dispositio ad abortiendum variis acquiritur modis. Vel enim nativa fibrarum uteri debilitas subest, adeo, ut matres, quæ frequenter abortiverunt, filias generent, ad idem vitium proclives: vel etiam consuetudo meretur accusari, qua scæminæ, quæ semel vel bis abortivere, crebrius in id malum incidunt, idque non raro eodem tempore: licet non semper foetus, sed loco hujus informis ex sanguine mucoso concreta massa prodeat. Per hanc vero consuetudinem nihil aliud intelligo, quam pravam vasorum uteri laxitatem, & inde proveniente humorum stagnationem, ex abortiendi labore sæpius repetito inductam; ex qua subinde uterus in spasticos & convulsivos motus ex facili ac levissima causa concipitur.

§. XX.

Relinquitur etiam utero abortiendi proclivitas ex præpostero puerperarum regimine. Quod si enim post puerperium uterus non rite a lochiis & stagnante

Confir-
matur
ex Hip-
pocrate.

Disposi-
tio ad
aborti-
dum ac-
quiritur
1) jure
heredi-
tario, &
consue-
tudine.

2) Malo
puerpe-
rarum
regimi-
ne.

gnantē sanguine viscido mucoso liberatus, neque per convenientia remedia colluvies feri impuri e corpore per alvum vel alia excretoria detracta fuerit, neque hinc ad pristinum & naturalem tonum & constrictionem ipse pervenerit: relinquitur ingens atonia, & imbecillitas vasorum, menses non procedunt legitime, non sunt fecundi conceptus, foetus non debite nutritur, sed ante tempus ejicitur immaturus.

§. XXI.

Tempellatū vitiosa confusione. Ipsa denique tempestatum vitiosa constitutio ad abortum disponere, & hunc epidemicum reddere valet. Unde Hippocrates sect. III. aph. 12. asserit, per hyemem pluviolosam ac clementem, si ver sequatur aquilonare, mulieres ex facili occasione abortire, vel imbecillos, ac morbosos pueros parere: quia scilicet plethora in gravidis serosa, quæ fere ordinaria est, per præcedentem autumnum humidum & pluviolum, & succedentem ejusdem naturæ hyemem, immensum in modum increvit; superveniente autem aeris statu aquilonari, quo a superficie ad interiora pelluntur humores, necesse est, ut ad ipsum uterum nimia & impetuvosa fiat feri excrementitii confluxio, fecunda abortionis genitrix. Cui quidem observationi hanc subiiciendam reor cautelam, quod talis aeris status non omnes gravidas, sed eas potissimum, quæ sanguinei & humidioris temperamenti sunt, afficiat.

§. XXII.

Prognosis abortivum. Omnis abortus est periculosus, eo magis, quo adultior foetus existit. Cum primis ille periculo non vacat, si mola cum ipso foetu præsens est; quippe quæ hoc excluso, utero firmiter alligata remanet, nec tam facile eliditur. Tunc nimirum dolor dorsi & ossis sacri semper urget, abdomen intumescit, vires consumuntur, lenta est febris, & pravus ex utero promanat humor, vitalesque universi corporis fatiscere incipiunt functiones. Multum sane hoc vitium medentibus facessere solet negotii, præsertim, quando ipsæ scemella sensibilibioris naturæ, ad animi commotiones

valde proclives, & pathematibus hysteriis obnoxie fuerint. Pathemata, quæ abortum sequuntur, Hippocrates l. II. de morbis mulierum §. V. ita describit: Si fluxus ex utero abortus fuerit, sanguis multus fluit, & grumi compacti excidunt: & dolor occupat lumbos, & laterum multitudinem, ac imum ventrem & durus est venter, & ad contactum dolet; & rigor ac febris acuta corripit; debilitas oboritur; & omnia præter humeros ad scapulas dolent; & calor invadit, & rubescit, & venæ duræ fiunt ac renitentes.

Theses Therapeuticæ.

§. I.

Indicationes curatioræ. Omne plerumque consilium & auxilium, quod in abortionis negotio, a medente sperari & promitti potest, in eo duntaxat consistit, ut præcaveat imminentem abortum. Quod impetrare licet, si ope remedium ex diætetico, pharmaceutico, & chirurgico fonte petitorum, eas causas, quæ pravam abortiendi dispositionem utero inducere possunt, omni cura ac studio amovere nitatur, debitumque utero robur restituat.

§. II.

Venæsectionis necessitas & utilitas. Quom igitur ex supra dictis perspectum habeamus, vasorum uteri a copiosiori sanguinis adfluxu infarctum primam & præcipuam abortionum causam constituere: facile patet, non certius, nec efficacius ad præcavendum id vitii genus tempestiva sanguinis missione dari præsidium. Hoc & experientia, & creber usus peritissimorum medicorum a longa jam tempore stabilitum confirmatumque deducit; & nos eo solo complores semelillas, quæ crebrius abortum peccant sunt, ad statum pariendi tempus deductas novimus. Sed primo quidem notari meretur, quod, cum creber abortus ut plurimum circa finem tertii ab imprægnatione mensis, propter largiorem sanguinis ad uterum

affluxum, quem fetus ad sui nutritionem tunc nec requirit, nec ferre potest, incidat, tutissime circa id tempus, præsertim abortui jam adfuetis vena in brachio secetur: ea enim hoc in loco, suffragante omnis antiquitatis testimonio, securior, quam in locis inferioribus habenda est. Nihilominus in totum non negari potest, quin venæsectio etiam in pede gravidarum, præsertim ultimis circa partus tempus mensibus commodissime possit institui. Deinceps vero circumspiceo præsentis medicis iudicio committendum est, quantum sanguinis emittere, & quoties ejus missionem iterare conveniat. Nam eam pro diversitate plethoræ, majorique vel minoris sanguinis ad uterum congectione ter sepe, vel quater intra graviditatis tempus esse repetendam, crebra nos docuit experientia. Vid. *Amatus Lusitanus cont. II. curat. 95. it. Misc. Nat. Cur. Dec. I. A. VI. obs. 204. A. IX. X. obs. 48.* ubi refertur, Medicum scēminam, quæ octies abortiverat, repetitis venæsectionibus circa initium quarti mensis, item circa septimum ab ulteriori abortu præservasse. Nec deficiunt exempla, ubi singulis mensibus ex venæsectione perendum fuit auxilium: cujusmodi observationes apud *Stalpart Vander Wiel, Hildanum, Billingerum, Riverium Cent. I. obs. 53. Versazam Cent. I. obs. 82.* aliosque non sine fructu legi possunt. Cum primis vero tunc opportunissime detrahatur sanguis, si naturam in movendo abortu esse occupatam, ex doloribus modicis, lumbos potissimum infestantibus, & ad ossa ischii, nec non os sacrum descendentibus, colligitur. Cuiusmodi molimina ad abortum quoties occurrunt, toties, monente *Clariss. Boerhaave*, sanguine partibus superioribus mittendus est. Utilissimum hanc in rem *Fernelii* monitum, quod habet *l. 11. meth. med. c. 12.* inferiores prægnantium venas, scriben-
tis, incidere minime tutum, quod

impetu deorsum converso menses pro-
cedant, præcipiturque fetus.

§. III.

Quum porro gravidæ, quibus alvi constipatio familiarior est, & quæ insuper pathematibus hypochondriacis, vel hysteriis obnoxia sunt, ad abortiendum admodum pronæ deprehenduntur: eo respicere debet medicus, ut per totum gestationis tempus maxime prioribus mensibus, apertam convenientibus remediis servet alvum. Ego non semel quidem, sed sæpius observavi, quod, utia sanguinis abundantia in gravidis, vasorumque imi ventris nimia repletionem difficillime succedit alvinæ excretionis negotium; ita eadem, subtracta legitima sanguinis quantitate, ad pristinum mox redeat officium. Inter pharmaca vero, quæ hic alvinam excretionem tuto adjuvant, eminent passulata, mannata, inque primis rhabarbarina. Probata præ ceteris fidei est sequens electuarium: Recipe rhabarbari pulverisati unciam unam, mannæ uncias duas, cremoris tartari drachmas duas, solvantur leni calore in aquæ veronicæ libra dimidia, colaturæ addatur passularum minorum libra una, & inspissetur leni calore in vase stanneo, adjecta sub finem pulveris cinnamomi drachma una; cujus duo vel tria cochlearia circa prandium, vel somni tempus capiantur. His vero, quæ magis sero, quam sanguine abundant, proficiat potius sunt pilulæ *Becherianæ*, vel ad earum exemplar paratæ; quarum eo tutior erit virtus, si ad infringendam, quam in nonnullis excitare solent ebullitionem, cum ipsis pulvis quidam absorbens, deterfivus & nitrosus exhibeatur. His etiam commodissime substitui possunt pilulæ marocossinæ pariter ac de succino Cratonis.

§. IV.

Sæpius fit, ut neglecta uteri post partum a sordibus ipsi inhaerentibus purgatione, remaneat ad abortum proclivitas, quam quidem præcavere licet per convenientia laxantia, balnea & toni-

Alvi im-
bricitas
præca-
va
abortu.

Disposi-
tio ad
abortu
ex male
post
partum
regimi-
ne quo-
modo
sollicita

percipiebat dolores; quos medici a calculo renum derivabant, sed remediis ad calculum pellendum destinatis frustra pugnabant. Octavo mense pedes & femora mirum in modum intumescabant, & nono partus vivus excludebatur felicissime, subsequente copiosissimo lochiorum & aquarum effluxu. Paulo post iterum concepit, duranteque graviditate bis, tertio nimirum, & septimo mense, venam tundendam præbuit; unde factum est, ut licet dolores reverterentur, illi tamen mox conquiescerent, & illa legitimo tempore partum ederet felicem.

Epicrisis.

Spasmi, sicut generatim omnes, ita etiam illi, qui in gravidis, tanquam abortuum causa occurrunt, monente jam Hippocrate, vel ex repletionem, vel inanitionem proficiscuntur. Priori casu abortus fit ex copia sanguinis in uteri vasis, & circa lumbos stagnantis; & subjecta tum plerumque deprehenduntur spongioso corporis habitu, venisque turgentibus prædita, bene adpetunt, sed parum moventur, & ex ipsa sanguinis in imo ventre stagnatione, alvi sunt segnioris. His præsertim si jam passa fuerint abortum, ad hunc præcavendum, summo cum fructu vena, iterato secari potest; cuius operationis excellentem effectum, & præfens casus testatur, & Raygerus in M. N. C. ann. 4. obs. 204. illustri confirmat exemplo. Aliter se res habet, si ab inanitione, i. e. defectu sanguinis & nutrimenti producat abortio; ubi corpus est gracilius, vasa minora, pulsus frequens & debilis, internus calor, appetitus iactura, viriumque imbecillitas. Hoc in casu minime secanda est vena; tantum abest ut profit, ut potius inde ad ipsam abortionis provocationem multum cõtribuat. Præstat potius alimentis nutritivis & analepticis medicinis, & matris viribus succurrere, & fœtui nutrimentum suppeditare.

OBSERVATIO III.

Juvenula mulier, unius & viginti annorum temperamenti sanguineo-chole-
 rici, præter variolas sexto ætatis anno
 feliciter superatas, integra sanitate gavi-
 sa, obesa subinde sanguineq; plena, men-

strua ab anno 16. iusto tempore copiosa
 reddidit. Viro nupta bis felici cum suc-
 cessu peperit; sed post primum puerpe-
 rium corpore magis extenuata, post al-
 terum mensium inordinatum, mox ni-
 mium, mox parciorem experta fuit flu-
 xum. Paulo post mense Martio tertium
 utero concepit, testibus mensium sup-
 pressionem, nausea, vomitu, ciborumque
 fastidio; & circa finem Junii fetus moti-
 tationem in utero sentiens, se ad dimi-
 dium gestationis tempus pervenisse pu-
 tavit. Tertio post perceptum motum
 die, nocturno tempore ex improvviso ci-
 tra ullam causam præviam uno impetu
 integra cruoris mensura ex utero pro-
 fluebat; quamobrem postridie vena in
 brachio secabatur conjuncto confortan-
 tium, temperantium, & præcipitantium
 interno, nervinorum externo usu, cum
 egregio levamine. Verum, novem elap-
 sis diebus, eadem recidebat hæmorrha-
 gia, & sic continuabat, ita tamen, ut per
 diem ab ipsa immunitas existeret, noctu
 vero, prævio tensionis in capite & bra-
 chiis, atq; fornicationis in pedibus sen-
 su, dorisque dolore, uno impetu sangui-
 nis quidpiam promanaret; tumq; simul
 & semel usque ad futuram noctem con-
 quiesceret hæc cruenta fluxio; & ceterum
 somnus pariter ac adpetitus essent inte-
 gri. Adhibitis pulvere antispasmodico,
 pilulisque balsamicis Stablii intra ali-
 quot hebdomades cessabat ea uteri hæ-
 morrhagia, & egra habebat optime. Sub
 finem Augusti mensis vero citra opinio-
 nem pedum spasmi, horrendi in dorso ac
 lumbis dolores, hypogastricæ regionis
 tormina, & adfirmante obstetrice, pa-
 riendi tempus imminebat. Hæc spes vo-
 ta fallebat; siquidem perseverantibus
 per aliquot dies doloribus, excludebatur
 tandem vivus partus; sed uti ex calculo
 ærotantis pariter ac ipsa tenelluli de-
 bilitate adparebat, septimestris, qui post
 unam alteramque horam expirabat;
 matre salva manente, & ad pristinum
 sanitatis vigorem redeunte.

Epicrisis.

Attentione certe perquam digna est
 hæc observatio, quod medio gestationis
 tem-

Parva
 septi
 mellis
 post hæ-
 mortha-
 giam ab-

tempore, foetu manente vivo & sine abortu uno impetu, integra sanguinis mensura ex uteri cavo profluxerit. Quæ subito & grandis hæmorrhagia sine secundina ab utero minimum partiali avulsione & ruptura vasis sanguinei contingere non potuit. Quamvis autem idoneis ad abortum promovendum remediis usque præstantissimis datis foetus salvus manserit: tamen quia vas sanguineum ruptum, sub utero extenso non coalescere vel consolidari potuit, factum est, ut elapsis novem diebus hæmorrhagia licet non tam enormis iterum secuta fuerit. Et quoniam ob profusionem sanguinis debito nutrimento foetus fuit destitutus, septimo demum mense valde extenuatus & imbecillis exclusus est, & post horam expiravit.

Res est alias periculi plenissima, quod multis possem confirmare exemplis, quando, septimo vel octavo mense ex vase sanguineo rupto tam copiosa & effrænata hæmorrhagia uterina fit. Nam nisi natura partum mox acceleret, vel circumspicienda arte, quoad fieri potest, fetus ex utero expellatur vel manibus extrahatur, de vita non modo infantis, sed & ipsius matris actum est. Ceterum in valde plethorica foemina tempestiva circa finem tertii mensis instituta sanguinis missio ejusmodi periculosis hæmorrhagiis præcavendis convenientissima est. Cavendum vero in ejusmodi casibus est, a fortioribus ad cohibendas hæmorrhagias stipticis tam internis quam externis; quorum ope reprimatur quidē cruor, quia ab it in massam coagulata, sed horripilatio, dolor circa uterum & dorsum vagus, cum animi inquietudine, ac pavore succrescit, & nisi natura ipsa resurgens validior propulsione foetus molitur, exitiosa inde consequi symptomata, non mirum videtur.

OBSERVATIO IV.

Abortus. Femina viginti octo annos nata, temperamenti cholericæ sanguinei, tenerioris, strictionisque corporis habitus, ante quinque annos prævia vehementi excandela, septimestrem enixa est partum. Lochia sub puerperio stuebant par-

ciora, & hinc ab eo tempore hypochondriacæ accesserunt passionēs, velut capitis dolores, vomitiones, vomendi conatus, gravativus in ventriculo sensus, tormina imi ventris, alvi segnitie, extremorum frigus, gelidaque in certo capitis spatio sensatio. Hæc symptomata per intervalla invadebant, nec prius remittebant, quam donec bilis æruginosa vomitu redderetur. Binis post annis utero rursus cepit gerere, atque circa medium gestationis tempus recensitorum malorum vacuitate gaudere. Sed hoc tempore successit febris tertiana, & per novem inhæsit menses. Neque tamen minus sub ea ipsa partum feliciter debito tempore edidit, lochia sufficienter fluxerunt, & subinde menstrua quoque legitime permanarunt. Tandem sublata febre, pristina hypochondriacæ recruduerunt pathemata, cum perpetuis vigiliis, & mentis insigni contristatione stipata: & a commendato sub paroxysmo aquæ frigida potu, datisque pilulis aloeticis, magis invaluerunt. Neque remiserunt per insequentem graviditatis statum: tantum abest, ut novissime tres menses gravis, post gravem animi commotionem abortiret, & posthæc malo suo ad hanc usque diem vehementius adligeretur. Appetitus ceterum iusto est avidior: & a suaveolentibus male habet. In hoc rerum statu meum implorabat auxilium. Ego re paulo solertius expensa judicavi internum Carolinarum usum & postea balneum Tœplicense, utilissimum tum ad obstructions & infarctus viscerum, unde mali hysterici & hypochondriaci origo, submovendos, tum ad uteri tonum valde debilitatum restituendum, absoluta. vero hac cura præter exactam dietam, & abstinentiam per aliquod tempus a coitu, elixir meum viscerale cum essentia succini, & rhabarbari mixtum singulis diebus bis sumendum una cum decocto pro potu ordinario ex raspatō ligno, saffraſas & passulis, compoſito commendavi.

Epicrisis.

Pathemata hypochondriacæ & hysterica a fibrosa uteri quoad ejus tonum, robur,

robur, & elaterem substantia laesa, quæ post partum & abortum fit, nisi congruis remediis cito restituatur, originem suam subinde ducere, non novum est, sed quotidianis exemplis confirmatur. Nam naturalem sanguinis per vasa uteri circuitum inordinatum & læsum, per nexum, qui est inter vasa sanguinea universi corporis, mox inordinatus & turbatus sanguinis motus per universas & maxime nobiliores partes subsequitur. Inde fit, ut affectiones hypochondriacæ & hystericae sint systematicæ, in quibus omnes partes a naturali sua functione deficiunt. Et inde etiam accidit, ut quæ vehementiori gradu hysterici & hypochondriaci mali laborant, sætum vivum & sanum debito tempore vix parere queant, & ad abortiendum valde sint proclives. Sed quoniam febris tertiana & quartana rite succedens & tractata, virtutem sapius medicinalem habet a multis impuritatibus, obstructionibus & infarctibus corpus liberandi, factum inde etiam est, ut præsens foemina sub febre & foetum retinuerit, & feliciter pepererit. Postquam vero febris in nostra ægra forsan per incongrua artificia sublatam fuit, non modo affectio hypochondriaca recruduit, imò exacerbata, sed immatura etiam foetus expulsio secuta est. Dici enim vix potest, quantam incurando prudentiam & iudicium intermittentes febres, præsertim si chronicae in foeminis factæ fuerint, desiderent. Quæ res si negligitur, statum perpetuo valetudinarium inde sæpius animadverti. Neque vero ego præsentius unquam auxilium, quam in tempestivo & prudenti externo & interno aquarum thermalium usu me deprehendisse, ingenue profiteor.

OBSERVATIO V.

Triginta annorum femina, robustior, & sanguinea, præter binos infantes, quos sub conjugii auspiciis feliciter exclusit, bis septimestres, quater quinquemestres passa est abortus, qui hunc in modum tristem luserunt scenam. Graviditate ad mensem tertium protracta, in dorso & sinistro hypochondrio tendentes ac-

lancinantes persensit dolores, qui sensu ponderis cuiusdam stipati, ad regionem pubis excurrerant, cum ani tenesmo, alvi obstructione & flatulentis. Tum copiosus, & enormis sanguinis ex utero fluxus excepit, qui per certa intervalla continuavit ad abortionis supra dictæ usque tempus. Fœtus, qui plerumque sanguine totus suffusus fuit, excluso, dolores in sinistro hypochondrio nihilo fecius per aliquod adhuc tempus continuaverunt. Quo in rerum statu novissime rursus concepit & eum tertium imprægnationis mensem explevit, recruduit uterinus fluor: qui licet iterum evanesceret post tusam in brachio venam, adfligebant tamen dolores hypochondrii sinistri, decubitus ponderis ad pubis regionem, obstructio alvi, flatulentia, tenesmus, & mammae lacte turgabant. Ceterum extra prægnationis statum non habebat, de quo conquereretur; & quæprimum conceptio facta est, crebris vexari solebat sternutamentis. Ut igitur hac vice secunda gaudere prole posset, meam petiit opem.

Epicrisis cum consilio.

Prima, quam huic ægræ de sua valetudine me consulenti proposui, hæc fuit quaestio: Quo potius genere huc usque usa fuerit. Dixit, coqui in loco, ubi degerebat, cerevisiam valde saturatam & spirituosam adeo, ut ex haustu duarum mensurarum homines inebrientur. Tetigi pulsum, qui valde erat magnus; conquerebatur de perpetuis fere lumborum doloribus, & a gravi terrore primum abortum excitatum esse edixit. Ego aquam puram fontanæ, quam maritus asseveravit ibi esse saluberrimam, pro potu ordinario assumendam suasi. Deinceps dedi pulverem ex conchis preparatis, cornu cervi philosophice præparato & nitro, singulis æquali pondere mixtis, cuius drachmam quotidie circa lecti introitum usurpandam commendavi. Dedi quoque emplastrum, quod erat saponatum *Barbette* cum oleo hyoscyami malaxatum, lumbis dolore & spasmo affectis applicandum. Demum ut elapso mensis spatio rursus venas-

tionem admitteret, suavor fui. Quæ præcepta & monita cum accuratius observavit, factum est, ut feliciter consueto tempore pepererit. Ex quo clarissime apparere arbitror, ad plethoram, si hæc vel ad vires vel ad vasa frequentioris causa abortus fuerit, minuendam non tantum venæsectionem in auxilium vocandam, sed & aliis remediis ex dicta desumptis præcipue congruo potu opus esse.

OBSERVATIO VI.

Abortus frequens.

Fœmina recens nupta sanguinea & vegeta constitutionis, prima vice per duos menses gravida, inopinato eoque sat vehementi percussit terrore, quo fit, ut præmaturis gravibus abdominis correpta spasms, fœtus excluderet & per tres hebdomades agere habuerit. Tempore, quo menses fluere consueverant, loco sanguineæ excretionis fluor succelsit albus, qui nullis obtemperavit remediis. Nihil tamen minus iterum gravida facta, diu non modo ad terrorem & affectus animi proclivis, sed & de lumborum atroci dolore, qui plerumque animi turbas sequebatur, conquesta fuit. Non ita multo post ex improvilo valde terrefacta iterum abortum passa est, qui nec venæsectione nec aliis convenientibus remediis arceri potuit. Ex quo tempore valde debilitata, levi ex causa in terrorem rapitur, qui dormientem maxime exagitat, cum anxietate & interno ardore molestissimo.

Epicrisis cum consilio.

Magna certe motuum & affectionum animi cum ipso utero communicatio & mutua conspiratio observatur. Cujus rei luculentum, quæ in utero gerunt fœtuum, testimonium præbent. Nihil enim frequentius contingit, quam, quod gravi quadam in animo ex causa externa oboriente motione uterus cum adnexis partibus nervosis ad similes motus fœtui & ejus nutritioni ac retentioni in utero minus amicos proritetur; adeo ut abortionis etiam unicam causam ejusmodi animi pathemata constituant. Vicissim etiam observamus, quando vitium hæret in utero gravidarum, quod liberioris sanguinis per ejus & infantis vasa

impedit, animum ad plures inordinatos affectus, cujus generis sunt meticulositas, pusillanimitas, animi defectio, ex levi causa terror, frequentissime disponi. Ex quo clarissime patet, Medicum, qui fœminarum ex utero morbos recte curare velit, non modo ad corporis vitia, sed etiam ad animi inordinatos motus compescendos curam, dirigere debere. Cum vero multoties experientia attentior doceat, frequentiores abortionis recidivas inde suam causam & originem petere, quod uterus cum annexis partibus & vasis post abortum a sordibus stagnantibus non recte expurgatus, nec pristinum robur ac tonus ipsi restitutum fuerit; ideo Medico incumbit perito & solerti, ut id convenientibus & efficacibus remediis recte perficiat. Jam vero non distitendum est, pilulas illas, quas *Becherus* fortuito certe, quia artem Medicam vix calluit, invenit, & ex extractis amaricantibus & temperatioribus balsamicis gummatibus, atque refracta gummosa aloes portionis dosi composuit, & quæ ad harum exemplar a clarissimis nostri ævi Medicis, inter quos primus fuit *IL. Hermannus*, Professor olim extraordinarius, a *Cl. Stablio*, nobis, aliisque præparatæ sunt, ad præcavendos ultiores abortus præ aliis specificam sibi efficaciam vindicare; modo non empyrice, sine habita subiecti vel circumstantiarum ac causarum ratione in usum ducantur. Atque ego plura innumera possem allegare exempla, complures ad abortum valde proclives recto harum pilularum, neque minus post factam uteri purgationem, convenienti thermarum & balneorum artificialium usu, sub legitimo vitæ regimine felicissime fuisse restitutas.

OBSERVATIO VII.

Judæa fœmina triginta trium annorum ante aliquod tempus, tertio graviditatis expleto mense, ob vehementem terrorem abortivit; larga simul uteri hæmorrhagia, violentis vomitibus, & crebris animi deliquis sollicitata. Paulo post iterum concepit, uteroque per decem circiter hebdomades gerens, rursus ab-

Abortus cum variis symptomati-
bus.

ab-

abortum; pristinis symptomatibus stipatum, passa est. Quo excluso male cepit habere; totum enim corpus insigniter languebat, animus valde sensibilis, & ad patheticas commotiones nimium pronus erat, omnemque graviolem exacerbatam gravativus abdominis lumborumque dolor excipiebat. Alvus, quod notabile erat, suo nunquam non respondebat officio; digestiva autem ventriculi vis laborabat vitio, & varia ad hæmorrhoides molimina, nullo accedente fluxu, urgebant. Notatu porro est dignum, ægram per quatuor jam annos perpetuo ciborum fastidio fuisse sollicitatam; & præcordiorum quandoque torqueri anxietatibus. Quo in rerum statu meam implorabat opem, idque auxilium, quo ab abortu præcaveri posset, desiderabat. Fœmina hæc quia valde plethorica ac admodum spongiosa & repletioris erat corporis, parum levaminis atque emolumenti a pilulis temperatioribus supra laudatis percepit, sed moderatiores & frequentiores sanguinis missiones & repetitum thermarum Carolinarum usum magna cum euphoria ferre potuit.

Epicrisis.

Utut pilulæ sic dictæ *Becherianæ* insignissimi in morbis mulierum sint usus, tamen ubi nimia sanguinis in corporibus præfertim, quæ minoribus vasis sunt donata, abundantia difficiliorem per totum corpus progressum efficit, & ubi simul in læminis ad fluxum hæmorrhoidalem dispositio adest, circumspice eas adhibere oportet; quia sanguinis & humorum massam in præternaturalem organum quam facile conjiciunt, & deteriora reddunt symptomata. Tutiora hinc rhabarbarina cum salibus nitrosis & deterfisvis juncta deprehendi. Et quia in hoc subjecto ingens motuum vitalium & animalium, item excretionum ataxia præcipua symptomatum causa & fons fuit, atque remedia obvia hisce tollendis non sufficiunt, tutum omnino & certum auxilium contra ejusmodi morbos in prudenti & rationali thermarum Carolinarum usu sæpius me invenisse obtestor.

OBSERVATIO VIII.

Fœmina quadragenaria, sanguinei Molaræ temperamenti, habitus spongiosi, ob excre-
menstruorum defectum, & abdominis tio.
intumescētiā per quinque menses habebatur gravida. Quibus elapsis præter opinionem corripiebatur doloribus circa lumbos & inguina, & mox sequente copiosissimo sanguinis profluvio: cum quo secunda die concrementum carneū, ex membranis conflatum, rubicundum insignis molis exercebatur. Neque tamen minus sanguinis fluxus, utut parior, ad aliquot perseverabat septimanas. Transacto mense eadem ludebatur scena, præviis enim & doloribus, & hæmorrhagia, excretio molis carneæ de novo sequebatur. Abhinc cruentum profluvium ex toto non conquievit, sed modo parcius, modo copiosius inhaesit; donec post sex hebdomades, iterum carneæ utero excluderetur moles, quæ intra octo menses septies reddebatur. Notari autem meretur, post quartam ejectionem loco sanguinis, serum purum limpidum magna copia quotidie effluxisse. Et hic lymphatici laticis fluor jam ultra annum dimidium perdurat; cui jungitur gravativus dolor, tumor atque durities quæ jam in sinistro hypochondrio; & ejus lateris femur cum toto pede, œdematosum exhibet tumorem. Ceterum ægra expalescit, emacrescit, cibos averfatur; pulsus fertur frequens & debilis, horror quandoque corpus percutit, subsequente calore; & sanguinis grossi ejectionem plerumque antecedit ejusmodi horror.

Epicrisis.

Molaræ, sub quarum nomine concrementa veniunt carneæ, a veteribus dividentur in molas generationis & nutritionis. Hæ suboriuntur ex vitiosa nutritione, & succi sanguinei chylosique stagnatione intra extremas uteri membranas; quæ plerumque lochiorum vel menstruorum per male feriatas artes suppressioni debetur. Rariores profecto sunt, & nisi statim ab initio congruis debellantur subsidiis, incrementum prægrandes tumores; qui supra intentis porri-

porriguntur, & impragnationem vel hydropem mentientes, nullam admittunt sanationem. Talem casum videas in *Consult. Med. sect. 3. cas. 71. p. 318.*

Contra vero generationis mola in ipsius uteri cavo producuntur, ubi loco veri conceptus moles carnea indigesta, vasculis, membranis, & fibris carnis prædita generatur: sicut fere fit in foeminis conjugatis, cachexiæ obnoxiiis. Simulat veram impragnationem ejusmodi concrementum; siquidem menstrua silent, venter grandescit, mammae turgent lacte, donec tandem circa quartum plerumque mensem cruor ex utero prorumpat, secumque sepius vehat talem informem massam. Interdum hæmorrhagia sola continuat per aliquot menses, absque mola istiusmodi rejectione, quæ longo demum post redditur tempore.

In nostro casu, mola fuit generationis; quæ prima reliquarum generationi anam præbuit. Ut plurimum enim hæc concretiones quasdam in utero relinquunt sui partes; quæ facile in novam coeunt & attolluntur excrescentiam. Videtur etiam in hoc casu quædam læsio adesse, cui febris lenta est juncta, testante pulsu frequentiori. Et quoniam circulus sanguinis per uterum, & vicinas partes simul est turbatus; compressis iliicis vasis, enatus est pedum œdematosus tumor: ex quo cachexiæ metus imminet, & inauspicata resultat prognosis.

OBSERVATIO. IX.

Requirebat aliquando opem meam generosa mulier, triginta octo annorum, quæ abortum passa, utero subinde non rite expurgato, quater adhuc, quovis mense ab impragnatione tertio abortiverat. Quam abortiendi proclivitatē ut tollerem, hac usus sum medendiratione. Per triduum quotidie quindecim, pilularum balsamicarum, vesperi deglutendas, mane sal aperitivum, quod cremorem tartari, lapides cancerorum, tartarum vitriolatum, sal Epsomense, & nitrum depuratum habebat, propinavi: deinceps, ut per quinque dies balneis ex aqua fluviatili, cineribus clavellatis,

mentha, melissa, salvia, floribus chamomillæ paratis insideret, & ab his leniter sudaret jussi, atque hanc curationem alternando ter repeteret commendavi. Præterea, quum utero rursus concepisset, alternis mensibus, venam in brachio lundendam curavi, hisque obtinui, ut valeret optime, & debito tempore felicem excluderet foetum. Verum enim vero post aliquot annos, neglecta venæsectione, rursus abortivit; & abhinc non modo hysterici obnoxia pathematibus, verum etiam menstruum primum parviora, deinde immodica fuit passa; quibus tandem animi deliquia, ac vomitus accesserunt; & denique moles carnea, membranacea, aspera, intus cellulosa prorupit, quæ excreta nimium sanguinis profluvium conquievit. Quum vero majora inde mala timeret, me rursus consuluit. Ego itaque suasi, ut commendata brevi ante curatione iterum uteretur, eamque ob inveteratam uteri malam dispositionem, ad ejus robur instaurandum, quovis vere & autumno per aliquod tempus repeteret. Ceterum dedi infusum theiforme ex melissa, scolopendria, salvia, betonica, floribus millefolii, hyperici & aniso stellato paratum, singuloque mane sorbilandum, & easdem species cum cerevisia fermentatas, ad potum ordinarium præscripsi.

Epicrisis.

Concrementorum, quæ utero excluduntur, varia sunt genera. Primum audiunt mola, quas & generationis & nutritionis superiori pertractavimus observatione. Alterum est cruor congruatus, in magnis frustis, excretus, cuiusmodi observationem allegat *Ruyfchius obs. chir. 29.* Datur quoque concrementum, quod, licet improprie, serosam vocant molam, & nihil est aliud, quam serosa, colluvies peculiari membrana inclusa; de qua & *Ruyfchius l. c. obs. 33.* & *Hildanus Cent. 2. obs. 53.* injiciunt mentionem. Nostra ægrotans excludit tam molas veras, quam cruorem congruatum, quem magnis in frustis conspiciere licuit.

Hoc loco vero adhuc commemorare juvat

Nimia
ad aliorum
pro
elivi
a
m
larum
ex
ajone.

juvabit, quod ad excretorum, quæ ex utero sunt, genera, referenda sint ossa & partes integræ infantum intra uteri cavum putrefactorum. Contingit id viii genus, ubi avulsis secundinis fœtus grandior fuerit, aut ejus abortiva exclusio adstringentibus impeditur: & videtur foemellis, si sub alvi exoneratione egerantur ejusmodi frustra, ac si ex ipsis exirent intestinis. Qui de his plura nosse cupit, adeat *Sennertum præx. lib. 4. par. 2. sect. 6. cap. 7. Tulpium obs. Lib. 4. cap. 39. & Thomam Bartholinum hist. med. 14. Cent. 4.* Mihi ipsi licuit ejusmodi casum haud ita pridem in foemina annotasse; cui præter alias convenientes medicinas, pilulas ac balnea ex aqua dulci, nec non thermas subinde Carolinas commendavi fructu cum felicissimo.

OBSERVATIO X.

De fre-
quenti
abortu
et per-
petuo
vomitu.
Foemina triginta annorum, habitus corporis pituitosi, mediocriter pinguis, septimo decimo ætatis anno viro nupta, peperit in tempore fœtum vivum. Deinceps abortum passa fuit trimestrem; tumque successive tres aut quatuor vivos fœtus in lucem edidit, quorum quemvis trium, aut ad summum quatuor mensium abortus subsequutus est. Hos abortus semper excepit admodum molesta per octiduum uteri hæmorrhagia; qua cessante fluor albus accessit, ad hanc usque diem inhærens. Præterea supervenit nausea atque vomitus, tantaque inhefit pertinacia, ut nullis hucusque remediis debellari potuerit, eoque non solum omnes cibi, maximeque solidi protinus rejiciantur, verum etiam sub jejuniis pituita insipida quotidie eructetur. Quo in rerum statu per annum novissimum bis iterum abortivit; persistente vomitu, aliisque hypochondriaciis symptomatibus subinde cruciata. Consultus ego commendavi primo balneum aquæ dulcis, cum origano, calamintia, balsamina, mentha catartica, melissa, floribus chamomillæ vulgaris & Romanæ illis incoctis, eaque ut per aliquot hebdomades, extra graviditatis tempus, in usum vocaret, suasi. Verum

triduo ante eorum usum pilulas balsamicas propinavi; easque singulis septem diebus balneis interposui. Præterea vespere liquorem meum anodynum; atque sub epulis essentiam corticum aurantiorum exhibui. Non minus vehementer laudavi rectam vivendi rationem, atque convenientes venæsectiones; ac denique thermarum Carolinarum usum commendavi.

Epicrisis.

Præsens affectus spasmodico est convulsivus, qui eas potissimum nervosas partes, quæ ad uterum atque ventriculum pertingunt, occupare videtur. Quod si illius causas, & ex his remotiores, perscrutemur; ipsa se offert agrotantis constitutio atque temperies. Ea enim habitum corporis præ se fert spongiosum, subpinguem; qui copiosis quidem, sed exilioribus instructus solet esse vasis. Horum autem angustia, & fibrarum nativa laxitas id secum vehunt incommodi, ut humorum vitalium progressus difficilior sit ac languidior: cui si vel mediocris animi junctura fuerit sensibilitas, facillimum est, ut distentis a mole sanguinis ductibus, spasmodici ac convulsivi accedant motus. Ejusmodi vero subjecta, si puerperiis fungantur, & uterus posthæc non rite purgatus sit, ad convullivas sub nova imprægnatione uteri stricturas, abortuum causas proclivia esse, ex supra dictis patebit. Inde quoque ratio peti debet, cur in nostra tot & puerperiis & abortibus fatigata, fluor accesserit albus. Hic enim primario uteri atonia, & inde cumularis in ejus cavo sordibus debetur; nec cessat, nisi restituto uteri robore, tantum abest, ut ipse posthæc fecunda conceptioni impedimento, & causa abortionum fiat. Sub tanto partium solidarum languore, sanguinis & humorum dyscrasiam generari, testatur & experientia, & confirmat ratio: quam in nostro casu fuisse præsto, docent hypochondriacæ passionēs, & vomitus. Hic nihil est aliud, quam ventriculi convulsivus motus; qui siccat a repletionē, id est, san-

gui.

guinis in ejus vasis stagnatione subnasci potest; uti videmus in gravidis, circa tertium vel quartum potissimum ab imprægnatione mensem vomentibus; ita etiam ab inanitione suboritur; & ideo profuso copiosius sanguini supervenit. Causa hoc in casu non videtur alia, quam quod loco generosi sanguinis, humores impuri, salii & acres ad membranas ventriculi deferantur, easque stimulando, fibras nerveas ad vomibundam subversionem proritent. Neque enim inventu hinc difficilis est ratio, cur tam vomitus diuturnior existat, quam abortus frequentius redierit. Quamvis enim ægorans nostra multis variisque medicaminibus usa fuerit; ea tamen pleraque cognovi esse talia, quæ vel nimis calidiora ac spirituosiora, velut

sunt vulgaria carminativa, vel plane adstringentia, vel saltem vivendi recta ratione neutiquam adjuncta fuere. At enim vero in tam firmius radicata partium solidarum atonia perpetuæ instar regulæ habendum est; quod quo magis diæteticis, minusque pharmaceuticis utamur subsidiiis, eo feliciori semper potiamur effectu. Et præterea opus est patientia: quo enim diuturnior fuit morbus, eo diuturniorem oportet esse blandam, naturæque convenientem exactionem. Hæc igitur in præsentī casu vix aliis, quam quas propoluius, medicinis obtineri potest; adeo ut illæ, non in nostra solum, verum quoque pluribus, quæ nostræ se tradiderunt curæ, ægrotantibus, nunquam non optatum ediderint effectum.

Chlor

F I N I S.